87-4.

3808

Digitized by Google

Palat. XXXVIII - 124

Digitized by Google

Digitized by Google

584432

DE VITA, ET REBUS GESTIS FEDERICI II. SICILIÆ REGIS

AVCTORE

FRANCISCO TESTA

ARCHIEPISCOPO MONTISREGALIS.



Tresca Sculp.

Biblioteca Nazionale Fondo Palatino Napoli

PANORMI MDCCLXXV.

Excuſſit cum Privilegio Cajetanus M. Bentivenga ſub ſigno Ss. Apoſtolorum, prope Plateam Bononiorum.

POTESTATIBVS PERMITTENTIBVS.

Digitized by Google

Digitized by Google



MARCO ANTONIO COLUMNÆ
HOSTILIANI PRINCIPI
IN SICILIA PRO REGE

NICOLAUS CIAPAGLIONIUS
S. D.

INter cæteras animi virtutes, quibus præditus & vixit, & occubuit Franciſcus Teſta Monregalen-

ſis Antiſtes, non imum obtinet locum ingens erga Patriam amor, atque ejus amplificandæ augendæque, pluſquam pro virili parte, ſtudium non intermiſſum. Id & ſæpe alias, & in Comitiis Regni maximè oſtendit. Hac mente ductus vitam Friderici II. ſcribere inſtituit.

Quum enim Siculorum virtus eâ tempeſtate domi, foriſque præ reliquis enituerit, arbitratus eſt egregius civis illos adhibere veluti avitæ gloriæ monitores, qui torpentes nonnullorum animos ad eam excitarent, & ſeris nepotibus eorum geſta legentibus edicerent, nè degeneres per inertiam atque ſocordiam ætatem agerent, ſed eoſdem, quos ipſi pro Rege, pro Patria militares, civileſque ſubeundo labores, eandem nominis claritatem conſequerentur.

Hiſtoriâ abſolutâ necdum editâ Præſul exceſſit. Ea apud typographum biennio delituit, & adhuc deliteſceret, niſi tuus adventus, & Regni prudenter, feliciterque ſuſcepta adminiſtratio Patriæ amatores monuiſſet, quod ſi opportunum quandoque tempus erigendis Siculorum animis, & ad Majorum premenda veſtigia revocandis fuerit, nunc vero te Siciliam pro Rege moderante opportuniſſimum fore. Ferdinandi enim noſtri, ſicut Ferdinandus Caroli patris, virtutum & animi imitator tu nos amas, te nos amamus, & veremur, & imperatoriæ artis, civiliſque prudentiæ peritia maxime polles, quæ res ſcilicet Siciliam Friderico Rege ad tantam, quantam præſens ejus vita demonſtrat, famæ celebritatem, evexerunt.

Neminem latebat, qui Ferdinandum utpote magni con-

Digitized by Google

conſilii Principem norunt (& omnes norunt) cum poſt illam turbam, rerumque confuſionem non niſi ex Proceribus ſelectiſſimo Siciliæ regimen commiſſurum. Oportebat enim illi gubernacula tradere, qui civium animos, prout quiſque erant affecti, aut coerceret, aut leniret, aut erigeret. Vix in littore expoſitum te id præſtiturum ſumus ominati. Comis erga omnes infimos etiam de plebe homines mutuis ſalutationibus excipiebas, ut ſemper excipis. Vix corpore curato, aulam, aureſque tuas popello etiam, & mulierculis patere voluiſti, ſupplices cujuſcumque libellos per te ipſe recipiens. Quoties quiſque voluit, dixit, & quam voluit diu. Nemo ex domeſticis convictionibus, familiave apud te, vel Magiſtratum, Rei cujuſpiam aut Candidati quæſtuoſus fautor: Nemo publicorum Redemtor, Redemtorumve ſocius, non illi mercaturas facere, non tibi audent in alterius perniciem, aut favorem inſuſurrare. Graviter interdictum, nè munera accipiant, te exemplo præeunte.

Conſtat cum domeſtica diſciplina ſedula & incorrupta Urbis & Regni procuratio. Frumentorum, cæterarumque frugum exportatio, & invectio neque gratiâ, neque pretio conceduntur, ſed ad publicam tantummodo utilitatem. Coercita monopolia, cautè ſevereque proviſum, nè deinceps hujuſmodi peſtis irrepat. Repreſſa calumniatorum licentia: expetitæ ab aleatoribus pœnæ: obæratorum & decoctorum fraudibus obviam itum. Eccleſiarum, Collegiorumque Rectoribus aſſerta libertas magis idoneos, & ſecundum ſuas cuique leges, & inſtituta cooptandi. Luxui, & pecuniarum profuſioni, ſe-

ra-

raci multorum malorum ſegeti, modus cœptus adhiberi.

Et ſanè ſumptus in puellas ſacra tirocinia ineuntes ita ſenſim excreverant, ut Patribusfamilias intolerabiles, diſciplinæ eccleſiaſticæ etiam eſſent pernicioſi. Eos tolli Regni Procuratores ſemel, atque iterum efflagitaverant, nec potuerant impetrare. Rem multiplici detrectatione dilatam, & pluribus difficultatibus impeditam ipſe perfeciſti, gaviſique ſunt omnes legem a te latam, quâ poſtulationem tam ſalutarem ratam habuiſti.

Tot tantiſque implicitum negotiis panificii, & reliquæ annonæ cura non præterit, quin ad continendos in officio Venditores, juxtâ atque eos, qui venditoribus præſunt, humiles tabernas, popinaſque inviſere non dedignaris, venales merces inopinatè introſpecturus. Et, ut Civitatis ſtatui uſquequaque conſuleres, urbanum magiſtratum non petentibus compendii cauſa, ſed invitis, at de republica optimè meritis contuliſti. Denique ut rem in pauca conferam, quidquid Xenophon in Cyro ad effigiem juſti imperii deſcripſit, quidquid Tullius in Quinto Fratre parum ſecundâ famâ præturam Aſiæ adminiſtrante deſideravit, tu in Siciliæ adminiſtratione luculenter exples, & expleſti; niſi quod illorum Philoſophorum præcepta ducuntur tantùm ab officiis humanitatis, tua totius vitæ, & gubernationis ratio ſacrarum præcipuè literarum, & chriſtiana Patrum nititur doctrina, quam ex ſelectiſſima domeſtica bibliotheca ſub optimis Præceptoribus una cum elegantiori bonarum artium ſcientia tibi comparaſti. Hinc Religionis cultor eximius me accerſitum monuiſti: viderem nè quid illa detrimenti caperet ex clandeſtina proſcri-

pto-

Digitized by Google

ptorum librorum invectione. Religioni quoque ſinceræ, & pietati tribuendum, quod dotem pro puellis in ſingula Artificum collegia, non corrogatis ex aliena ſtipe pecuniis, ſed ære tuo contuliſti, & quod ad Chriſtiani hominis, & Principis normam tenore uno tibimet conſtans quaſcumque res peragis. Quô factum eſt, ut omnium oculos in te converteris, omnium animos tibi devinxeris, & quod alii ſperare vix poſſent, tibi populus ultro detulerit.

Vetus erat apud Panormitanos opinio tormentorum in muris diſpoſitorum coſtodiam ita ſibi eſſe commiſſam, ut ea ſine dedecore carere non poſſent, hinc tritum ſermone proverbium: Uxorum & liberorum tutelam potius, quam mænium, abdicandam. Vix tamen innotuit gratius tibi futurum, ſi eam dimitterent, non alio interpoſito temporis ſpatio, quam quod ad impetrandam a Rege facultatem interfluere neceſſe fuit, ſtatim omnes non comitante milite, non ſtipantibus ſatellitibus, ſine vi, ſine turba, ſine clamore tormenta bellica regio arcis maritimæ Præfecto libentiſſimè tradiderunt. Obſequentiſſimi meherculè animi pignus, & quod quanti ſit æſtimandum nemo dignoſcet, niſi qui Panormitanorum ingenia, & veteres recenteſque hujus Urbis vices perdidicerit. Confirmavit communis amoris argumenta mœrentium animorum ſignificatio, quæ ſtatim ſe prodidit allato nuncio de morte Principis Hoſtiliani optimi parentis tui; nam quamvis extremo bacchanalium die tanquàm indicto publico luctu, perſonatorum hominum per Urbem diſcurrentium catervæ ſpontè larvas poſuerunt, nec illas, niſi tuo urgen-

gen-

Digitized by Google

gente juſſu reſumpſiſſent. Artifices quoque ſua quiſque opera occluſis triduo foribus intermiſerunt. Quis igitur tam vecors, qui certiſſimum Ferdinandi judicium non ſuſpiciet de tua prudentia, & mira in civilibus negotiis dexteritate, quæ tantum civium amorem tibi pepererunt? quibus virtutibus tuam rei militaris intelligentiam parem eſſe fateri oportet ex pari ejuſdem Ferdinandi judicio. Et profecto ingentis ſpiritus Juvenis, altæque indolis Princeps Magni Alexandri, & Julii Cæſaris exemplo cohortem ex lectiſſima Liparenſium juventute corporis proceritate, & virium robore prævalentem inſtituit, quæ Macedonum Regis Argyraſpidas, & Romani Imperatoris Alaudam ex Tranſalpinis conſcriptam militaris diſciplinæ ſtudio, & bellicæ laudis gloria æmularetur. Hujus agminis præfecturam tibi demandatam tuæ in arte imperatoria præſtantiæ perſpicuum eſſe argumentum, quis audeat diffiteri?

Quæ quum ita ſint, melioribus quàm tuis auſpiciis Friderici vita in lucem prodire non poterat. Exemplo ſiquidem, & auctoritate vales Siculos ad id, quod illuſtris Scriptor ſibi propoſuerat, videlicet ad Majorum decora imitanda inflammare.

His accedit, quod Sicilienſium, & Columnenſium res eâ tempeſtate quadam veluti conſenſione fatorum, ejuſdem tenebantur ſocietate fortunæ; nam tua nobiliſſima gens tantoperè a Ludovico Antonio Muratorio, plurimiſque aliis rerum italicarum Scriptoribus propter vetuſtatem generis, & egregia facinora commendata eaſdem propemodum ærumnas, eaſdem ſacrorum interdictiones in ſuis ditio-

tionibus, quas Fridericus in Siciliæ Regno a Bonifacio VIII. Rom. Pont. utrique acriter adverſante perpeſſa eſt.

Cui nam igitur potius, quàm tibi, hujus poſtumi operis tutela vindicanda atque aſſerenda fuit?

Te Siculis præſidente, ſi qui ſunt deſides animi expergiſcentur Regi & Patriæ in acie & curia operam navaturi. Excellet, ſicut ſemper excelluit, erga Principem Siculorum fides. Enitebit in bellicis laboribus virtus, in civilibus conſilium, noſterque Ferdinandus utriuſque Siciliæ militaribus copiis

. . . . . . *ſuper & Garamantas, & Indos*
Proferet imperium . . . .

atque adhibitis omni ſapientia excultis Adminiſtris

. . . . *aurea condet*
Secula . . . .

tibique hujus Regni procurationem in ævum prorogabit, quod felix, fauſtum, diuturniſſimum Siciliæ bono, & tibi ominamur, & a D. O. M. enixis precibus flagitamus Patriæ amatores.

Kal. Jun. An. Ær. Chr. MDCCLXXV. ex ædibus Sancti Officii.

Digitized by Google

Die decima ſeptima Menſis Junii 1775.

FUit proviſum, & mandatum per Ill. Marchionem D. Stephanum Airoldi Præſidem Tribunalis M. R. C. ad inſtantiam D. Cajetani Mariæ Bentivenga, quod utique dictus de Bentivenga ſolus, & nemo alius in h. S. R. poſſit imprimere, ſeu imprimi facere, vel vendere, aut vendi facere Opus, quod inſcribitur: *De Vita, & Rebus geſtis Fiderici Secundi Siciliæ Regis Auctore Franciſco Teſta Archiepiſcopo Montis Regalis*. Imo ſit interdictum omnibus, & ſingulis Typographis, Bibliopolis, & aliis quibuſcumque perſonis non ſolùm imprimere, & imprimi facere, ſed nec vendere, aut vendi facere Opus prædictum in h. S. R., etiam ſi impreſſum fuerit extra Regnum, nec in idem valeant Opus prædictum introducere, aut introduci facere, etiam ſub quovis titulo, nec cum aliis quibuſcumque addictionibus, aut interpretatione, niſi expreſſa intercedente licentia dicti de Bentivenga, & hoc per ſpatium annorum decem, & ſub pœna ..7 centum F. R. applicanda. Unde &c.

Scribatur
AIROLDI P.

Copia.
Joſeph Cajetanus Percolla.

AUCTORIS

PRÆFATIO.

SI quod Hiſtoriæ caput eſt Siciliæ vel maxime glorioſum, illud, niſi noſtra nos fallit opinio, profecto eſt, quod Federici II. res geſtas complectitur. Nunquam enim alias quænam Siciliæ terrâ, marique vires, quid Siculi bello, quid re nautica, quid conſilio valerent, quænam eorum ſuos erga juſtos Principes fides, quæ animi præſtantia, clarius apparuit. Hæc quum ita ſint, quumque pro ſua quiſque facultate Patriæ ſtudere gloriæ, Patriæque hiſtoriam, ut non tam externis, quam domeſticis, quæ majorem vim habent, exemplis, ſua gens ad virtutem, atque ad civilem informetur prudentiam, illuſtrare debeat, hunc rerum Federici commentarium literis mandare operæ pretium duximus. Ecquid, inquies, nonne hujus tam celebris Regis geſta ex Fazello, ex Maurolico, ex Caruſo, ex Surita, ex Conſtantio, & ſexcentis aliis cum noſtris, tum exteris, iiſdemque optimis Scriptoribus affatim repeti poſſunt? Sane quidem. Sed, ſi quæ a nobis traduntur, cum iis, quæ alii in hoc argumento prodidere, conferre non gravaberis, forſitan non ſupervacaneum opus, & ex quo nihil Siciliæ decoris accedat, nos aggreſſos eſſe cognoſces. Intelliges & tu, quod ille immortalis memoriæ, & ſi quis alius acutæ naris Ludovicus Antonius Muratorius intellexit, ac in ſuis Italiæ annalibus teſtatum reliquit, hoc nempe Siculæ hiſtoriæ caput non parum involutum, perturbatumque eſſe, adeo ut nequaquam inutile ſit illud explicare, ac in bono lumine collocare. Animadvertes hiſtoricos, qui de rebus Federici hactenus ſcripſere, multa vera præteriiſſe, nonnihil protuliſſe falſi. Ab iis conſilia primum, deinde acta, poſtea eventus ſignificata fruſtra expectabis. Continuationem, ſeriemque factorum, ut aliud ex alio nexum, & omnia inter ſe apta, colligataque viderentur, utique deſiderabis. Parum diſtincta tempora. Loca haud tam accurate deſcripta. Ingenium, moreſque hominum, non admodum expreſſa. Nulla de civilibus rebus mentio. Uno verbo, multa ex iis prætermiſſa, quæ hiſtoriam maxime, eamque ut vitæ magiſtram, commendant. An hæc nos præſtiterimus, aliorum eſto judicium, & tuum. Nos certe præſtare ſaltem conati ſumus, propius ſcriptoribus illius temporis æqualibus, Nicolao Speciali, & auctori Chronici, a Martene editi, inhærendo, eorum ſenſum diligentius perſcrutando, quicquid ad rem publicam compo-

Digitized by Google

nendam Federicus conſtituit, exponendo, legitimas tabulas, quæ in publicis tabulariis adſervantur, perquirendo, harum præcipuas in libri fine, exhibendo, eruditiſſimos viros, quos nihil de rebus noſtris præterit, conſulendo. Quo quidem factum eſt, ut nobis, qui, ut omne, quod ad Federici pertinet vitam, exploratum perſpectumque haberemus, majorem navavimus, & navare potuimus operam, incorruptiores, explicatiores, plenioresque quodammodo de ea memorias exarare licuerit. Eodem ſpectant animadverſiones, quas narrationi non ad oſtentandam eruditionem, ſed ad aliquem ejuſdem narrationis locum illuſtrandum attexere e re viſum eſt. Aſt neque quod laudati Scriptores aliquid de rebus Federici omiſere, vel aliquid in eiſdem offenderunt, eis vitio, neque quod nos aliquid ſupplevimus, vel emendavimus, nobis magnopere dandum eſt laudi. Illi generalem contexuere hiſtoriam. Nos unius Regis vitam conſcribendam ſuſcepimus; ita ut non eadem ab ipſis, quæ a nobis cura, ac copia exigenda ſit. Qui rus ingens ſibi colendum ſumunt, ſi quid vacui in eo remaneat, ſi quid lolii inter electam erumpat ſegetem, non ſunt ſane reprehendendi: nec magnopere laudandus, qui agellum excolere aggreſſus illum ſic exerceat, purgetque, ut inde uberior, ſinceriorque meſſis proveniat. Atque hæc a nobis non ſic dicta accipias velim, quaſi nos tantum nobis tribuamus, ut abſolutum opus, & erroribus vacuum, confeciſſe, aut conficere potuiſſe credamus. Probe quidem novimus, quam difficilis negotii, & vires noſtras longe ſuperantis ſit omni ex parte, perfectam componere hiſtoriam; ſic ut præclare nobiſcum actum fore putaremus, ſi id conſequi ſtuduiſſe, conſequuti quamvis non ſimus, foret tibi perſuaſum. Utinam ſane, benigne lector, ingenium, & facultas animo, ſtudioque reſpondiſſent; ut tu vitæ Federici II. rerum veritate, verborum elegantia, temporum ordine, locorum deſcriptione, ſententiarum luminibus hiſtoriam tanto Principe dignam certe quidem haberes, gauderesque nec argumentum Scriptori, nec Scriptorem argumento defuiſſe.

MONITUM.

Numeri, qui in contextu, atque in animadverſionibus occurrunt, monumentorum numerum, quæ in libro attexta ſunt, indicant.

DE

Digitized by Google



DE

VITA, ET REBUS GESTIS

FEDERICI II.

SICILIÆ REGIS

COMMENTARIUS.

SIciliæ Regnum, quod non ſola hujus nominis inſula, ſed & continentibus trans fretum regionibus, ex quibus deinde Neapolitanum Regnum conſtitit, definiebatur, in Nortmannorum Principum, qui illud ab ſe conditum ſtabilierunt, dominatu permanſit ad annum uſque MCXCIV. Horum virili extincta prole, in Suevam auguſtam gentem ob nuptias Conſtantiæ filiæ Regis Rogerii cum Henrico Federici Ahenobarbi Occidentis Imperatoris filio pervenit. Hac

ce ex gente tenuere Siciliæ Regnum Henricus uxoris nomine, & Federicus ex eis ortus, uterque Cæſarea dignitate ornatus. Federico ſucceſſerunt Henricus, & Conradus ejus legitimi filii, Manfredus ex nobili pellice, ut communis fert opinio, ex juſta, ut aliqui tradunt, matrefamilias, eidem certe natus *(a)*, & Conradinus ex Conrado nepos, Regni non minus, quam exitiabilis in ipſum Guelfæ partis odii hæredes. Hos enim & Pontifex maximus pro jure, quod in Siculum Regnum ſibi vindicabat, & Carolus Andegavenſis Provinciæ Comes, Divi Ludovici Galliarum Regis germanus frater, ubi hoc Regnum ab Pontifice vectigale adeptus fuit, adeo exagitarunt, ut Manfredo in prælio devicto, ac cæſo, & Conradino infelicis ſtirpis reliquo, mortis genere, non tam ipſo, qui eam ſubiit, quam eo, qui illam ſanxit, indigno, e vivorum numero exturbato, Carolus & Inſula, & Provinciis ultra Pharum potitus fuerit: Inſulam vero tandiu obtinuerit, quoad ejus impotentem dominationem inſulæ incolis detrectantibus hujus poſſeſſione deturbatus fuit, advocato ad eam occupandam Petro hujus nominis tertio Aragonum in Hiſpaniis Rege, qui Conſtantiam Manfredo ex Beatrice *(b)* Amedei Allobrogum Comitis filia natam, in matrimonio habebat, & ex ea jam quatuor ſuſceperat filios Alphonſum, Jacobum, Federicum, & Petrum, duaſque filias Jolantam, & Iſabellam. Tranſmarinæ vero regiones in Caroli poteſtate remanſerunt; ab eoque, nihil factum eſt reliqui, opem, auxiliumque ei & Pontifice maximo, & Philippo Galliarum Rege fratris filio conferentibus, ut inſulam reciperet *(c)*. At Petrus eam, & quoad vixit, retinuit, & ſuis poſteris una cum aliqua Brutiorum, quam bello conſequutus erat, parte reliquit, inſignes ab hoſtibus victorias reportando, imprimiſque illam, qua Carolus, cui claudo pedis vitium cognomen indidit, Caroli Andegavenſis filius natu maximus, Salernitanorum idemque Prin-

(a) *Vide Pirrum in Chronologia Regum Siciliæ.*

(b) *Conſtantius, & Giannonius Manfredum uxorem, cui nomen Sibyllæ, habuiſſe, quo auctore neſcimus, ſcribunt. Cæteri, quos nos conſuluimus, Scriptores eum duas tantum uxores Beatricem nempe Conſtantiæ matrem, & Helenam habuiſſe tradunt.*

(c) *Vide Monum, n. I.*

Princeps, in deditionem venit, captivuſque in Aragoniam amandatus fuit (*a*). Quo factum, ut ex uno Siculo duo emerſerint Regna, Siculum, & Neapolitanum, deque Siculorum moribus, politiaque non nihil fuerit immutatum. Fieri etenim haud poterat, quin ex novæ, alienæque gentis Principibus, totque ea de cauſa exteris hominibus in Siciliam commeantibus, & eorum non paucis in ea collocantibus ſedes, novi aliquid, peregrinique in Siculorum mores, inſtituta, leges, magiſtratus, irrepſerit.

Inter vetuſtiores, illuſtrioreſque familias, quæ in Hiſpaniis imperia exercuerunt, illa merito numeratur, quæ primum nobili Barcinonenſi ditione jam inde a nono ſeculo, id eſt, ab exactis illinc Saracenis, deinde Aragoniæ nobiliſſimo potita eſt regno; quæ Aragonia Hiſpania citerior olim, poſtea Tarraconenſis dicta, Romanæ fortunæ æque, ac virtutis ſocia, Catalauniam, & Valentiam, amplas & ipſas, beataſque provincias amplectitur. Ex hoc genere prodiit Petrus Aragonum Rex cognomento magnus, is, qui, uti diximus, ad Siciliæ Regnum, ab Gallorum poteſtate, his ex condicto occidione occiſis, ereptum, accipiendum ultro a Siculis accitus fuit, tum quod cum Conſtantia Manfredi filia connubio conjunctus erat, tum quod originem ducebat ab Almodia Roberti Nortmanni filia, Raymundi hoc nomine Octavi Barcinonis Comitis conjuge: utrumque carum Siculis nomen, & genus.

Contendit itaque Petrus in Siciliam; eumque ſubſequuta eſt uxor cum natu minoribus filiis Jacobo, & Federico, & filia Jolanta, in Aragonia natu majore Alphonſo, qui regnum illud, abſente Patre, procuraret, & Petro, ac Iſabella, quæ Luſitanorum Regi deſponſa erat, relictis. Cum Petro demigrarunt in Siciliam ex clarioribus Hiſpaniarum familiis non pauci, & ex his aliqui cum ipſo Rege ſanguine conjuncti, qui in ea amplas opes, dignitateſque adepti, domicilium, fortunaſque collocarunt. Salutatus eſt Petrus Siciliæ Rex, inauguratuſque anno MCCLXXXII. ſingulari plauſu, ac maxima lætitia. Haud læto tamen uſus eſt Regno, non quod Siculorum in eum fides defecerit, ſed quod a Pontifice maximo fuerit ipſe diris devotus, populo ſacris interdictum, & quod continenter a Carolo Andegavenſi bello terra,

ma-

(*a*) *Vide Monum. num. II.*

marique conflictatus, atque ad necem vel ſingulari expetitus certamine. Præterea Pontifex eum Regno Aragoniæ privarat, illudque occupandum dederat Carolo Valeſio, ſecundo ex Philippi Galliarum Regis liberis, & ſacrum in eumdem bellum indixerat. Proinde Petrus poſt annum, quo Siciliam adierat, relictis in ea filiis Jacobo, Federico, Jolanta, & uxore Conſtantia, quæ illam una cum filio Jacobo vicaria poteſtate, ipſo abſente, adminiſtraret, Aragoniam repetere neceſſe habuit, ut avitum Regnum ab hoſtilibus conatibus defenderet; namque Galli, quibus ſocium belli ſe adjunxerat Rex Balearium, ſtipendiarius quamquam Aragoniæ Regum, & ipſius Petri germanus frater, in illud impetum fecerant. Hoc bellum vitâ Petro ſtetit; nam poſt varios communis martis caſus in prælio apud Gerundam commiſſo lethali vulnere in tibia accepto diem obiit ſupremum anno MCCLXXXVI. ſuperſtite Conſtantia, hæredibuſque inſtitutis, in Aragonienſi Regno Alphonſo, in Sicilienſi vero, quod erat ipſe adeptus, ac contra hoſtiles incurſiones, inferior quamvis viribus, ſtrenue conſervarat, Jacobo, ea quidem lege, ut ex tribus minoribus natu filiis, qui majori ſine liberis mortuo in Aragonienſe Regnum ſuccederet, eo contentus, Siculum Fratri, qui ei ætate proximior ſupereſſet, obtinendum permitteret. Paulo ante Petri deceſſum vitam quoque Totici in Daunia finiverat Carolus Andegavenſis. Hic non minus Regni, quam acerbi adverſus Siculos belli hæredem habuit Carolum filium, qui hujus nominis ſecundus Rex Neapolis fuit. Quoniam hic, uti docuimus, captivus in Aragonia aſſervabatur, quo in libertatem ſeſe vindicaret, ac Neapolitanum Regnum adiret, Eduardo Angliæ Rege ſequeſtre, in has conditiones cum Alphonſo Aragonum Rege convenit; ut huic ad biennium inducias a Philippo Galliæ Rege impetraret; ut Carolus Valeſius de jure, quod ad Aragoniam occupandam Pontifex maximus ei permiſerat, cederet; ut certum pecuniarum numerum Alphonſo penderet; ſe ſacramento obligans, ni hæc præſtaret, in Alphonſi poteſtatem intra annum ſe reſtituturum, datis obſidibus filiis Ludovico, Roberto, & Joanne, ac ſexaginta ex primoribus Provinciæ. Actum quoque fuit, ut Carolus de jure, quod ſibi in Siciliæ Inſulæ Regnum arrogabat, concederet: ſed hanc conditionem Carolus recuſavit, & Alphonſus non inſtitit. Quare reliquis pactionibus ratis ultro, citroque habitis, ac jurejurando firmatis, traditiſque obſidibus, Carolus liber dimiſſus Neapolim rediit, Alphonſo Caroli libertatem, quæ fratri Siciliæ Regi uſui, emolumentoque fore debuiſſet, in rem ſuam vertente: ſed fruſtra; non ſolum

enim

enim ejus, quod pactum ipſi fuerat, nihil conſequutus eſt; quin immo Pontifex maximus tranſactas conditiones irritas fecit, Carolumque ſacramento ſolutum declaravit.

Federicus, cujus vitam, reſque geſtas nos conſcribere aggreſſi ſumus, quum ei Patrem mors eripuit quintum agebat annum, & decimum; namque in vitam venerat anno MCCLXXI. Ad hanc tametſi provectus ætatem, infans nominabatur; etenim jam tum apud Hiſpanos in conſuetudinem venerat, Regis filios appellare infantes, infantem pro filio accipiendo (a). Cæſarauguſtæ, quæ Aragoniæ urbs princeps eſt, an alibi, Federicus ortus ſit, apud rerum harum ſcriptores, quos nos legerimus, relatum non invenimus. Illud apud omnes compertum, ipſum corporis formam Principe dignam, adeo excelſum, invictumque animum, mentem docilem adeo, ac ſagacem, adeo probum, liberaleque ingenium, multaque alia bona natura accepiſſe cum generoſa majorum fama conjuncta, ut ad virtutem, ad gloriam, ad omnia ſumma natus, nihilque magni ab eo non expectandum, videretur. In ejus prima ætate iis fuit artibus informatus, inſtructuſque, quæ Principem decent, magis exemplis, & uſu, quam præceptis, & diſciplina. Eductus namque fuit in Regia nequaquam otioſa, ac voluptuaria, ſed negotioſiſſima, belli, paciſque curis nunquam non implicita, atque intenta. Vix ex ephebis exceſſerat, quum ab Hiſpania in Siciliam tranſmiſit, longinquæ navigationis incommoda, periculaque expertus. In Sicilia porro continuo timore de ſe, ſuiſque, quorum fortunas, vitamque potentiſſimus, acerrimuſque hoſtis modis omnibus infectabatur, affici neceſſe fuit. In hoc tam dubio, difficilique ſuorum tempore primam Federicus exegit ætatem. Nec res meliore loco fuere, poſteaquam in poſſeſſionem Regni Jacobus frater venit. Nihilo enim remiſſius, quam parentes, bello ſeſe Jacobus, & Carolus II. perſequebantur; nihiloque minus, quemnam exitum foret illud habiturum, varii, qui nunc ſecundi, nunc adverſi intercedebant caſus, ſuſpenſos, ſolicitoſque tenebant animos: quibus quidem fortunæ caſibus, rebuſque dubiis a teneris aſſueſcere plus ferme momenti ad addiſcendam virtutem habet, quam exquiſitiores Philoſophorum doctrinæ.

Dum

(a) *Vide Cangium in ſuo Gloſſario verb.* Infans.

Dum res anno MCCXCI. in Sicilia hoc in loco erant, ab Aragonia de morte Alphonſi nuntius affertur, quæ illi ſeptem, & viginti annos nato, orboque ad XIV. Calendas Junias ſatis quidem immatura ſupervenit. Quod Pater teſtamento cavit, idem ſuo Alphonſus confirmavit, ut ipſo ſine liberis vitâ functo, ubi Jacobo Aragoniæ Regnum obveniſſet, Siculum Federico cederet *(a)*. Cognita morte Fratris Jacobus ad Aragoniam capeſſendam advolat, dato, qui interea loci Siciliæ præeſſet, Vicario Federico fratre; & in ea Conſtantia matre, & Jolanta ſorore relictis. Federicus ita pro Rege Regnum adminiſtravit, ut jam inde, quam & contra hoſtes ſtrenuus, invictuſque, & erga ſuos æquus, juriſque amator, futurus Princeps eſſet, ſatis ſuperque apparuerit. Extat Agrigenti literarum monumentum in lapide per hoc tempus in æternam memoriam inſculptum, in quo utraque hæc laus ei tribuitur *(b)*. Ob Jacobi diſceſſum minime a bello ceſſatum, & non ſine Andegavenſium detrimento; nam a Blaſco Alagona, clariſſimo apud Aragonienſes genere, & ſtrenuo in primis viro, cui ab Jacobo ſumma in Brutiis imperii, bellique adminiſtrandi permiſſa fuerat, amplificati ibi fines, reſque tam bene geſta, ut ob invidiam, quæ gloriæ comes fere plerumque eſt, majeſtatis poſtulatus, quod inducias fregiſſet, nummoſque cudiſſet, ab Jacobo in Aragoniam evocatus fuerit; quo profectus promiſſum Federico fecit, ubi ſe Regi ſtitiſſet, ac de criminibus, quorum arceſſitus fuerat, ſeſe expurgaſſet, in Siciliam revertendi. Jacobus vero, ubi Aragoniæ potitus eſt, nihil Patris, nihil Germani ſupremam veritus voluntatem, tantum abfuit, ut Federico fratri Siculum Regnum remiſerit, quin, ut Aragonium pacatum, ratumque a Pontifice maximo factum haberet, haud difficilem ad ſermonem de Sicilia Carolo II. concedenda inſtituendum ſeſe præbuit. Id, ubi Siculi reſcivere, habito conventu, de communi ſententia ad Jacobum oratum, obſecratumque miſere Legatos, ne gentem fide, atque obſequio de ſe, ſuiſque tam bene meritam, offenſæ, infeſtæque genti proderet; fratrem egregiæ indolis, ſibique morigerum, Regno privaret; tot, tantoſque labores a Patre, & ab ſe pro illo acquirendo, tuen-

(a) *Vide Monum. n. III.*
(b) *Vide Monum. n. IV.*

Digitized by Google

tuendoque exantlatos corrumperet, perderetque. Jacobus Legatis recipit, ſi Siciliâ ipſe cedere neceſſe haberet, omnem daturum operam, ut illa Federico fratri, ſi non alia ratione, dotis quidem nomine alicujus ex Caroli II. filiabus, ei in matrimonium obtinendæ, adjudicaretur; idque ut ex ſententia ſuccederet, ipſum non dubitaturum, quod in Brutiis occuparat, Carolo reſtituere, ac inſuper eidem Inarimen, Prochytam, & Capreas inſulas concedere. Verum, quum quantum Siculi ab Andegavenſium jugo abhorrere ſe planius profiterentur, tantum Carolus in propoſito illos in ſuam reducendi poteſtatem enixius perſtaret, ſpes, in quam Jacobus Siculos erexerat, ſe non commiſſurum, ut ipſi in Andegavenſium ditionem reciderent, eos deſeruit: nam Jacobus, quum otium ſibi, avitoque Regno, quod e re ſua potiſſimum erat, aliaque propoſita commoda, niſi Siciliæ Regno abdicato, neutiquam redimere ſe poſſe comperiſſet, pace ſecreto cum Carolo compoſita, pactaque ſibi cum ampla dote Blancha Caroli filia, ad Siciliam, oppida, & caſtella, quæ trans fretum occuparat, & una obſides, quos in Aragonia detinebat, illi reddendos ſeſe obſtrinxit, fide tantummodo a Carolo accepta, eum nullum Conſtantiæ matri, ac Federico fratri, eorumque fautoribus negotium exhibiturum *(a)*, Robertumque filium, Regni hæredem, Jolantam ſororem uxorem ducturum.

Hæc inter Carolum, & Jacobum, Federici, & Siculorum adeo ab re, tranſacta fuere, auctore Bonifacio, hujus nominis Octavo, qui Cæleſtino Quinto, ſua ſponte ſe Pontificatu abdicanti, anno MCCXCV. ſuffectus fuerat. Nihilo tamen minus Federicus, qui Siciliam procurabat, duxit non prætermittendum, quin illum ſalutatum, gratulatumque Legatos Manfredum Lanceam, ſummæ nobilitatis virum, quippe qui Regiam familiam cognatione attingebat, & Judicem Rogerium Hieremiam mitteret. Per hos legatos benigne acceptos, comiterque dimiſſos, ac per Bernardum ab Camerino, virum ab ſuo ſacello ſibi fidum, maximeque probatum, quem ad Federicum, tum Meſſanæ degentem, Bonifacius cum literis legarat, ei ſignificat, ſe cum eo de rebus ad Regis fratris, ad ipſius, ad Siculorum honorem, commodumque maxime pertinentibus colloqui cupere;

(a) *Vide Monum. n. V.*

re; & hac de cauſa pergratum ſibi fore, ſi ipſum, quam primum poſſet, ad Circæum in diem certam conveniret, ſecum Rogerium Lauriam, & Joannem Prochytam, alioſque probos viros adducendo, ipſum, eoſque, quos ſibi comites aſciverit, fide publica præſtandi incolumes data. Nominatim Pontifex maximus, ut una cum Federico ſe Lauria, & Prochyta convenirent, expetit; quod hi & muneribus, & virtute, & gratia, & meritis primas in Regno tenebant; Rogerius enim rei maritimæ ſuæ ætatis peritiſſimus, eximiuſque imperator, propter egregiam operam in bello Petro Regi præſtitam, Præfecti claſſis munere fungebatur, ac Caſtrileonis, Francævillæ, Acis, Lauriæ, Badulati, aliiſque cis, & trans fretum oppidis, caſtriſque potiebatur. De hujus patria Scriptores non conveniunt. Aliqui eum Brutium, Coſentiæ natum faciunt. Angelus Conſtantius Neapolitanus æque elegans, atque gravis auctor eum ſimpliciter unum ex primariis Siculi, ac Neapolitani Regni proceribus dicit. Joannes, quod præcipuus auctor fuit Gallorum cædis, quam Siculi conjuratione facta edidere, magnum gerebat Scribam (a); ac non pauca itidem in ſua ditione oppida, & caſtra habebat. Quod Federicus in colloquium cum Bonifacio veniret, Siculis nequaquam probabatur. Quoniam non ignorabant hunc, quam qui maxime, Andegavenſibus ſtudere, utpote qui opera præcipue, auctoritateque Caroli ad Pontificatum aſcenderat, verebantur, ne juvenem Principem ad aliquid tranſigendum eliceret, quod ipſis fraudi eſſet. Et Panormitani Magiſtratus (b), civeſque, quos Federicus, Pontificiarum

(a) *Id eſt Magnum Cancellarium. Magni Cancellarii munus erat unum ex ſeptem præcipuis muneribus aulæ Regum Siciliæ. Valebat auctoritate, dignitateque, quantum Scriba apud Macedones, de quo Scriba hæc a Cornelio Nepote in vita Eumenis tradita habemus.* Itaque eum habuit ad manum loco Scribæ, quod multo apud Graios honorificentius eſt, quam apud Romanos. Nam apud nos revera, ſicut ſunt, mercenarii Scribæ exiſtimantur. At apud illos contrario nemo ad id officium admittitur, niſi honeſto loco, & fide, & induſtria cognita, quod neceſſe eſt omnium conſiliorum eum eſſe participem. *Ad quem Nepotis locum hæc habet Longolius. Scribæ loco Plutarchus Ἀρχιγραμματέα, id ſonat Scribarum Principem, & Præfectum, cum quo Rex omnia etiam graviſſima negotia communicabat, fuiſſe prodit: talem hodie Cancellarium vocant.*

(b) *Bajulus nempe, & Judices, ut eſt in veteri Chronico Siculorum hujus temporis rerum, quod manu exaratum penes Joachimum Colbertum Montis Pessulani Pontificem, ſervabatur; & quod clariſſimi Martenius, & Muratorius, alter*

rum Litterarum exemplo ad eos miſſo, conſulere operæ pretium duxit, an e re ſua, Siculorumque eſſet ſe Pontificem convenire, nihil & per literas, & per Oratores Petrum Philoſophum, & Judices Nicolaum Maydam, & Philippum Caraſtonum ad eum Legatos, prætermiſere argumentorum, quibus ab colloquio, a Bonifacio propoſito, eum averterent: ipſum obſecrantes, ne ſe, ſuaque, remque Siculam, eorum inſidiis, technisque committeret, a quibus, quum niſi mala ipſe, ſuique nunquam non accepiſſent, ſibi in præſens quicquam promittere boni, parum cauti, providique hominis eſſet. Nihilo tamen ſecius, Federicus, ut alti erat, præſentiſque animi, & quod pietatem obſervantiamque ſuam Pontifici maximo probare, ejuſque ſibi gratiam conciliare par eſſe exiſtimabat, & quod morem Jacobo fratri, cui congreſſus iſte cordi erat, gerere, ſimulque mentem intelligere, conſiliaque Bonifacii, ad quæ ſua dirigeret, coram explorare, ſuis rationibus conducere arbitrabatur, Pontificem adire conſtituit. Meſſanâ itaque, Rogerio Lauria, & Joanne Prochyta, aliiſque compluribus proceribus eum conſectantibus, claſſe quadraginta longarum navium ſolvens Romanam petiit oram. Ad Circæum dicta congreſſionis die ſerius appulſus, quum Pontificem, quod ibi triduo fruſtra ipſum præſtolatus eſſet, Anagniam regreſſum cognoviſſet, iter eodem intendens ad quartum citra Velitras lapidem illum aſſequitur. Singularibus honoris, benevolentiæque ſignificationibus Bonifacius Federicum excipit. Commendat ſpeciem, dignitatemque oris; ſuſpicit ſummam in ætatis flore prudentiam; con-

ter in tomo tertio Anecdotorum, alter in decimo ſuæ collectionis Scriptorum rerum Italicarum edidere. Bajulus Panormi idem tunc erat, ac nunc Prætor, nomine Bajuli in illud Prætoris ex conceſſione Regis Petri II. noſtri Federici filii, per mutato, ut habetur in alio Chronico rerum Sicularum apud eumdem Martenium in eodem tomo tertio Anecdotorum, in quo hæc leguntur. Inter alia privilegia, & immunitates conceſſas dictæ Univerſitati Panormi per dictum dominum Regem Petrum, fuit conceſſum, quod ex nunc in antea Bajulus dictæ Urbis nominaretur, & vocaretur Prætor, prout antiquitus aſſueverat vocari. *Vide Cangium in Gloſſario verb.* Bajuli. *Verum in tabulario Panormitani Senatus extat legitimum inſtrumentum, ex quo liquet, non ſub Regno Petri, Federici filii, ſed anno MCCCXX. ſcilicet Federico ipſo regnante, Bajuli nomen in illud Prætoris non mutata re mutatum fuiſſe. Vide Monum. n. VI. Id ex eo confirmatur, quod omnes aliæ publicæ tabulæ poſt annum MCCCXX. exaratæ, Prætoris, non Bajuli titulum præ ſe ferunt. Quæ fuiſſent munia Bajulorum percipi poteſt ex titu-*

 lis

conjectatque jam inde, ut acri, exquiſitoque erat judicio, ſibi cum viro haud vulgaris ingenii, virtutiſque rem futuram. Eum armis tectum aſpiciens, ſe ejus, inquit, miſereri, quod tener adhuc, delicatuſque hoc onere prematur. Oculos inde in claſſis Præfectum, qui proximus aderat, conjiciens continere ſe nequivit, quin ei exprobraret mala, quæ Romano Pontificatui multa, & gravia intulerat, tantaſque Chriſtianorum, quas ediderat, ſtrages. Libere, ut vir militaris, reſpondit Rogerius, id ſane culpæ dandum ſuperioribus Pontificibus, eique ipſi; qui illorum in conſilio fuerat. Ad hæc Bonifacius nihil ſubjiciens, primum remotis arbitris, poſtea Præfecto claſſis, & magno Scriba aſtantibus, Federicum amice adhortatur ad Siciliam Carolo ex pacto inter hunc, & Jacobum convento, permittendam, ipſi, ſi in id ſuam conferat operam, uxorem Catharinam gnatam unicam Philippi Curtiniacenſis, neptem Balduini Orientis olim Cæſaris, Carolique conſobrinam, cum ampla dote, & jure quoque Imperium illud recuperandi, ac ſtipulatis in hujus expeditionis ſumptus decem millibus octigentis triginta tribus auri pondo cum triente quadriennium a Pontifice, & a Carolo numerandis, Siculis vero veniam, impunitatemque, æquiorem, commodioremque imperii conditionem, inſuper immunitates, & beneficia, quæ ipſi maxime excogitare poſſent, pollicitus. Catus regius juvenis ad hæc ſpecioſa dictu promiſſa, quamvis oſtentata ampliori imperii ſpes, propoſitumque cum pulcherrima, ut fama ferebat, regia puella conjugium animum ejus nonnihil titillaſſent, id tamen unum in ſe recipiens, ſe ea collaturum cum Siculis, ſeorſum a quibus nihil deliberare, ac conſtituere, quod ipſe præſtare poſſet, ſibi integrum foret, in Siciliam remeat. Rumor fuit, ut quidam auctores ſunt, ex colloquio, cum Federico habito, illud emolumenti, ſi tamen utile ſit, quin idem non ſit honeſtum, Bonifacium retuliſſe, quod Rogerium Lauriam eximiæ quidem virtutis, ſed non minoris ambitionis virum, clam ei Menyncem (a), & Carchim (b) inſulas, aliaque commo-

lis 65. 66. 67. 68. 70. 71. *lib.* 1. *Conſtitutionum Regni Siciliæ*.

(a) *Parva inſula* Gerbes *vulgo dicta in Africa, Tripolis oræ quamproxima. Putatur* Lotophagitis *Ptolomæi*, *Myrmex Polybii*, & *Menynx Strabonis*, & *Plinii. Vide Thomæ Cornelii Dictionarium Geographicum.*

(b) *Parva inſula, ſed admodum fertilis, in mari mediterraneo ad occidentem inſu-*

moda large, effuſeque offerendo, ab Federico abſtractum, in ſuas, Carolique partes jam tum pellexerit, quamvis, ut dictum eſt, tot oppidis ex Aragonienſis familiæ beneficentia Rogerius potiretur, in quibus haud vulgari ea tempeſtate beneficio merum, & miſtum exercebat imperium; ac muneribus auctoritateque in Sicilienſi aula primum locum obtineret. Hæc fama vera ex eo videri poſſet, quod tandem Rogerius, ut infra patebit, a Federico deſciverit. At falſam arguit ſtudium, quo is per aliquod poſt Pontificem conventum, & haud quidem breve temporis ſpatium, Federici rebus favere non deſtiterit, niſi ipſum egregium ſimulatorem, imo proditorem credere velimus. Fieri quoque fortaſſe potuit, ſi tamen ſubleſtæ fidei ſuſpicionem in Pontificem maximum cadere poſſe fas eſſet cogitare, ut Bonifacius Rogerium ad defectionem nequicquam ſolicitarit, ipſeque tunc in officio permanſerit. Federicus curſum haud recta in Siciliam tenuit, ſed Inarimen tetigit. Ibi quum conſiſteret, ei obviam ſeſe dant Gilibertus Cruillius, & Guilelmus Durfortius, nuntii a Jacobo fratre ad eum miſſi, qui ipſum ad pacis conditiones, a Pontifice oblatas, æqui bonique faciendas inducerent. At incaſſum; nihil enim aliud, quam quod Pontifici dederat, reſponſi ab eo auferre potuerunt. Ab Inarime Federicus in Siciliam vela facit, Mylaſque deſcendit, quo ei obviam Conſtantia mater, & Jolanta ſoror occurrunt. Famam interim, quæ de obfirmata mente Pontificis, & Jacobi, Siciliæ in Caroli ditionem redigendæ manarat, tanta in Sicilia animorum conſequuta eſt perturbatio, ut Joannes Prochyta, Matthæus ab Thermis, Manfredus Claromontius, aliique non pauci, quo a partium ſtudio liberos, a motibus populi tutos ſeſe præſtarent, Aragonienſes, Catalaunique præſertim, & inter hos Raymundus Alamanus Cerbellonius, unus ex principibus, qui in Siciliam ex Hiſpaniis commigrarant, ne parum dicto audientes Jacobo viderentur, in mediterranea caſtella receſſerint, ut ibi, quo res evaſura eſſet, expectarent, quodque conſilium ſibi capiundum foret, decernerent. Univerſa autem gens, ubi ſe ab Jacobo neglectam, ac de-

ſulæ Rhodi inter inſulam Carpathum, & promontorium Crio, quod in Natoliæ ora exurgit. Vide Mary Dictionarium Geographicum.

deſertam, a Pontifice oppugnatam ſenſit, nullam aliam inviſæ dominationis declinandæ rationem ſibi ſupereſſe exiſtimavit, quam in vacuam Regni poſſeſſionem Federicum mittere, cui & jus certum ex paterna lege in illud ſuccedendi, & ſatis virtutis ad idem tuendum inerat. Eum proinde in conventu, ipſis in Mylis continuo cogendo, Regem renuntiare ſtatuit. Nec ad hujuſmodi conſilium explicandum ulla quidem interjecta mora fuiſſet, niſi Conſtantiæ placuiſſet ob caritatem, qua filios complectebatur, metumque, ne diſcordia, perniciosum cunctis, fœdiſſimum fratribus malum, inter eos erumperet, priuſquam Federicus Rex declararetur, Oratores ad Jacobum legandos, qui ejus animi ſenſus, etſi illos nuntii, ab eo pridem ad Federicum miſſi, ſatis aperuiſſent, ex ipſiuſmet ore exprimerent; rogarentque, ut caſtra, munitaque loca omnia cuſtodienda indigenis tranſderentur. Ad hanc obeundam legationem delecti fuere duodecim nobiles, ſpectatiſſimique viri, Joannes Calatagironius, Hugo Talachius, Thomas Guilelmus, Gualterius Fiſaula, & Petrus Philoſophus Panormitani, Federicus Rubeus miles, Rogerius Hieremia Jureconſultus, Pandulphus Falconius miles, Cataldus Rubeus, Sanctorus Biſala, & Gualterius Bonifacius Meſſanenſes, & Henricus Lancea (a). Quoniam de re publica, & ea permagni ponderis, agebatur, id circo non uni, aut alteri, ſed pluribus, & iis varii ordinis, & diverſarum Civitatum hæc legatio concredita fuit.

Pontifici maximo interim ſatis non fuit Federicum ad Siciliam dimittendam ſplendidis, quas ſupra expoſuimus, coram pellicere pollicitationibus; ſed, quum eum non tam imprudentem cognoviſſet, ut pro incerta ſpe, rem certam amittere in animum inducere poſſet; dubitaretque propterea, ne is cauſa eſſet, cur Siculi Andegavenſe impe-

pe-

(a) *Quos recenſuimus ad Regem Jacobum Legatos, non omnes ab omnibus æqualibus illius temporis ſcriptoribus enumerantur, ſed quidam ab uno, alii ab altero. Nos in unum collegimus quotquot nominatos apud illos invenimus, rati neminem ipſorum imponere lectoribus voluiſſe, ſcribendo fuiſſe legatos, qui revera tales non fuerint; ſed quod horum numerus apud aliquos major, minor apud alios, & non eadem apud omnes eorumdem nomina habeantur, ex eo factum, aut quod caſu illos tantum quis retulerit, qui ſibi memoriæ cognitionique occurrerint, aut quod de his aliquis conſulto ſolum mentionem facere voluerit, quos memoratu digniores, cæteris prætermiſſis, ipſe judicarit.*

perium tantopere averſarentur, hos ſeparatim tentare, ſollicitareque operæ pretium duxit. Allegavit igitur in Siciliam duos ſacros viros Franciſcanæ familiæ, qui eloquentiæ, ſanctimoniæque opinione præſtabant, ut optimates, plebemque exhortarentur ad pacis Carolum inter, & Jacobum Reges initæ conditiones accipiendas, quo diris, queis miſere devinciebantur, ſeſe ſolverent, inque matris Eccleſiæ gratiam, gremiumque aliquando redirent, polliciti Pontifici curæ futurum emendare, ſi quid iniqui, aut incommodi, temporum vitio in Siculam rem fuerit illapſum. In hos legatos, ut Mylas, ubi Federicus cum Conſtantia matre, & Jolanta ſorore adhuc morabatur, deſcenderunt, tanto furore populus irruit, ut, niſi navim mature repetiviſſent, eos plane oppreſſiſſet.

Si Pontificis legatis res male in Sicilia cedit, haud melioribus ominibus ſuam obituri, Ilerdam, ubi Rex Jacobus ſponſam una & Carolum ſocerum, ac purpuratum Pontificis maximi Nuntium opperiebatur, Legati Siculi veniunt. His Jacobus poſt longas ambages palam demum facit, ſe Siciliam Carolo pro pace aviti, & in quo natus erat, Regni, remiſiſſe; ideoque eis nihil aliud habere quod reſpondeat, ac mandet, niſi ut ſuis denuncient, fidei ſacramento, quo ſibi dicto tenebantur, ſolutos ſeſe habeant, Carolumque ex ſuo, & Pontificis maximi, judicio Regem agnoſcant. Legati iniquis, & animis, & auribus dicta hæc accipiunt; caſum Patriæ per Cataldum Rubeum, qui cæteros eloquentia anteibat, triſti adeo, flebilique oratione deplorant, ut qui præſentes adſunt tenere lacrumas nequeant. Conqueruntur Siculam gentem de Aragonia Regia familia tam benemeritam ab eo, a quo deſeri minime omnium oporteret, iræ, vindictæque tam inſigniter læſæ gentis inopinato prodi, ſatius Inſulæ eſſe affirmantes Ætnæ ignibus obrui, aut mergi freto, quam veluti dedi noxæ inimico. Declarant Siculos non poſſe non horrere, quod Siculo Regno ea perfruatur ſtirps, quæ eorum ſobolem, qui illud tanta cum gloria conſtituerant, extirpare enixa fuerit. Adjiciunt ſuam gentem quamvis ſubituram fortunam, ſeque cujuſvis barbari Principis ditioni permiſſuram potius, quam Gallorum jugum, moreſque vel per unum toleraturam diem. Petunt a Jacobo, ſi aliud exorare non poſſint, ut quæ mandata ipſis voce dederat, ſcriptis literis confirmet, unde omni liqueat tempore, ab eo Siculos deſertos fuiſſe, non Siculos ab ipſo deſciviſſe. His datis literis, Jacobus collaudata in ſuam familiam Siculæ gentis fide, eidemque Conſtantia matre, & Jolanta ſorore commendatis,

tis, illos dimiſit, profeſſus de Federico fratre, nihil eſſe ſolicitum, quod, quum noſſet ei non conſilium, non virtutem deeſſe, non dubitabat, quin quod pro tempore, & pro re ei facto eſſet opus, eſſet ipſe facturus. Contra Legati coram omnibus, quotquot Aragoniæ Regni aſtant, principibus, militibuſque, teſtantur, Siculos fidei ſacramento, quo erant Jacobo obſtricti, eſſe jam exſolutos, eiſque alium creandi ſibi Regem, qui amanter ipſos gubernaret, fortiterque defenderet, factam poteſtatem. Ad hæc Jacobus nihil abnuens, eos benigne dimittit. Ipſi vero triſtes, demiſſique ab aula digreſſi, extemplo diſciſſis, depoſitiſque holoſericis purpureis veſtibus, ac pullis ſumptis togis, ſuæque legationis actis in publicas relatis tabulas, in Siciliam renavigant, albis in nigra mutatis velis, totiſque ad luctum navibus compoſitis. Uſi ſunt tam adverſa, periculiſque plena navigatione, ut Sanctorus Biſala in Provinciæ oram tempeſtate diſpulſus, in manus hoſtium ceciderit: quem captivum, de patria optime meritum civem, Meſſanenſes pro amore, quo ſuos complectuntur, ut primum facultas eis data fuit, pretio redemerunt. Cum legatis in Siciliam remigravit Blaſcus Alagona, quo fidem Federico, ut ſupra memoravimus, de ſuo in Siciliam reditu datam ſolveret, ſe ab Aragonia fuga ſubtrahere coactus; quod, & ſi calumnia ſeſe expedierat, abeundi tamen copiam a Jacobo impetrare neutiquam potuerat. Alagona & legati exſcenderunt Panormum, quo Federicus redierat. Conſtantia vero mater, & Jolanta ſoror Meſſanam ſe receperunt.

Rex Jacobus non ſatis habuit per legatos, quos Siculi ad eum miſere, apertiſſime, & verbis, & literis declaraſſe hanc ſibi eſſe mentem, ut ii in Andegavenſium ditionem redirent: quo magis magiſque fidem ſuam Pontifici maximo, & ſocero Carolo probaret, Orgelenſium Antiſtitem, & Joannem Pereſium Navalium in Siciliam legavit, qui idem ſuo nomine Siculis coram confirmarent, dato iis mandato, ut, priuſquam Siciliam adirent, Pontificem maximum convenirent, eumque de re gerenda conſulerent. At, quum ex Jacobi verbis, & literis, quæ legati domum regreſſi retulere, nullus Siculis de ejus mente dubitandi locus relinqueretur, in Concilio (a) Dy-

(a) *Quæ Parlamenta vulgo dicuntur Latinis vocibus* Concilii, Conventus, Comitiorum *expreſſa a nobis intelligantur*.

Digitized by Google

Dynaſtarum (*a*), ac Procuratorum civitatum, oppidorumque Mazarienſis regionis, Panormi habito, deliberatum fuit, haud cunctandum totius gentis conventum convocare, in quo Federicus legitimus Siciliæ Rex renunciaretur, ad unum omnibus quidvis perpeti, ac facere potius, quam Andegavenſium iterum jugum ſubire, paratos ſe profitentibus. Indictus conventus fuit, Catinæ habendus, ad XVIII. Calendas Februarias inſequentis anni, milleſimi nempe ducenteſimi nonageſimi ſexti per literas ipſius Federici, qui Regnum, ut demonſtratum eſt, vicaria poteſtate adminiſtrabat. His literis præſcribebatur, ut non unus, aut alter, ut mos erat, ad hunc conventum ab unoquoque communi, ſed tres procuratores mitterentur virtute, nobilitate, ſapientia, opibus præſtantes, plena, legitimaque ad id, de quo erat agendum, auctoritate muniti. Et quo conventus iſte pro magnitudine, dignitateque rei, de qua deliberandum erat, non modo majore, qua poſſet, frequentia, ſed & ſummorum hominum ſplendore celebraretur, communique expediretur conſenſu, ad eum per Rogerium Lauriam, & Vinciguerram Palicium genere, & eloquentia clarum, acciti quoque fuere Raymundus Alamanus Cervellonius, cæterique Aragonienſes, & Catalauni, & alii, qui, uti docuimus, ſeſe in mediterranea caſtella receperant.

Ut Carolus Rex accepit, Siculis jam deliberatum eſſe, ac conſtitutum, Regem ſibi Federicum ſumere, Pontificem maximum Anagniam, ubi adhuc commorabatur, rogatum contendit, ut Siculorum conſiliis tempeſtive occurreret. Commodum adventus Caroli in legatorum incidit adventum, quos in Siciliam Jacobus, ut demonſtravimus, miſerat. His itaque Pontifex comitem addidit Bonifacium Calamandranum (*b*), Equitum Hieroſolymitanorum Magiſtrum (*c*), virum

(*a*) *Dynaſtarum, Procerum vocabulis* Barones, *quos nos appellamus, explicati accipiantur.*

(*b*) *Sic vocatur ab Nicolao Speciale Scriptore illorum temporum æquali. Fazellus eum appellat* Calamandrum. *Alii dicunt a* Calamandra.

(*c*) *Ita eum Surita nominat, & non magnum Magiſtrum, ut apud Giannonium. Calamandranus enim inter magnos Magiſtros numeratus minime invenitur; & tunc temporis, qui nunc Priores dicuntur, Magiſtros nuncupatos fuiſſe cum ex diplomate Reginæ Conſtantiæ anni MCXCVI. quod videre eſt apud Andream Minutolum in Memor. M. Priorat. Meſſan. f. 8. liquido apparet, tum ex eo pro-*

Digitized by Google

rum callidum, facundum, atque in majoris momenti legationibus verſatum, qui una cum legatis Regiis omnia pertentaret, omniaque experiretur, ut Siculos ad ſe Caroli imperio ſubjiciendos, Federico deſerto, induceret, datis ad id Pontificiis ſubſcriptis, ſignatiſque tabellis, in queis ſcribere poteſtas Calamandrano eſſet quicquid impunitatis, immunitatum, beneficiorum Siculi ſibi vellent conceſſum. Vix Calamandranus cum ſociis Meſſanam applicuit, quum Meſſanenſes ad morem Pontifici gerendum nihil eis Pontificis nomine, Pontificias exhibendo literas, non pollicitus, ſolicitare aggreditur. At apud Meſſanenſes, auctoribus præſertim Rogerio Lauria, & Vinciguerra Palicio, qui tum Meſſanæ verſabantur, dicti illius non ignaros, *pollicitis divitem quemlibet eſſe poſſe, timendoſque Danaos, & dona ferentes (a)*, nihil omnino promovet; quin Petrus Anſalonius, acris, magnique animi vir, Calamandranum convenit, ac ſine verborum ambitu ei denuntiat, Siculos jam Federicum ſibi Regem deſtinaſſe, quippequem ad Regnum ex præſcripto Patris vocatum; hiſque dictis educto, ſtrictoque gladio, concludit Siculos non chartis, ſed armis pacem quærere; eique, niſi illico e Sicilia abeat, mortem edicit. Ad quæ Calamandranus nec hiſcere auſus, in navigium cum collegis refugit, ac confeſtim e portu ſolvit.

Hic novus Pontificis maximi, & Caroli conatus quaſi calcar Siculis admovit ad Federicum ſolemniter Regem pronunciandum. Stata igitur, quam diximus, die, qui ex tribus Regni ordinibus ſacro, equeſtri, & civili jus ſuffragii in Comitiis habebant, Catinam, quo Panormo ſe Federicus contulerat, in maximam ſacram ædem frequentes convenere: & vix Rogerius Lauria claſſis Præfectus juſtum, & hæreditatis jure & populi voluntate Federicum Siciliæ Regem declarandum ſalutandumque propoſuit (*b*), quum in eamdem ſen-

probatur, quod, qui cuncto huic tam illuſtri Equitum Ordini præſidet, magnus Magiſter etiamnum appellatur.

(*a*) *His verſibus Ovidii, & Virgilii utitur hoc in loco Specialis, & quidem ſatis appoſite ideoque eoſdem & nos uſurpare non alienum duximus.*

(*b*) *Sub idem tempus, quo Siculi Regem Federicum ſalutarunt, Philippus Pulcher, Galliarum Rex, Belgium vi ſubegit. Unde Turſellinus in ſua Hiſtoriarum epitome ſcite quidem, ſed non vere hæc habet.* In Sicilia populorum voluntas vim

ſententiam primum a Vinciguerra Palicio, tum ab Matthæo ab Thermis, a cæteris deinceps, qui in concilio aderant, tanto animorum impetu, tantoque ſtudio itum, ut Federicus non ſuffragiis, ſed vi ad regnum raptus quodammodo viſus fuerit. Rege itaque, uno quaſi ore appellato, eique fidei ſacramento dicto, die, qua more majorum ſolemni ritu Panormi inauguraretur, coronareturque, ad VIII. Calendas Aprilis indicta, conventus dimittitur. Et Rex Catinenſibus vectigalium, quæ eis Carolus Andegavenſis impoſuerat, immunitate donatis, Panormum pedibus contendit, populis, qui ad eum ſpectandum undique, quacumque iter fecit, turmatim confluebant, ei acclamantibus, ac fauſta omnia precantibus, ipſo quidem cum animo volvente, ſe talem præbiturum populis oportere, ut eos ſpes, quam de ipſo conceperant, minime fruſtraretur. Etſi Federicus Secundus nominandus erat; propterea quod præter Federicum Imperatorem, qui hujus nominis in Sicilia ante ipſum regnaſſet, alius non numerabatur, attamen & tertius nuncupatus invenitur, vel quod minime animadverſum fuerit, Federicum Imperatorem, & eumdem Siciliæ Regem, non ut *Siciliæ* Regem, ſed ut Imperatorem fuiſſe, ſecundum dictum, vel quod *hic* noſter ex Aragoniæ Regum ſtirpe tertius *Siciliæ imperitaverit*. Lætitiam ob Federicum Regem renuntiatum luctus ob mortem *Petri*, ejus fratris, qui Guilelma Montecatena, Bernæ Vicecomitis *filia* uxore ducta, poſt annum e vita in Aragonia per hoc tempus deceſſit, excepit.

Ubi ex ſuis legatis Rex Jacobus compertum habuit Siculos niſi vi ad Carolum recipiendum adduci non poſſe, ſibique propterea Federicum fratrem jam *Siciliæ* Regem declaratum, bello ex conditionibus cum Pontifice maximo, & Rege Carolo conventis, perſequendum, proceres, militeſque Aragonienſes, & Catalaunos, quo horum præſidio Siculos nudaret, e Sicilia revocavit. Horum aliqui, qui *in* Aragonia bonis, magiſtratibuſque fruebantur, ut præ cæteris Raymundus Alamanus Cervellonius, & Berengarius Villaragutius, Regi dicto audientes, ſe ab Sicilia illico ſubduxere; plures vero, quod

vim juris obtinuit; in Flandria vis pro jure fuit. *Nam Federicum & populorum voluntate, & jure in Siculi Regni poſſeſſionem veniſſe demonſtratum eſt.*

quod Jacobus contra contumaces læſæ majeſtatis pœnam non ſanxerit, remanſere, fidelemque operam Federico navarunt, auctoritate moti Blaſci Alagonæ. Is eis ex patriis legibus oſtendit Aragonienſium, Catalaunorumque conditionem liberalem eſſe, non ſervilem; regnum Siciliæ certo jure ad Federicum pertinere; proindeque ab eo facere ipſis crimini dari non poſſe; Jacobi, quod illo ſe abdicarit, nihil quis ejus potiretur intereſſe; credendum potius, ei non poſſe non iri animo probatum, germanum fratrem, & non aliquem ex gente, ſuæ ſemper inimica, infeſtaque, tam nobilem regionem, ac tanta ſuorum virtute quæſitam, atque conſervatam obtinere; quod Jacobus ipſos juſſerit ab Sicilia excedere, eo ſpectare, ne ipſe rerum, quæ in Sicilia gererentur, particeps ullo modo videretur. Quum Alagonæ Hugo ab Emporiis, vir & ipſe conſilii plenus, & ſummo loco natus, & in Aragonia rem, dignitatemque obtinens, eſſet aſſenſus, reliqui in eamdem manendi in Sicilia, Federicoque ſtudendi, ſententiam libenti, alacrique animo diſceſſerunt.

Ut præſtitutus advenit dies, in quem anno illo, & Beatæ Virginis, ab cæleſti nuntio Dei Matris renunciatæ, & Domini glorioſi in vitam reditus ſolemnia incurrerunt, fuit Federicus, viginti quinque tum natus annos, in Principe Panormitano templo de more ſolemni ritu Rex Siciliæ, Dux Apuliæ, ac Princeps Capuæ, ſalutatus, & ab Ticio Collio Panormitano Antiſtite (a) ſacro unctus oleo, coronaque redimitus, tanta Pontificum, Procerum, populique celebritate, tantoque gaudio, ac apparatu, ut nihil ſupra. Viæ myrto ſtratæ. Templa, fora, porticus, plateæ, vici, cæteraque urbis loca, & publica, & privata aulæis, quæ cuique magis pretioſa erant, ornata. In maxima ſacra æde tot accenſi in pervigilio cerei, ut ea conflagrare videretur. Urbs tota clangore tubarum, tympanorum, nabliorum, & ſiſtrorum ſonitu, lyræ, citharæ, omnique alio ſympho-

(a) *Joannes Villanius in ſua Florentina Hiſtoria lib. 8. cap. 13. falſo tradit Federicum coronam accepiſſe ab Pontifice Cephaleniæ. Sic enim ipſe ſcribit, ſed ſcribendum utique erat* Cephaledis. *Aſt, non Federicus, ſed ejus frater Jacobus fuit ab Juncta Cephaleditano Pontifice coronatus; unde Villanii exteri Scriptoris error forſitan manavit, fratrem cum fratre, ſucceſſorem cum deceſſore confundendo.*

phoniarum, cantuſque genere perſonabat. Ludi, ludicræ pugnæ, aliaque ſpectacula edita. Ne multa, nihil reliqui factum, quod communem plauſum, gaudiumque ſignificaret. Et hæc non ſolum Panormi; ſed & non fuit totà inſulà locus, qui in hoc principem urbem non ſit pro ſua quiſque facultate æmulatus, ita ut tota Sicilia exultare lætitià viſa fuerit. Quod Siculi proprium Principem haberent, & cum ætate florentem, cui nulla corporis, nulla dos animi deerat, apud ipſos eductum, atque adultum, qui proinde Siciliam ut ſuam patriam adamaret, ipſi eum ut ſuum civem haberent, tanta inſuper virtute, tantoque conſilio præditum, ut rem Siculam non tutari modo, ſed augere quoque potis eſſet, ſatis ſibi gaudere, ſatiſque gratulari non poterant. Federicus jam inde a ſui imperii initio tam munificum ſe præbuit, beneficiis, immunitatibuſque cum in civitates, tum in ſingulos collatis, ut jam non ſolum de eo bene ſperare, ſed etiam confidere populi poſſent, talem futurum, qualem cognitum judicarunt. Eodem ipſo die, quo inauguratus Rex fuit, tercentos cingulo militari, quod ea tempeſtate ſummo in honore ponebatur; aliquot Comitis, & Baronis, ut dicitur, titulis honeſtavit; non unum, & alterum caſtris, pagis, prædiis vectigalibus donavit. Vectigalia itidem Blaſco Alagonæ Salemis honeſtum, & Calataniſſettæ amplum oppidum, quod juris erat Raymundi Alamani Cervellonii, Petro Lanceæ cum Comitis dignitate conceſſit. Eo enim jure Alamanus deciderat; quia, uti antea dictum eſt, ab Jacobo in Aragoniam evocatus, veritus, ne ſi refragaretur, in illius offenſionem incurreret, unaque bonorum, quæ ibi poſſidebat, jacturam faceret, e Sicilia ſe proripiens, eo remigrarat. Inſignia familiæ Regum Aragoniæ erant olim tantum baculi. Alphonſus, bipartità ſtemmatis areà, baculis in uno laterum relictis, aquilam, quæ ſignum maternæ Suevæ gentis fuerat, in altero adjunxit. Federicus regno potitus, conſtituit, ut integrà areá ad decuſſis figuram redactà, ſuperior, inferiorque rubri coloris pars baculos flavos, latera albi coloris hinc illinc nigras exprimerent aquilas. Quo facto, ut doceret ſeſe nihil non commune cum Siculis velle habere, eadem, quæ ſua, Siciliæ inſignia fore juſſit: quod ad hanc manet diem, manebitque pene ſingularis hujus inclyti Regis adverſus Siculos amoris, honoriſque monumentum ſempiternum.

Quod Princeps ſibi adminiſtros aſciſcat, qui ipſi domi, militiæque

Digitized by Google

que fidele, prudenſque conſilium, utilemque præſtent operam, permagni ſua, reique publicæ intereſt. Id egregie Federicus intelligens ad publica munera præſtantes elegit viros. Imperium claſſis Rogerio Lauriæ, Magni Scribæ munus Joanni Prochytæ prorogavit. Præficit juri dicundo, criminibuſque vindicandis Conradum Lanceam. Qui ſibi præſto eſſent in bello gerendo, rebuſque militaribus adminiſtrandis, legatos ſibi cooptavit, equitum magiſtros, Blaſcum Alagonam, Guilelmum Calcerandum, & Arnaldum Pontium Hieroſolymitanum Equitem, Sanctæ Euphemiæ Priorem. Compluribus enim ad bellum miniſtris Federico opus erat; ſiquidem non ſolum *Sicilia*, *Melita*, Coſyra, ſed hoſtilibus incurſionibus proximiores quoque, opportunioreſque Lipare, Inarime, Prochyta, Capreæ inſulæ, ac Brutiorum pars in ejus erant ditione, & bellum non timebatur, ingruebat jam, tum ad id, quod tenebat, tuendum, tum ad reliquum, quod juris *Siciliæ* Regum trans fretum erat, recuperandum; eumque haud præteribat in bello conſilia non ſequi, prævertere caſus oportere.

Interea vero, dum copiæ, pecunia, navigia, aliaque ad bellum idonea expedirentur, perſuaſum ſibi Federicus habens, nullo unquam tempore Principi otiandum, Principique ne otium quidem unquam otioſum eſſe oportere, comitia Panormum coegit, in quibus leges rogarentur, ſancirenturque, quas illud reipublicæ tempus poſtulabat. In his comitiis, actis ab Rege Deo optimo maximo, per quem Reges regnant, gratiis, collaudataque Siculorum in ipſum fide, atque immunitatibus, beneficiiſque, in eos a ſuperioribus Regibus collatis, ratis habitis, itemque præſtito ſacramento Regni tuendi, ab eo non recedendi, nec de bello, paceque, ne cum Pontifice quidem maximo, ignaris, invitiſque Siculis, agendi, hæc notatione digna conſtituta fuere, ut ſingulis annis coram Rege conventus Dynaſtarum, ac Communium Syndicorum, ad inquirendum in Magiſtratus, Magiſtratuumque miniſtros, eoſdemque, ſi qua in re ab officii religione declinaſſent, puniendos, haberentur; ut in hoc conventu duodecim cognoſcendis, judicandiſque ſine provocatione Dynaſtarum criminibus nobiles prudenteſque viri crearentur; ut quotannis quatuor itidem nobiles, non ambitioſi, ſed ſpectatæ virtutis Siculi legerentur, qui toto Regno, Panormo, & Meſſana exceptis, judiciis exer-

exercendis, maleficiiſque caſtigandis præſſent (a), eis, eorumque judicibus, & Scribis juſtâ de ærario mercede numerandâ, quo nullam haberent excuſationem, ſi incorruptos non ſe præſtarent: ut inferiores Judices, qui ultra duos menſes judicia prolatarent, ſi magnæ Curiæ Judicibus juſtam habuiſſe procraſtinandi cauſam non probarent, ab Judicis munere in perpetuum repellerentur: ne Magiſtratus, Judiceſque in rerum capitalium quæſtionibus ab reis abſolutis aliquid triceſimæ, vel alio nomine exigerent, reciperentque: ut ad lites, quoad fieri poſſet, tollendas, judiciaque reſecanda, ſuas actiones cum civiles, tum criminales etiam poſt litem conteſtatam reis componere, nullo jure aliquid proinde exigendi Curiæ acquiſito, integrum eſſet: ut in poſterum inquiſitiones nec generales, nec peculiares, quæ publicæ diſciplinæ cauſa inſtitutæ, in populorum vexationem, iniquarumque exactionum occaſionem evaſerant, a municipalibus Magiſtratibus agerentur: ut, ne ſalus civium perturbatis illis temporibus improborum calumniis pateret, præterquam Regi, nemini de perduellione nomen alicujus deferendi facultas eſſet: ut de publicatis perduellium bonis, his viventibus, innocenti uxori pro modo facultatum alimenta ſuppeditarentur, vitâ functis, dos reſtitueretur, liberiſque, ſi fœminæ, propter infirmitatem, pudoremque ſexus ſufficerentur tantum alimenta, ſi mares neque hæc quidem, ut, ſi minus ſui, filiorum ſaltem caritas, quæ potior eſſe ſolet, parentes a tam inſigni, perniciosoque malo abſterreret: ne urbes deformarentur, ſuaque agris conſtaret amœnitas, cujuſque etſi atrocis, flagitii rei, quandoquidem homines, & non res delinquunt, nec domus diruerentur (a), neque horti, vineæ, arbuſta evellerentur, vel quoquo corrumperentur pacto: ut unuſquiſque ab quem-

(a) *Intellige Juſtitiarios, ut tunc vocabantur, ſive Capitaneos, ut nunc dicuntur.*

(b) *Propter atrociora facinora, & potiſſimum propter majeſtatis crimen reorum domus ſolo æquabantur, ut areæ indicium oppreſſi nefarii ſceleris ad memoriam ſempiternam turpitudinis eſſent. Quod apud Romanos in uſu fuiſſe ex Tullii oratione pro domo ſua conſtat, ac etiam apud Carthaginenſes, qui, ut ſcribit Cornelius Nepos in vita Hannibalis, hujus, quod clam in Syriam ad Antiochum profugiſſet, bona publicaverunt, domum a fundamentis diſjecerunt.*

Digitized by Google

quemquam contumelioſe Guelfum, proditoremque appellando ſeſe contineret (*a*): ut Calendis Septembribus vigiles ad annum deſignarentur, qui noctu urbem, oppidumve obeundo excubias agerent, certà in eos conſtitutà pænâ, qui ab his vigilibus intempeſta nocte ſine lumine intercepti eſſent: ut ſacri homines ex bonis, quæ ipſis aliunde, quam ex Sacerdotiis, vel religionis muneribus, obveniſſent, tributa, quo reliquos levarent cives, conferrent: ut prædia urbana, vel ruſtica in rem ſacram teſtamento relicta, donatave, niſi intra certum temporis ſpatium venum irent, a Principe, vel a Dynaſtis, in quorum ditione jacerent, repeti, nullo ſoluto pretio, poſſent: ut nautis propter laborioſam, periculoſamque eorum conditionem, a die, qua domo ad claſſem ſe conferrent, ad diem, qua claſſis ſolveret, mercedis pars, dimiſſis integra, quoad domum ſe referrent, numeraretur: ut nihil a quoquam eo nomine exigeretur, quod pecus tranſiens per prata, nemora, aliave paſcua loca, cujuſcumque ea ſint, depaſtum biduum fuerit (*b*). Non erat ad illam diem in Sicilia certa communis menſura, certum commune pondus; unde non parum incommodi commercio obveniebat. Primus Federicus lege in hoc conventu rogata, menſurarum, ponderumque modos (*c*) pro variis regionibus ſic, quod adhuc obtinet, præſcripſit, ut univerſa citra flumen falſum regio uteretur menſura, quæ Syracuſanis, pondere, quod Meſſanenſibus in uſu erat; omnis vero ultra hoc flumen regio (*d*) menſuram adhiberet, ac pondus, quæ Panor-

(*a*) *Factiones Gibellinorum, & Guelforum per multos annos olim Italiam dilaceraſſe, Guelfoſque dictos, qui e partibus Pontificis maximi erant, qui contra Gibellinos, ſatis ſuperque nota res eſt. In Sicilia ſemper valuit factio Gibellinorum, præſertim poſt rejectam Gallorum dominationem. Hæc lex perturbatis illis ſtudio partium temporibus apprime accommodata erat.*

(*b*) *Id eſt nihil exigatur jure paſculi, ſive carnagii, ut tunc temporis dicebatur. Jus* carnagii *enim erat id, quod pendi debebat pro pecoribus, armentiſve, quæ in alienis ſilvis, & pratis paſcebantur, a voce* caro, *quæ apud Scriptores Latino-barbaros, auctore Cangio, animal ſignificat, differtque ab herbagio, quia herbagium proprie denotat id, quod exolvitur pro herbis ſuccidendis.*

(*c*) *Nempe tuminum, ſive tumulum, & cantarium, ut tunc dicebatur, & nos dicimus.*

(*d*) *Pervulgata erat apud majores noſtros diviſio noſtræ Inſulæ in regionem, quæ citra*

normitani uſurpabant, menſuris aquilâ, quod inſigne Suevæ maternæ ſuæ gentis, ut demonſtravimus, erat, gratis inurendis. At nihil inſigne magis, magiſque utile fuit his in comitiis ſtatutum, nihilque, quod Federiei beneficentiam poſterorum memoriæ magis commendarit, quam quod ipſe de vectigalibus prædiis, quæ feuda nos dicimus, in eis decrevit. Vectigalia prædia ſua vi, ſuaque natura alienari non poſſunt; idque priſco Siculorum jure obtinebat. Federicus in hoc conventu illa æque, ac alia bona, vendi poſſe, donari, permutari, pignori obligari, teſtamento relinqui, vel legari, aliave qualibet ratione alienari, dummodo, quum venirent, decuma pars pretii penderetur Fiſco, primus permiſit: ac beneficium beneficio cumulando & illud ſtatuit, iis, qui vectigalia tenent prædia, tres tantum menſes eſſe ſine ſtipendio militandum, & hoc ſolum, quum Rex exercitum in expeditionem, aut intra inſulam, aut in Siculi Regni provincias, quas Andegavenſes occupabant, per ſe ipſe educeret. Et ne pro vectigalibus prædiis vectigalis, tributive nomine plus juſto exigeretur, cenſum eorum inſtituendum, & in publicas tabulas referendum mandavit; in quo vectigalia prædia, eorumdem æſtimatio, reditus, poſſeſſores accurate deſcriberentur, præſcriberenturque quicquid quoquo anno pro unoquoque eorum in ærarium conferendum. Extant ad hanc diem nobiliſſimæ familiæ ex earum numero, quæ tum vectigalia prædia poſſidebant, & in hoc cenſu nominantur, ut ſunt inter alias Brancifortiorum, Calvellorum, Filangeriorum, Graſſeorum, Lancearum, Landolinarum, Montaltorum, Montapertorum, Montecatenorum, Naſelliorum, Rubeorum, Spataforarum, Vintimilliorum (a).

Dum

tra, & illam, quæ ultra ſalſum flumen jacet. Nam hic fluvius, qui ab antiquis Himera, poſtea ſalſus dictus fuit, propterea quod per ſalinas defluit, quique a Nebrodide monte erumpens in mare apud Gelam ſubit, fere mediam Inſulam diſcriminat.

(a) *Quoniam & advenæ, præſertim ex Hiſpaniis, & indigenæ conſpicui nobilitate viri, de Rege optime meriti, vectigalibus prædiis in dies donabantur, alius eorum fuit ab Rege Martino anno 1407., & 1408. ſtatutus cenſus, in quo gentes, quæ generis claritate Siculum nomen adhuc illuſtrant, hæ inter alias recenſentur, Boſchi, Gravinæ, Gruæ, ſive Talamancæ, Joenii, Paterniones, Romani, ſive Columnæ, Statellæ, Valguarneræ.*

Digitized by Google

Dum Federicus comitiorum cauſa Panormi mòratur, Boccacius in fabulæ, ut videtur, potius quam hiſtoriæ ſpeciem elegantiſſime narrat (a) a quibuſdam Siculis nautis Inarimen appulſis puellam, quæ improvida per litus ſola conchas legens vagabatur, raptam, eamque utpote præſtantis formæ muneri Regi allatam. Rex in Cubam, regiam urbi proximam villam, eam aſſervari mandat. Puellam miſere deperibat ex vicina Prochyta adoleſcens, qui ubi raptam illam, locumque, in quo cuſtoditur, cognoſcit, Panormum è veſtigio ſe confert; &, ut eſt amor ingenioſus, & audax, ad illam clanculum conveniendam aditum nanciſcitur. Conveniunt, & non ſemel; &, quia amor idem incautus eſt, ab ipſo Rege tandem deprehenduntur, vivique comburendi damnantur, ad eumdem itaque palum nudi in Regiæ area, quo populo ſint ſpectaculo, manibus, pedibuſque a tergo averſi deligantur. Congeſtis circa ipſos lignis jam in eo res erat, ut ignis ſubjiceretur, quando Rogerius Lauria, qui illac caſu tranſit, eos agnoſcens, jubet ſupplicio ſuperſederi; & ad Regem advolans, eum admonet, reos, qui tam trucem, turpemque mortem ſubituri erant, puellam Marini Bolgari ex primariis Inarimes viris, cujus præſertim ope ea inſula pro Aragonienſibus ſtabat, filiam eſſe, adoleſcentem autem fratris filium Joannis Prochytæ, cujus potiſſimum opera Siciliæ regnum in Aragonienſem regiam familiam venerat; eorumque culpam, quippe ab amore profectam, veniâ utique dignam. Rex ad hæc ſubito facti pœnitens, mandat ut adoleſcen-

(a) *Dominicus Maria Mannius in ſua Decameronis Boccacii hiſtoria contendit, nihil eſſe in hac fabella, quod cum hiſtoria non congruat. Verum, ut cætera miſſa faciamus, hæc certe parum vero ſimilia nobis videntur. Federicum nimirum in illa perbrevi mora, quam Panormi ſecundum acceptam coronam traxit, tantis in ſui Regni primordiis belli, paciſque implicitum curis, voluptatibus indulſiſſe; Regi, aulicisque, & ipſi magno Scribæ, ignotos fuiſſe fratris filium Joannis Prochytæ, & Bolgari filiam ex primoribus Inarimes, & Prochytæ inſularum, quæ pars Siculi Regni tunc erant; hos adoleſcentes, quo ex tam ſævo cruciatu, ac tam ignominioſa morte ſeſe eximerent, non aperuiſſe genus, conditionemque ſuam; fuiſſe tam atrocem pœnam pro non æque atroci crimine decretam. Nec factum hoc rejici in aliud tempus poteſt; etenim non multo poſt, & quidem antequam Federicus Panormum rediiſſet, Rogerius Lauria ab eo deficiens jam Sicilia exceſſerat.*

Digitized by Google

ſcentes iis, quibus ad acerbam, triſtemque mortem conſtricti erant, ſoluti, matrimonii vinculis ſeſe ad omnem vitam feliciter conjungerent; ac honoribus, muneribuſque eos cumulans, domum lætos, ſibique quam maxime addictos dimittit.

Rex a civilibus occupationibus ad bellicas curas ſe ſine intermiſſione convertere neceſſe habuit. Nuntium enim, nondum peractis comitiis, accepit Roccam Imperialem ex oppidis, caſtriſque, quæ in Brutiis tenebat, Andegavenſes Montisfortis Comitis ductu infeſtis ſignis aggreſſos obſidere. Advocata igitur concione de hoſtium incepto eam docet. Pro tuendis Regni finibus ad omnes belli caſus ſe objecturum profitetur, Deo regnorum moderatore adjuvante propulſaturum hoſtes, ſuoque populo pacem comparaturum, ſperans. Vix aliquid ad gentis, ac præſertim Panormitanorum, ſubſidium invocandum dicere inceperat, quum eum interpellantes ad unum omnes, ſublatis in Cœlum manibus, ad arma conclamant, ſeſeque ad omnia pro Regis, Regnique defenſione paratos offerunt. Hac conſtantis Siculorum fidei accepta teſtificatione, Rex comitia dimiſit; atque cum idonea militum manu Blaſco Alagona, qui hoſtes diſtineret in Brutios, & Meſſanam cum claſſe Rogerio Lauria præmiſſis, ipſe eodem propere pedibus perrexit, ut inde trans fretum traducto exercitu, & quæ ibi tenebat, tutaretur, & quæ in hoſtis ditione erant, loca in ſuam redigeret. Oppida, qua iter facit, Thermæ, Politium, Nicoſia, Randatium, Taurominium, aliaque gaudio exultant, beataque ſeſe ducunt, quod optatiſſimum Principem coram intueantur. Meſſanenſis populus ei ad multam viam obviam prodit. Succedunt optimates, phaleratis equis inſidentes, iique inſigni amictu decori. Quum portis appropinquat, occurrunt matronæ, puellæque, maximos cultus indutæ: & ita ſub umbella, quam ferebant primores civitatis, Rex inter geſtientis lætitiâ populi plauſus, muſicorumque concentus, per vias floribus ſtratas, pretioſis aulæis e feneſtris pendentibus, ferme in triumphum ad regiam deducitur. Meſſana Federicus, ſalutatis Conſtantia matre, & Jolanta ſorore, quæ ipſum ab incunabulis præcipuo proſequebatur amore, eiſque filii, fratriſque officiis redditis, ſimul atque commeatus comparatus fuit, impoſituſque in naves miles, Rhegium tranſmittit, a Rheginis ſingulari ſtudio, & gratulatione exceptus. Inde exercitu in expeditionem ſub ſignis, quæ Regiæ Familiæ ab eo recens, uti docuimus, immutata

inſignia referebant, præter litus educto, Scylacæum oppidum, quod vaſtatis agris Blaſcus Alagona jam in obſidione tenebat, & quo claſſem Rogerius Lauria pridem applicuerat, magnis itineribus contendit. Inſidet Scylacæum præruptis rupibus, & fluvio utrinque alluitur. Incolæ majeſtatis crimine tenebantur; quod, Galvano Lancea ſuo Dynaſta per proditionem interempto, a Jacobi fide defecerant. Federicus, ubi ad oppidum accedens cognoſcit illud ob ſitus naturam non tam facile expugnari poſſe, accipitque ab Conrado Lancea, illorum locorum perito, aquas, queis ad potum utantur, præter fluviales, nullas oppidanis eſſe, Rogerio Lauriæ mandat, ut nautico milite aditum ad flumen illis præcludat. Oppidanis aquatum in eam partem, quam Matthæus ab Thermis obſervabat, erumpentibus noſtri tam valide obſtitere, ut, illorum non paucis neci datis, fuſi reliqui, fugatique. Ex quo edocti obſeſſi, nullam ſedandæ ſitis ſibi ſubeſſe rationem, miſſis legationibus, ſeſe Regi dedunt. Rex eos in fidem recipit, culpaque ſolutos beneficiis inſuper cumulat. Scylacæo recepto, ac Conrado Lancea ibi Præfecto conſtituto, operæ pretium Federicus ſe facturum exiſtimabat, ſi continuo Catacium adoriretur; propterea quod, ſi oppidum illud, quod & natura loci, & valido præſidio, & nomine, virtuteque Comitis Petri Ruffi, qui illo vectigali potiebatur, & plurimum in Brutiis pollebat, cæteris præſtabat, devictum, captumque eſſet, reliqui illius regionis populi viribus longe inferiores, metu perculſi utique in deditionem venirent. Cuncti duces conſilium Regis approbant præter Rogerium Lauriam claſſis Præfectum. Is Crotonem, cæteraque circa oppida prius oppugnanda, agroſque depopulandos proponit, conſilium ea prætexens ratione, quod, circum jacentibus occupatis oppidis, agriſque devaſtatis, Catacium, quod difficilis operis eſſet armis expugnari, fame nullo negotio ſubigeretur. Hæc Rogerius proponebat, non quod ita animo ſentiret, ſed ut Ruffo, quocum affinitate, & amicitia conjunctus erat, gratificaretur. At Rex, & quia Lauriæ aſtum odoratur, & quia ex iis viris erat, quorum animus difficultatibus non hebeſcit, ſed acuitur, confeſtim Catacium verſus caſtra movet. Eſt quoque Catacium rupibus circumdatum, præterquam ex una parte, qua aliqua patet planities. Hacce ex parte, quod arce, & foſsâ munita erat, Federicus oppidum petiturus, ligno indigebat, cum ad conſtruendas machinas, quibus arx oppugnaretur, tum ad foſſam explendam, quo aditus ad mœ-

Digitized by Google

mœnia pateſieret. Præcipit itaque, ut ex propinquo nemore tantum ligni excidatur, quantum ad eas res expediendas opus ſit; idque ut ea, qua oportebat, celeritate præſtaretur, militum, nautarumque manum idem ipſe lignatum ducit. Neque eum pudet, quo alios ad opus excitet, eidem manum Regiam admovere. Conſtructis machinis, ac foſſa impletâ, jam res eo deducta erat, ut in muros aſcendere miles accingeretur. Quod Ruffus animadvertens, deſperata re, ut ſibi, ſuiſque tempeſtive proſpiciat, de facienda oppidi, aliorumque ſui juris locorum Regi deditione per claſſis Præfectum agit. Rex primum abnuit, tum quod cum iis, qui pro Andegavenſibus ſtabant, ut paria paribus referrentur, graviter eſſet agendum, tum quod militibus prædæ inhiantibus, oppidum vi minime capi minus arrideret. Demum, quia omnino factus ad clementiam erat, iteratis Lauriæ precibus incolarumque miſericordia commotus quadraginta dierum Ruffo, quo Carolum, qui tum in Apulia reſidebat, de ſtatu rerum certiorem faciat, auxiliumque petat, inducias concedit. Has claſſis Præfectus Regis nomine ſacramento ſancit ea tamen conditione, jurejurando, obſidibuſque datis, a Ruffo firmata, ut ipſe quadraginta exactis diebus, auxilioque nequaquam accepto, Catacium, cæteraque ſuæ ditionis loca, in Federici fidem, poteſtatemque transderet. Huic conditioni aſtipulati ſunt reliqui populi, qui regionem Jordanam dictam, qua Croto continebatur, incolebant, Lucifero Sanctæ Severinæ Pontifice dempto, qui aliter ac ſuam decebat perſonam, in bello adverſus Federicum perſiſtendum cenſuit.

His factis induciis, Rex Crotonem accedens in ejus conſpectu amœnitate loci, ſalubritateque captus conſidet. Ibi animo reputans, ſe Roccæ Imperialis obſidione liberandæ cauſa trans fretum arma tuliſſe, ad id obtinendum majorem interponere moram haud ex ſua dignitate eſſe ducit. Oppidum enim illud, etſi vi capi difficilis ſane negotii erat, tamen, longius obſidione ducta, fame, qua jam laborare cœperat, expugnari poterat: quod non modo ſui infamia, ſed & oppidanorum pernicie accideret. Conſtituit itaque, ut duodecim longis navibus ſub imperio Petri Salvacoxæ legati ſibi retentis, interea dum ipſemet cum copiis illo ſeſe conferret, claſſis Præfectus cum reliquis navibus eodem ſub veſperam feſtinans, id effici contenderet, ut de victu obſeſſis ſubveniretur. Rogerius tercentis

ſe-

Digitized by Google

ſelectis equitibus in claſſem impoſitis vela faciens ſecundis ventis brevi in proximam Roccæ Imperialis oram appulit, atque ad illam exſcenſione facta, idoneo in loco caſtra ponit, eaque, quam maxime poteſt, foſſa, & aggere communit. Quum hoſtium vires ſpeculatum cum lecta militum manu juga montium aſcendiſſet, hoſtes e ſuis caſtris in noſtros prorumpunt; & noſtri partim ſuſtinentes, partim fugam ſimulantes, nonnullis ex hoſtibus ipſos incaute inſequentibus interfectis, ſeſe incolumes in caſtra recipiunt. Perſpectis hoſtium viribus, claſſis Præfectus, & una Arnaldus Pontius Sanctæ Euphemiæ Prior, qui ex Urgiolo, ubi in præſidio erat, cum ſua cohorte ſuppetias Rogerio advenerat, hanc de victu obſeſſis ſuppeditando, communicato conſilio, iniere rationem. Frumento in tot diverſi modi ſaccos diviſo, quot erant milites, equitibus majores, quos in equorum clunes, peditibus minores, quos in humeros importent, attribuunt. Cum agmine ſic inſtructo per amica noctis ſilentia taciti obſeſſoribus incautis oppidum petentes, incolumeſque tantum victus obſeſſis ſufficiunt, quantum ad tolerandam in idoneum tempus obſidionem ſatis ſit; ac nulla affecti moleſtia in ſua quiſque ſtativa redit.

Ab hac expeditione claſſis Præfectus regreſſus, eadem nocte, ut hoſtibus undique negotium faceſſat, nullamque ſuis prædandi occaſionem adimat, ſimulque ne quid, quod ad Roccam Imperialem ex obſidione eximendam momenti ſit, prætermittat, longas naves cum copiis aſcendens, ſtatimque ſolvens, ad proximum Policori litus contendit, quod eo quicquid commeatus, aliarumque rerum ad obſidionis uſum hoſtibus eſſet, collatum erat, repoſitumque. Illuc appulſus, quum loco non eſſent præſidio niſi centum indigenæ equites, eos imparatos aggreditur, fugæ ſe mandantes aſſequitur, paucis evadentibus, reliquis oppreſſis, quicquid eis erat, diripit, ac ovantis in modum ad tubarum ſonitum in rates imponit, actutumque eo, unde moverat, revertitur.

Dum hæc pro Rocca Imperiali recipienda a Lauria gerebantur, & Rex ante Crotonem ſtativa adhuc induciarum exitum expectans haberet, Crotone ſeditio inter Gallos, & cives coorta eſt, in qua quum Galli ſuperiores eſſent, Crotoniates ex mœnibus noſtrorum opem contentis, miſerabilibuſque vocibus portis patefactis implorant, obteſtanturque. Nautæ claſſis, qui in propinqua erant ſtatione, nil de

Digitized by Google

de induciis, de præda tantum cogitantes illorum accurrerunt auxilio. Hinc in plateis, & vicis, tanta ſive virtute ſive fortuna a parva Siculorum nautarum manu, & ea inermi, contra non paucos Gallos armatos milites, inopinantes tamen, dimicatum eſt, ut hi compulſi, preſſique in altiores quamvis turres ſeſe compegiſſent, demum expugnati, paucis cæſis, omnes caperentur, expilarenturque. Rex in prætorio meridiabatur, quum tumultu expergefactus, re cognita, clavâ tantum ſumptà, cæterà ob feſtinationem inermis equum inſiluit, & in Gallorum ſubſidium curſim perrexit. Sed, ut ut viam celerarit, nautis, niſi ex facinore jam redeuntibus, manubiaſque referentibus, occurrere non potuit. Ii viſo Rege dilabuntur, aliis cum præda latebras petentibus, aliis, quo expeditius diffugiant, prædam projicientibus. Non tamen cunctis tam ſubito ſe ſurripiendi poteſtas fuit, quin Rex ex eis aliquot morti ipſemet dederet. Inde, quæ præ manibus haberi potuerunt, Gallorum ſpolia Petro Rigiballio Caſtri, & oppidi Præfecto reddita perſoluto de ærario ad ipſorum Gallorum æſtimationem, earum, quæ recuperari nequiverant, rerum pretio. Conceſſa eidem Rigiballio facultas Carolum Regem adeundi, datis ad Rogerium Lauriam literis, quibus mandabatur, ut ei libere commeandi copiam faceret; & pro Gallorum numero, qui in pugna cum nautis commiſſa interierant, totidem ex iis Gallis, quos Rogerius captivos tenebat, redderet.

Quod Federicus nihil omiſerit, ut injuria a ſuis nautis inflicta Gallis plane reſarciretur, fideſque conſtaret ſua, ſatis Rogerio Lauriæ non fuit, quin irarum plenus ex ora Roccæ Imperialis, ubi in ſtatione erat, ſe ſubtrahens non ſolum graviter, verum etiam arroganter Regem queſtum, expoſtulatumque de violatis induciis, deque ſua, quod earum interpres, ac ſponſor interceſſerat, læſa dignitate adiret. Hiſpanorum more Regis dexteram in fidei, obſequiique ſignificationem deoſculatus res ab ſe geſtas, ſuaque in Regiam Familiam merita prædicat. Pactiones præſertim bellicæ quam religioſe ſervandæ ſint, & quam religioſe ab omnibus ſemper ſervatæ fuerint barbaris quoque gentibus, maximeque ab Aragoniis Principibus, commemorat. Fidem ſuam peſſundatam, perfidum, infameque nomen; adeo ut a nemine ſibi in poſterum credatur, ſemperque hæ tam inſigniter fractæ induciæ exprobrentur, dolet. Hujus ſuæ labis cauſam ſubdolis malignorum hominum conſiliis attribuit.

Pe-

Petit veniam muneribus depoſitis in remotos abeundi fines, aliquando, qui nunc flocci penditur, deſiderandus, ac ab obtrectatoribus timendus.

Hæc Rogerium inſolenter jactantem Federicus non interpellat; ſed torvis intuens oculis quum loquendi finem facit, hæc Principe digna prope ſubridens reſpondet: *Se ejus merita non ignorare, una tamen noſſe his prolixam redditam gratiam; fidem etiam hoſti præſtandam, & maxime a Principibus, ſemper ſenſiſſe, nec contra hanc ſui animi ſententiam unquam feciſſe; quod Crotone aliter acciderit, ſe inſcio, atque imprudente, accidiſſe: nihil relictum, quo injuria Gallis haud conſulto a paucis remigibus irrogata compenſaretur; extemplo, quominus committeretur, occurſum; de ſpoliis plene ſatisfactum; damna de ærario redempta; violatam fidem vel violatorum ſanguine ſua ipſiuſmet manu expiatam; non ejus, ſed ſuis verbis jurejurando in inducias interpoſito, ſi quid in his ſartis tectis tuendis peccatum unquam fuerit, inuſtam non ei, ſed ſibi infamiam; ab muniis & ab Regno ſuo quod abeat, etiamſi ad hoſtes transfugiat, ſe nihil morari; fortunam, felicitatemque Principum a fortuna, felicitateque ſubjectorum minime pendere; contra populorum fortunam, felicitatemque, tota quanta eſt, fortunæ, felicitatique Principum inniti; Labienum Romanum ducem proſpera bella geſſiſſe, dum ſub Julii Cæſaris ſignis militavit, ab eo ad Pompejanas partes digreſſum in exilio finem vitæ feciſſe; mirari ei adhuc ignotum, nihil ſibi tam inviſum eſſe, quam ſuperbiam, & ſupercilium; adeo ut, ſi Laomedon Trojæ Rex, vel ipſe Julius Cæſar ſummus Romanorum Imperator ab inferis excitati, ſub ſuis ſignis militare vellent, & cum iis poſſet univerſum terrarum orbem ſuo ſubjicere imperio, nihil id penſi haberet, nec in aliquo deputaret lucro, ſi iidem fœda arrogantiæ, faſtidiique tabe infecti eſſent. Abeat igitur, quo velit, reminiſcaturque Deum juſtum judicem elata ſuperborum capita conculcare, eoſque deprimere.* His dictis, Rex, ut oſtendat nihil de homine, deque ejus querelis, verborumque jactatione laborare, eo dimiſſo, equitatum animi cauſâ per amœnum Crotonienſem agrum cum ſuis familiaribus de more procedit. At Lauria ut bilem concoxit, ſeque recepit dicti factus pœnitens Conrado Lancea leviro ſuo, qui gratiâ, & auctoritate apud Federicum plurimum valebat, deprecatore, inſolentiæ ſuæ venia impetrata, in Roccæ Imperialis, unde diſceſſerat, oram remeat. Rex eum illuc continuo cum omni exercitu ſubſequitur.

Quod

Quod ubi Montisfortis Comes percepit, cogitans tantum virium ſibi non ſuppetere, ut Regis copiis obſiſtere poſſit, caſtris in remotiorem, tutioremque locum translatis, Roccam Imperialem obſidione ſolvit. Eo factum eſt, ut, quum Rex ad alia aggredienda animum convertere poſſet, nihil prius, potiuſque contendendum duxerit, quam Sanctæ Severinæ oppidum ſubigere, quo illius Pontificis, qui, ut ſupra demonſtravimus, tam præfracte pro hoſtibus ſtabat, martialeſque, contra ac ſuæ conveniret perſonæ, ſpiritus fovebat, contumaciam frangeret. Quoniam oppidanis, præterquam ex fonte, qui extra mœnia ſcatebat, alia aquandi ratio non ſupererat, facile oppidum capi poſſe Federicus in animum induxit, ſi ita fons operibus, & præſidio muniretur, ut pervius non eſſet. Sic igitur aditu ad fontem intercluſo conſilium belle cecidit: etenim poſtquam oppidani, ſiti compulſi agmine facto aquatum erumpentes non ſine complurium ſuorum cæde domum adacti fuere, Pontifex intelligens ſine aqua obſidionem ſuſtinere non poſſe, neque unde aquam paret, cernens, feroces demittit animos, ac ſuæ, populique ſaluti, quoad ejus facere poſſit, conſulere inſtituit. Proponit igitur oppidum Regi tradere eadem conditione, qua Ruffus Catacium dediturum ſe obſtrinxerat, nimirum, modo ne intra certum temporis ſpatium ſubſidium a Carolo obveniret, petitis viginti diebus induciarum plus, quam Ruffus obtinuerat, ut ſcilicet ipſe ad cedendum noviſſimus eſſet. Rex & in deditionis conditionem, & in induciarum tempus convenit.

Secundum S. Severinæ oppidum in poteſtatem Federici venit Roſcianum, ſed ſine ulla conditione, & cum non parvo oppidanorum detrimento; nam, quum ii aſperitate loci fidentes, nequicquam a Rege admoniti, reſiſtere voluiſſent, & Rex ipſorum agrum, ipſis inſpectantibus, ferro, & incendiis vaſtaviſſet, ſeſe, ne in graviora incurrerent damna, dedere nullas deprecati inducias neceſſe habuerunt, Rege paludato (a) in oppidum majore, qua potuerunt, pompa

(a) *Specialis* palliatum *dicit: Palliatus, qui latine idem eſt, ac pallio ſcenico indutus, a Scriptoribus ævi Specialis pro eo uſurpatur, qui latine paludatus dicitur, id eſt paludamento indutus. Cangius in ſuo Gloſſario verbo* pallium. *Paludamentum porro erat pallium bellicum purpura, auroque diſtinctum, Impera-*

pa deducto. Caſu Roſcianenſium docti, ne eidem ſeſe objicerent, circumjacentium locorum incolæ fere certatim, miſſis legatis, in Federici fidem, ditionemque ultro ſe permiſere.

Ut Pontifex maximus ab Siculis Federicum Regem dictum, atque inauguratum cognovit, continuo quicquid actum fuerat, reſcidit, irritumque fecit; ac pœnas, queis jampridem Siculi eam ob cauſam, quod ab Andegavenſi imperio ſeſe ſubtraxiſſent, obligati erant, redintegravit; ſimulque ipſe, & Carolus Rex queſti graviter cum Jacobo Rege ſunt, quod, contraquam conventum cum ipſo erat, non modo Sicilia Carolo adhuc reddita non fuerat, verum etiam armis ab Federico in continentem illatis non parum Brutiorum eidem ademptum. Ad hæc Jacobus ſe literis purgat, teſtatus id ab Siculorum pertinacia, & ab juvenili fratris ambitione, omnia licet expertum, ac omni Hiſpano milite, Hiſpaniſque proceribus ab Sicilia evocatis, adhuc obtinere non potuiſſe; recipit in idem omni ope, atque opere inſtiturum; concludit quam primum profecturum Romam, ut Pontifici maximo coram plenius ſatisfaciat, ac fidem, obſervantiamque confirmet ſuam.

Jacobus, ut erat profeſſus, Romam venit omnibus honoris ſignificationibus, quæ talis Regis dignitati reſponderent, exceptus, habituſque. Bonifacius, qui ſibi perſuadere non poterat, ea, quæ a Federico, & ab Siculis geſta erant, ſin minus adjuvante, at ſaltem connivente Jacobo tranſacta non fuiſſe, probeque intelligebat, niſi hujus ſincera voluntas, certumque accederet auxilium, ſibi, Caroloque tantas non adeſſe vires, ut ab Siciliæ poſſeſſione Federicus deturbaretur, Jacobum coram ad id ſibi ex animo ſumendum non ſolum verbis admonere, verum etiam, ſi minus rebus, at ſpe, ſpecieque rerum, quæ apud homines non raro idem ac res valet, obſtringere ſtuduit. Sardiniam, Corſicamque recuperandi, ac eas vectigales habendi jus ei attribuit. Dicit ipſum, vexillo Romanæ Eccleſiæ ei tradito, ſupremum Chriſtianæ rei Imperatorem ad ſacrum bellum contra Chriſtiani nominis hoſtes, qui Servatoris veſtigiis, ac ſan-

torum proprium, quod ſuperimponebatur thoraci non ad tutelam, ſed ad ornatum.

ſanguine conſecratam occupabant regionem, deducendum, adminiſtrandumque *(a)*.

Jacobus de collatis in ſe honoribus, beneficiiſque gratiis Bonifacio quam maximis actis, quæ ſcripto pollicitus erat, voce comprobat. Et ne verbis tantum agere videatur, miſſis in Aragoniam literis, celeriter ſcribi militem, adornari claſſem, commeatum congeri, cætera, quæ ad Siciliam Carolo reddendam opus eſſent, comparari jubet.

Ante vero quam ad arma contra fratrem veniret, ſacrum Dominicanæ familiæ ſagacem æque ac diſertum virum Petrum Corbellium *(b)* ad Federicum privatim, ut frater ad fratrem, mittere par eſſe exiſtimavit, qui illum ſuis verbis ad Siciliam Carolo dimittendam benevole adhortaretur. Corbellius Regem in Brutiis agentem convenit. Ei ſignificat Jacobum fratrem a Pontifice maximo ſupremum Eccleſiæ ducem creatum; muneris ejus eſſe ad arma ire contra quemcumque a Pontifice mittatur, etiamſi fratris jugulum, genitoris pectus, matris ſinum, filiorum viſcera appetere gladio jubeatur; proinde, niſi ipſe poſſeſſione Siciliæ, quæ voluntas Pontificis eſt, Carolo cedat, adverſus ipſum bellum ſuſcipere neceſſe habere, claſſe, exercituque, quos pro Sardinia, Corſicaque recipiendis in promptu habet, in Siciliam converſis; ne per Deum belli caſibus ſe committat, perque ipſum ſtet, quominus Chriſtiani nominis hoſtes debellentur; aura populari ne capiatur; Siculorum procerum diffidat ſtudio, quod mutatis temporibus mutatur; Gualterium Calatahieronium, & Alaimum Leontinum in Sicilia genere, opibus, gratia nemini ſecundos, & conjurationis in Gallos capita, a ſuo patre Petro, trium Regnorum Rege potentiſſimo, ad Gallos deſciviſſe reminiſcatur; fortunas ſuas ſatius fratri, imo patri, quandoquidem ipſum Jacobus eduxerat, curandas remittat; Inarimen in ſpeciem viſendi fratris, complectendique ſe conferat, quo Jacobus ſe pariter conferret, ut deliberent, fraterneque inter ſe conveniant, quid ipſis facto opus

(a) Vide Monum. n. VII.

(b) Hunc Hiſtorici Neapolitani, qua ducti auctoritate neſcimus, Petrum Comallium appellant. Nos ſequuti ſumus Specialem, & Fazellum ejuſdem Dominicanæ Familiæ.

Digitized by Google

opus ſit. Federicus Corbellio os tacitum præbet, tacituſque eum dimittit. Suos, quorum conſilio potiſſimum utebatur, mox convocat. Eis aperit quicquid a Corbellio perceperat. Ut illos ad audita metu perculſos, attonitoſque ſentit, parvi animi admonet, eis oſtendens, quod Jacobus, ut rationibus provideret ſuis, germanum fratrem, Siculoſque hoſtium libidini tradiderit, neceſſitatis excuſationem habere; at, quod vana ambitione captus fœdus cum hoſtibus pepigerit, ut fratrem regno ei jure debito privaret, ac fidelem ſuis, ſibique gentem inimicæ dominationis jugo ſubjiceret, tam iniquum conſilium eſſe, ut confidendum omnino ſit, Deum iniquitatis vindicem illud diſſoluturum, atque in hoſtium converſurum perniciem. Ad hæc invicti Principis religioſa dicta animum cuncti reſumunt; alacreſque, ac promptos ad omnia ejus mandata ſeſe præbent. Conventum in hanc ſententiam fuit, ut Rex illico in Siciliam ad ſe contra tantam ingruentis belli vim præmuniendum tranſmitteret.

Poſt igitur ſex menſium, ex quo aberat, intervallum, re in Brutiis feliciter geſta, Federicus cum idonea copiarum parte Blaſco Alagona, qui vicaria poteſtate rem ibi publicam, bellumque adminiſtret, & Rogerio Lauria cum claſſe relictis, ipſe naves, quas obtulit ſors, cum reliquo exercitu aſcendens Meſſanam revertitur. Meſſanenſes ingenti lætitia, ſummoque ſtudio Regem excipiunt, deque ejus reditu ex animo gratulantur.

Quoniam Federicus perceptum probè habebat, Regis munus eſſe non modo armis regnum tutari, ſed etiam moribus ornare bonis, Legibuſque emendare, tam præſentes, urgenteſque militares curæ a civilibus ejus animum avertere minime potuere, neque ei eſſe impedimento, quin ad eam rem gentis concilium, cui ipſe præeſſet, iterum cogeret. Hoc concilium habitum fuit XIII. Calendas Novembres anno MCCXCVI. Platiæ, quæ eſt in media ferme inſula, quo commodus omnibus ad illud acceſſus pateret. Legum, quæ in eo rogatæ, ſcitæque fuere, hæc ſumma capita. Verſabantur ea tempeſtate in Sicilia non pauci Judæi, Græci, ac etiam Saraceni, indigenis immixti. Ne iſtorum convictus veræ religioni, quæ ut integra, caſtaque ſervetur, præcipua Principum cura ſit oportet, fraudi eſſet, proviſum, ut Saraceni, Judæique ab Chriſtianis conſpicuâ rubri coloris tranſverſâ tæniâ veſti ſupra pectus aſſutâ diſcernerentur. Vetitum Saracenis, Judæiſque ſervum Chriſtianum

eme-

emere, vel retinere; Chriſtianis in Saracenorum, Judæorumque famulatum ſe tradere; nimis familiariter eis uti; cum eiſdem comedere, vel diſcumbere. Judæi ab omni publico munere, omnique dignitatis gradu repulſi; prohibitique medicinam exercere, medicamentaque vendere, vel parare. Chriſtianis interdictum Judæo medico, medicamentiſque ab eo confectis uti, ne pro odio, quo Judæi in Chriſtianos feruntur, his medicinam aut perniciosam, aut ſumptuoſam facerent. Nec ſolum religioſus Princeps cavit, ne Saraceni, Judæique uſu Chriſtianos ſuis erroribus inficerent, ſed etiam Saracenorum, Judæorumque, ac eorumdem prolis ſaluti conſuluit; nihilque reliqui fecit, ut ſervi Saraceni, itemque Græci, qui captivi facti ſervitutem in Sicilia ſerviebant, ad verum, purumque Numinis cultum attraherentur. Decretum, ut Saracenis ſacros Doctores, Chriſtianam explicantes doctrinam, audiendi copia daretur, quo ejus veritate, ac ſanctimoniâ, cœleſti inſpirante flamine, illecti eam amplecterentur: ut Domini nihil, quod in Chriſtianæ diſciplinæ infamiam cederet, eis præciperent, mandarentque: ut per annum in carcerem conderetur, & quod ex turpiſſimo quæſtu pecuniæ conflaviſſet, reſtitueret, pauperibus diſtribuendum, herus qui ancillam ſuam, maxime Chriſtianam, proſtitueret; ut iis, qui excuſſa ſuperſtitione, Chriſto nomen dare vellent, nemo, ne dominus mancipiis quidem, quominus ſacris abluerentur aquis, obſiſteret: ut adverſus ſervos Chriſtianis ſacris initiatos, domini benevolos, æque ac adverſus fratres, ſe gererent; ſervi viciſſim Chriſtianam religionem amplexi, majorem, quam antea fidem, obſequiumque ex animo dominis exhiberent: ut ab ſervorum jam Chriſtianorum corpore flagra amoverentur, ac ad fugitivos, qui contumaces eſſent, corrigendos compedes tantum adhiberentur; ne Chriſtiani eos, qui animum ab falſa ad veram religionem converterent, conviciis, contumeliiſque afficerent, canes compellando, vel ſuæ ſectæ deſertores, ac ſi eis probro verti poſſet, quod ab errore ad veritatem declinarint: ut domini, qui natos ex ſervitiis, ſive Chriſtianis, ſive Saracenis, ubi in lucem prodiiſſent, æque ac ſuos filios, ſacra lavatione expiari non curaſſent, eorum dominium amitterent; ut ſervus Chriſtianus, qui pro Saraceno venumdaretur, Liber evaderet, venditore pœnam carceris, emptore, ſi conſcius fuerit, detrimentum ſoluti pretii, in pauperum opem erogandi, ſubituris: ut ſervi Græci, utpote Chriſtiani

ni

ni nominis, ingratiis, & niſi honeſtis, hominibus non revenderentur; & qui ex eis errores ſuos deponerent, Romanumque Pontificem, ut ſupremum Eccleſiæ caput, agnoſcerent, poſt ſeptennium in libertatem aſſererentur.

Ad officium optimi Principis pertinet maxime, ut quam minime populi publicis muneribus premantur; tenueſque ſint a potentiorum injuriis ſecuri. Eam etenim ob cauſam homines in ſocietatem coiere, ac imperiis, poteſtatibuſque ſeſe ſubjecerunt, ut ſcilicet tranquillam, inoffenſamque viverent vitam; rebuſque quiſque ſuis tuto perfrueretur. Non una, aut altera lex huc ſpectans hocce in concilio perlata fuit. Statutum, ut nemini militi, aulico, aut alii, cujuſque is eſſet conditionis, liceret equos muloſque, vel cujuſquam proprios, vel conductos ſive ad equitandum, ſive ad vecturam per poteſtatem auferre: ne a nobilibus, potentibuſque, priuſquam carnes, vinum, reſque aliæ ſuæ venum irent, Lanii, caupones, propolæ eaſdem aliorum vendere prohiberentur: ne imponeretur, & ubi impoſitum eſſet, abrogaretur, jus exigendi aliquid pro rebus venalibus agnoſcendis, earumque ponderibus, menſuris, & pretio definiendis: ne Dynaſtæ, aliive colonorum agrorum domini a Colonis dominii jure (a) frugum plus repoſcerent, quam Regis nomine percipiebatur, anteaquam a Rege ager ipſis attributus fuiſſet, idque ad menſuram non ſuo arbitratu paratam, ſed ad comunem Regio ſigno probatam: ne pro tributorum exactione perſona comprehenderetur, lecti ſupellex tolleretur, ædes detegerentur, removerentur fores, obſerarentur, obſignarenturque: ut omnibus vinum, aliaſve res quaſcumque intra Inſulam in quemcumque immittendi locum, & ex quocumque loco extrahendi facultas eſſet. At ſi res, ac jura civium omnium ab hominum appetitione, animique impotentia defendere Principum partes ſunt, id eo ab ipſis, quod ad Eccleſiarum res pertinet, ſtudioſius præſtandum eſt, quod res Eccleſiarum, alioquin per ſe debilium, res pauperum, & debilium ſunt. Jure ergo Rex noſter, quum, ut ipſemet profitetur, nihil curandum diligentius ſibi pro-

(a) *Quod jus* Terragii *vulgo nunc appellatur, & tunc appellabatur. Vide Cangium in ſuo Vocabul. verb.* Terragium.

propoſuiſſet, quam ne quid res Eccleſiarum detrimenti caperent, ſed integræ, intactæque ab audacia, cupiditateque ſacrilegorum hominum conſervarentur, nihil potius, quod ſuis legibus ſanciret, habuit, quam ne quis res, & jura Eccleſiarum occuparet, uſurparet, fraudaretque. Jam vero quoniam graviores injuriæ eæ quidem ſunt, quæ a Magiſtratibus, ac Judicibus, qui pro jure ſuo unicuique tribuendo conſtituti ſunt, proficiſcuntur, quo Magiſtratus, Judiceſque ſancte, integreque ſeſe gererent, omniſque eis munus publicum corrumpendi occaſio præcideretur, hæc ſtatuere Federicus operæ pretium duxit, ut in qualibet civitate, oppido, vel loco ab Regia curia probi incorruptique deſignarentur triumviri, qui jurisjurandi religione ſeſe obſtringerent, tertio quoque menſe Regi denunciaturos, ſi quas vexationes, concuſſioneſque Magiſtratus, Judiceſque, vel eorum miniſtri alicui intuliſſent, dato eiſdem negotio, ut altero quoque menſe Regem certiorem facerent, & de homicidiis, & de percuſſionibus enſe, aliiſve vetitis armis patratis: ut ne Magiſtratus quidem ſupellectilem ex incolarum domo, invitis dominis, ſumere liceret: ut hi a xeniis, quæ ſunt dona hoſpitibus dari ſolita, ſive parva munuſcula eſculenta, vel poculenta, quæ una, aut altera die abſumerentur, ne dum a muneribus, manus abſtinerent. Nonnulla alia in his comitiis decreta fuere reipublicæ ſalutaria, clementiæque plena: de militibus ſcilicet, ut immunes tributis eſſent: de caſtrorum Præfectis, ne communium negotiis ſeſe ullo modo admiſcerent: de civitatum, oppidorumque Præfectis, qui Bajuli appellabantur, ut neminem cogerent captivos tranſducere, epiſtolaſque deferre; neminemque a nocturnis excubiis pretio eximerent de Dynaſtis, ut ſi quis eorum conſcientia maleficii ab ſe admiſſi, modo ejus generis non eſſet, quod bonorum publicationis ſequeretur pœna, a Regno receſſiſſet, niſi intra certum tempus rediiſſet, vectigale prædium, non Fiſco, ſed iis, qui jure ſuccedere debent, adjudicaretur: de Dynaſtarum hæredibus, ut qui tempore eorum mortis extra Regni fines reperirentur, ad ſiſtendum ſe Regi, hæreditatemque adeundam integri anni terminum haberent: de Magiſtratuum municipalium creatione, ut ii ab communi per ſuffragia diligerentur (a);

ab

(a) *Magiſtratus municipales tunc temporis in Sicilia per popularium ſuffragia,*

iL

Digitized by Google

ab eiſque nequaquam aliquis excluderetur, cui tenuis, incertaque majeſtatis criminis ſuſpicio injecta fuiſſet. Duo pernicioſiſſima mala in his comitiis Federicus extirpare ſtuduit, magicas artes, & aleam, quarum alteræ religioni, quæ eſt virtutum fundamentum, opponuntur, altera ſuperbiam, & avaritiam, quæ ſunt vitiorum capita irritat, ac fovet; incantationes, veneficia, auguria, divinationes, ſortilegia, aliaſque hujuſmodi præſtigias exercentibus capitis, adhibentibus deportationis pœna adſcripta; ac aureorum duo cum ſemiſſe indicibus propoſito præmio. Quod ad aleam pertinet, ſatis Regi noſtro non fuit confirmare Romanas contra aleatores editas Leges, contrario uſu, ut eſt fere hujus generis Legum ſors, facile obliteratas, quibus in pecuniam ludere, ludique vetiti ſunt omnes, in queis temeritas, & caſus, non virtus, & conſilium valet, quique non exercendarum virium, militiæque præludendi ergo, ut eſt haſtâ, pilâ, diſco, baliſtis, lanceis, jaculis jaciundis, vel curſu, lucta, ſaltuque certare, & ſi quæ alia campus, venandique ſtudium honeſta ludendi ſuppeditat exempla, agitantur, ſed pœnis Romano conſtitutis jure, annui carceris, & cum pecuniæ ex ludo partæ indigentibus impertiendæ, tum domus, in qua taxillorum, tabularumque ludus exerceretur, publicationis pœnam adjunxit: & quo radices evelleret mali, qui taxillos, vel tabulas conſtruerent, venderent, emerent, deferrent, fuſtibus cædi, tabulas, taxilloſque comburi edixit.

Quamquam Bonifacius Pontifex maximus in eo totus erat, ut Federicum regno ſpoliaret, nihilo tamen minus Federicus obſequio, quod ſupremo Eccleſiæ Paſtori debetur, non deerat. Hujus præclarum dedit in his comitiis teſtimonium, non ſolum jubendo, ut Pontificia conſtitutio, qua arma, ferrum, ligna, aliave Saracenis advehi prohibebatur, inviolate ſervaretur, verum etiam profeſſus leges ab ſe

id eſt per ſcrutinium, ut ajebant, diligebantur. Eorum creatio fuit deinde ad Regem traducta, & ab eo Dynaſtis in ipſorum oppidis conceſſa. Sub Romanis Siciliæ civitatum Senatores civium ſuffragiis cooptatos fuiſſe illuſtre eſt Tullii in Verrem teſtimonium. Quorum, *ſunt verba Tullii*, ex teſtimoniis cognoſcere poteſtis tota Sicilia per triennium neminem ullum in Civitate Senatorem factum eſſe gratis, neminem, ut Leges eorum ſunt, ſuffragiis, neminem niſi iſtius imperio, & literis &c.

ſe his in comitiis ſcitas eatenus fore exequendas, ut ab Pontificis legibus non abhorrerent, & ſalva Pontificis Maximi eaſdem corrigendi, mutandi, ſupplendique auctoritate. In hoc concilio agitatum quoque fuit, num Regis, Regnique rationibus conduceret, ipſum cum fratre in colloquium ire; deliberatumque communi ſententia haud quaquam è re utriuſque hujuſmodi congreſſum fore, nihilque ab eo emolumenti ſperandum. Platienſi conventu dimiſſo, Federicus Meſſanam regreditur, ubi leges in illo rogatas diplomate VII. Calendas Decembris anno MCCXCVI. dato ſancit, ac promulgat.

Interea dum Federicus ad rem publicam bonis temperandam legibus in Sicilia incumbit, ſui imperii fines per ſuos duces trans fretum profert. Quum dies induciarum, de quibus ſupra diximus, exiſſet, Catacium, totaque Jordana dicta regio, ac Sanctæ Severinæ oppidum, quod Carolo tantum tunc virium non ſuppeteret, ut accurrere Brutiorum rebus poſſet, ſeſe Blaſco Alagonæ dediderunt. Præterea Rogerius Lauria cum claſſe Meſapiæ oram legens noctu Aletium invadit. Hac ſubita irruptione incolæ perterriti, ſe in fugam dantes, oppidum claſſiariorum prædæ permittunt: qua ad litus plauſtris convecta, eademque oneratis ratibus, Hydruntum Lauria petit, quod, utpote ob proditionem in Manfredum Regem commiſſam, mœnibus nudatum, nullo certamine capitur. Et quia locus ad ſtationem navium peropportunus viſus eſt, Rogerius revocatis incolis, oppidi muros reſtaurat; ac propugnaculis, aggereque munit, relicto ad ejus cuſtodiam cum juſto militum numero, ac tribus ratibus experto belli viro Guilelmo Pallocta. Ab Hydrunto Brunduſium contendit, ſperans hanc quoque urbem immunitam offenſurum: ipſum enim latebat, ſexcentos ſelectos Gallos milites ductu Goffridi Jamvillæ, genere, bellicaque virtute præclari Brunduſinis ſubſidio veniſſe. Exſcenſione itaque facta, poſitiſque caſtris, milites ad circumjacentia loca depopulanda uſque ad interfluentem amnem ducit. Huc progreſſo, militum aliquot, agri, qui ultra flumen fontibus irriguus, hortiſque amœnus, conſpiciebatur, ſpecie capti, pontem flumini impoſitum aliquantum incaute tranſgrediuntur. Rogerius locum illum inſidiis idoneum animadvertens, citato equo, illuc accurrit, ut inde effuſos milites avocaret. At vix eo advenerat, labiaque fonti, ut ſitim ſedaret, admoverat, quum hoſtes ex latebris erumpere. Tunc Rogerius ſuis, qui trans pontem excurrerant,

Digitized by Google

propere in aciem coactis, pontem occupat, atque ibi illos ſubſiſtere jubet, ut in pontis anguſtiis, tamquam ex propugnaculo, hoſtibus obſiſtant, ne hi contra reliquas ſuas copias, quas citrà flumen reliquerat, progreſſi, eas, quia numero inferiores, eaſdemque improviſas, diſſipataſque facile opprimerent; ipſe ad illas in caſtra reducendas, atque ad defenſionem inſtruendas profectus, mox reverſurus. Hinc Gallos inter, & Siculos commiſſa ſupra pontem pugna, his, tranſitum illac intercludentibus, illis ſibi aperire conantibus. Et jam virtute ducis Jamvillæ, ejuſque nepotis, egregiæ indolis, laudemque armorum affectantis juvenis, Galli, Siculis repulſis, majorem pontis partem obtinuerant; univerſumque obtinuiſſent, ni Guilelmus Pallocta Hydrunto profectus, & Peregrinus de Pactis, labente jam re, occurriſſent; ſeque impreſſioni hoſtium objicientes, nunc illatis, nunc receptis vulneribus, cruore quamvis madidi firmi conſtitiſſent, quoad Rogerius cum non exigua militum manu ſuppetias in tempore advenerit, ſeque tertium mediis armis immiſcuerit. Tum pugna recrudeſcit, aliis vulneribus affectis, aliis neci datis, nonnullis in flumen projectis: parvo in loco, haud parva ſtrages facta; quoad duces Rogerius, & Goffridus caſu inter ſe concurrunt. Hìc cæteri oculos animoſque in duces, utpote in quos prælii fortuna incubuerat, intendentes, erecti, ſuſpenſique a pugnando ceſſant: duces vero, ac ſi in ſingulare certamen veniſſent, periculo non ſuo tantum, ſed publico, equis inſidentes acerrime dimicabant. Poſt levia viciſſim inflicta, acceptaque vulnera, Goffridus clavâ Rogerium appetit. Hic, declinato ictu, Goffridi faciem, gladio per extremas loricæ oras, qua parte ſubeſt galeæ, tranſacto, graviter vulnerat. Goffridus dolore percitus, equo, pluſquam opus erat, calcaribus concitato, in hoſtem, exceptam ulturus plagam, furenter invehitur. Equus ſtimuli impatiens adeo arrectus tollitur, ut eum præcipitem ex ponte dejiciat. Ducis caſu, & in Siculorum ſubſidium e caſtris funditorum (a) adventu, Galli, re deſperata, ſuo-

(a) *Specialis vocat* Balliſtarios. *Balliſtarii vox eſt ſequioris latinitatis: uſi enim ſunt ea omnium primi Vegetius, & Ammianus Marcellinus. Balliſtariorum vocabulo apud hos & alios inferioris ætatis Scriptores iidem denotantur, qui ab antiquis* funditores *appellabantur,*

ſuorum non paucis deſideratis, pluribuſque captis, ponte cedunt, ac terga vertunt. Rogerius hoc contentus, eos non inſequitur: nihilo tamen ſecius fuga illis multo ſtetit incommodo. Lutulentas, impeditaſque, ut circa flumina ferè ſunt, vias currere ipſis neceſſe fuit, in queis fallentes veſtigio paſſim labebantur, corruebant, demergebantur. Rogerius contra ovans in caſtra regreditur: ubi aliquot confidens dies, captivis accepto pretio redditis, corpora curat. Ei ultra in hoſtes progredi in animo erat, quum a Federico in Siciliam ex inopinato revocatus, Meſſanam contendit, Rege, qui adhuc ibi in Regia ad litus reſidebat, a claſſiariis, nautiſque, ut portum tetigere, ſolito lætioribus nauticis clamoribus ſalutato.

Jacobus Rex, tametſi per Corbellium, uti docuimus, privatim fratris animum, ad Siciliam ultro dimittendam nequicquam tentarat, attamen, ut Pontifici Maximo, & Carolo publice ſatisfaceret, ad ipſum cum ſuis literis ad eamdem tundendam incudem Pontificem Valentinorum, magnum ſuum Scribam, & Guilelmum Namontagudium, ſuum Conſiliarium, Româ, ubi adhuc commorabatur, miſit clariores quidem Legatos, ſed nihilo Corbellio feliciores. Ii cum quatuor longis navibus in Siciliam profecti, Meſſanæque ad III. Idus Februarii MCCXCVII. in terram expoſiti, Federico Jacobi literas reddidere; & quod eæ literæ ferebant, voce urgere cœperunt, ut nempe fratri tandem morem gereret, aut ſaltem cum ipſo in alterutram inſulam Inarimen, vel Prochytam, in colloquium veniret, quo inter ſe fraterne conferrent, quæ utriuſque intereſſe ipſis viderentur. Federicus hos Legatos pro ſuo more comiter, pro eorum dignitate honorifice excepit; reſponſumque eis dedit, ſed hujuſcemodi, ut perinde fuiſſet ac ſi cum ipſis idem, quod cum Corbellio, ſilentium tenuiſſet. Reſpondit enim, ſe omnia fratris gratia libenter facturum, vel regno ſe abdicaturum, ne dum ipſum in quemcumque conventurum locum, ſi per ſe ſtaret, inque ſui ſolum, & non potius in univerſæ Siculæ gentis poteſtate res poſita eſſet; id unum, quod ipſe poſſit, ſe quidem præſtiturum, nimirum Regni proceribus, atque una Communium procuratoribus, in concilium convocatis, eiſque fratris mandatis expoſitis, illorum animum, ſententiamque intellecturum. Ad hæc, quum legati ſe expectaturos præbuiſſent, quoad explicati aliquid, certique ſuo Regi relaturis excipere ipſis datum eſſet, Federicus conventum quamprimum Meſ-

ſanæ (*a*) coram ſe habendum indicit. Jacobus literas quoque ad Rogerium Lauriam Legatis dederat, quibus literis ei negotium mandabat, ut ad colloquium Federicum ſua, qua apud hunc, Siculoſque principes auctoritate valebat, induceret. Rogerius & quod ipſe jam pridem alienum a Federico animum gerebat, & quod Jacobus, ut eum ad Caroli cauſam traduceret, nuptias Beatricis filiæ cum Jacobo Exericæ Dynaſta, qui Regiam familiam cognatione attingebat, Præfecti claſſis Aragoniæ munus, oppida, & caſtra in Aragonia, & in Valentia, pollicitus erat, hac ſibi oblata ineundæ ab Carolo gratiæ occaſione libentiſſimo animo arrepta, totus in eo fuit, ut illos, qui in conventum vocati erant, ad ſibi conſentiendum omnibus rationibus illiceret. Contra Vinciguerra Palicius, & Matthæus ab Thermis, pro ſua in Regem fide, inque patriam caritate, eoſdem noctu circumierunt, ut ipſos ab colloquio cum fratre, a Jacobo tam enixe expetito, quod non alio ſpectabat, quam ut Sicilia Carolo traderetur, tamquam & Regi, & patriæ exitioſo, probando retraherent, abſterrerentque. Coacto ad diem dictam conventu, Federicus proponit, ſe ab fratre Aragonum Rege ad colloquium per legatos invitatum; nolle hac de re conſilii quicquam capere, niſi de conventus ſententia, eamque proinde exquirere. Nulla mora, hæſitatio nulla. Conclamant fere omnes, hujuſmodi colloquium, ut periculi plenum, eſſe omnino effugiendum, detrectandumque. Hìc Lauria in medium procedens, eos tantum non lacrumans obteſtatur, ne hac inſigni injuria animum Regis Aragonum offendant: hujus potentiam tantam eſſe, atque talem prædicat, ut ſi arma ſua cum Andegavenſium armis conjungat, Siculis nullæ ad reſiſtendum copiæ ſup-

(*a*) *Clariſſimus Joannes Baptiſta Caruſus, quem honoris, & grati animi cauſa nominamus, quippe qui ſumma benevolentia nos adhuc adoleſcentes proſequutus eſt, in libro ſecundo ſuæ Siculæ Hiſtoriæ hunc conventum Saccæ habitum tradit, qua fultus auctoritate, ignoramus. Specialis, Surita, Fazellus, & alii, quos nos conſuluimus, Meſſanæ coactum ſcribunt; idque factorum evincit ſeries. Caruſo, cui nec ingenium, nec judicium deerat, quæ in eo exquiſita extitere, ut patet ex primo ejuſdem hiſtoriæ libro, quem vivens ipſe edidit, pro reliquis vero concinnandis libris, qui in lucem, ipſo mortuo, prodierunt, defuere vires; nam poſt eos raptim compoſitos tam infirma uſus eſt valetudine, ut ne legere quidem poſſet.*

ſuppetant : haſtenus rem Siculam viribus ſtetiſſe maritimis ; ſi hæ per longe majores, quibus Aragonienſes valent, attererentur, quid tunc cladis non expectandum ? Urbes obſeſſæ, vi aut fame captæ, vaſtati agri ; prædæ, incendia, tumultus, captivitates, hominum ſtrages. Quid, ſi hoſtes Regni vi potirentur, ab eis non timendum? Exilia, bonorum publicationes, patriciarum familiarum everſiones. Et ne quid funeſtius prænunciaret, faxit, inquit, Deus ne aliquando non paucos eorum, qui adſunt, aut capti pœniteat conſilii, aut a Federico per vim turpiter deſciſcere pudeat. Sinant itaque, ſi ſapiunt, fratrem ad colloquendum cum fratre procedere. Quid, inquit, inde detrimenti metuendum ? Quid imo non ſperandum emolumenti? proponi congreſſum habendum non in hoſtium, neque in alienæ, ſed in Siculæ ditionis loco : Federicum non eſſe tam mollis animi, ut ſi quid, ſua quod minus intereſſet, a Jacobo requireretur, non foret ei reſtiturus ; nec Jacobum tam duri, quin fieri poſſet, ut minoris natu fratris, ab ipſo perinde ac filii adamati, præſentiâ ita afficeretur, ut ſi quid conſilii, quod illius rationibus non conveniret, cepiſſet, deponeret : expedire Federico fratris coram ſcrutari mentem, quo ſua ad illius exigeret conſilia, eademque præoccuparet. Neque ſolum aſſentiendum eſſe contendit, ut Rex fratrem conveniret, verum etiam, ut iis, quos Rex itineris comites ſibi adſciſceret, alii aggregarentur Optimates, qui populi nomine humiliter, ſubmiſſeque Jacobum oratum, obſecratumque adirent, ne commodis, ne ſaluti immeritæ, innoxiæque gentis, cujus fides in ſe, ſuoſque majores tam inſignis extitit, eam communibus inimicis prodendo, adverſaretur, non deſperans iteratas preces, obteſtationeſque in Jacobo ſimul cum gentis meritorum memoria benevolentiam, nedum miſericordiam aliquando tandem adverſus eam excitaturas. Concludit, ſi nihil penſis rationum, quas ipſe expoſuerat, momentis colloquium denegandum fore decerneretur, noſſe Aragonienſes oportere, a Federico ſtare amplius non poſſe, ſi nolint in majeſtatis crimen incurrere, cujus criminis eos, qui Regi reſiſterent, Aragoniæ leges reos faciunt. Hac habita oratione ipſe cum perpaucis aliis, qui ad eamdem inclinabant partem, e conventu receſſit. Tunc quum ex iis, qui remanſere, pars muſſitarent, pars reclamarent, & jam hora corporis reficiendi adeſſet, re non deliberata, conventus dimittitur. Poſtridie denuo coacto, factoque ſilentio, Rex ab

ex-

Digitized by Google

excelſa ſede verba faciens. *Cur*, inquit, *a nobis colloquium cum fratre habendum ſit, haud cernimus. In colloquium veniendum eſt, quando alicujus concordiæ ſpes oſtenditur. Jam vero, quum Jacobus Carolum in Siciliæ poſſeſſionem mittere enixe velit, noſque illi in hoc ſine, noſtri juris, noſtræque fidei jactura, ac utriuſque dedecore indulgere nullo pacto poſſimus, quiſnam in tam contrariis ſtudiis futurus compoſitioni locus? Valeret imo ejuſmodi congreſſus, in quo nobis integrum non eſſet fratris voluntati non obſiſtere, ad ejus animum irritandum, ac magis, magiſque nobis infenſum reddendum. Quod Jacobus aliquando nos in filii dilexerit loco, non repugnamus. Quod in præſens adeo nos amet, ut aſpectus noſter ipſum poſſit a conſiliis, abs re noſtra captis, removere, inducere in animum nequimus. Uxoris amor, ſoceri reverentia, Pontificis Maximi auctoritas, & quod maxime in Principibus omnes animi vincit affectus, ſuum bonum, ſuaſque rationes procurandi ſtudium, caritatem in fratrem, quæ minus ardens eſſe ſolet, utique ſuperarent. Nonne Jacobus jam inde ab ſua in regnum Aragoniæ ſucceſſione ſuas utilitates damnis noſtris ſibi ſemper comparavit; detrimenta ſua noſtris detrimentis redemit? Legati ad eum a vobis tum miſſi, quando in ſuo regno reſidebat, qui ſuo ſqualore, ſuiſque lacrymis univerſam Aragoniam commoverunt, ne minimum quidem in illo commiſerationis ſenſum excitare potuerunt; excitabunt nunc, quum is in hoſtium regione, ac veluti in eorum poteſtate eſt, atque ab ipſis undique circumventus? At acerbum, pernicioſumque tolerandum eſt bellum, internecinum etiam. Quid inde? Utcumque adſuturum ſit bellum, quæcumque ex eo eventura forent mala, pro nihilo habenda, præ illis, quæ a Gallorum dominatione, tanto nunc atrociora haurienda vobis eſſent, quanto magis illa impotens iræ gens a vobis ſe læſam exiſtimat. Aragoniæ Regem eſſe vel mari potentem, cui dubium? Sed longe potentius ſupremum eſſe Numen, quod pro injuſto bello petitis, & ſibi in ipſo præſidium collocantibus, propugnat, quis inficias ibit? Præterquamquod, quum pro parentibus, pro conjugibus, pro liberis, pro aris & focis pugnandum, ut contra Gallos Siculis pugnandum eſt, vires omnibus ſufficiunt. Quod eſt reliquum, ſi quidem Jacobus Siciliæ Regno deceſſerit, nos non intelligimus, quare Aragonienſes, qui in Sicilia ſedes, fortunaſque ſuas collocarunt, ſi ubi ille infeſta in eam inferret arma, arma capeſſerent, ac vim vi propulſarent, perduellionis culpam contraherent. Hi enim non amplius Aragonienſium, ſed*

Siculorum numero habentur; at proinde ut cæteri Siculi pro ſuo Rege, ſuaque patria pugnare gentium jure & poſſunt, & debent,,. His ea animi firmitate, quæ Regi propria erat, prolatis, eorum, qui titubabant, confirmatis animis, conventus ſolvitur, cunctorum cogitationibus, curiſque ad bellum multo durius ſuſtinendum converſis, intentiſque, eo maxime quod ab Andegavenſibus ne interea quidem, dum de colloquio inter Regem Aragoniæ, & Federicum habendo agitabatur, hoſtilibus conatibus temperatum: quum enim quod portorii nomine in Inarime inſula ex vini exportatione exigebatur, ſinguli aurei in ſingula dolia, intolerabile Neapolitanis videretur, hi cum novem magnis navibus, milite impletis, vexationem, quam putabant, ulturi Inarimen petunt, ſed infelici incepto; etenim Petrus Salvacoxa, qui Inſulæ pro Siciliæ Rege præerat, cum quinque tantum, quarum facultatem habebat, & eis, ut in re ſubita, utcumque inſtructis, longis navibus, hoſtium claſſi, magnitudine quamvis, & numero navium validiori, occurrere non dubitans, non ſolum ab Inſulæ appulſu eam prohibet; verum etiam conſerto prælio, ab ipſa claram refert victoriam: quinque enim Siculæ longæ naves totidem ex novem adverſariorum navibus unaquæque ſuam adorta, expugnant, ac capiunt, reliquis fuga eamdem calamitatem evadentibus, majorem ſubituris, ultimum ſcilicet ſupplicium, quo navarchos ob rem male geſtam Rex Carolus damnavit. Nihilo tamen ſecius is in tantam ſpem Siciliæ quamprimum recipiendæ venerat, ut ratus Siculos ſuum averſari dominatum ob motum, ne ab ipſo tanquam perduellionis noxii haberentur, ſuis literis veniam eis, impunitatemque ample pollicitus ſit. At, quo plures Carolus ad Siculos captandos vias perſequebatur, eo magis ii in fide erga ſuum legitimum Regem, qui jus ad regnum a Nortmannis, ejuſdem fundatoribus, certa ſucceſſione repetebat, ſeſe obfirmabant, parati eumdem caſum ſubire, quemcumque ſuo legitimo Regi fortuna tribuiſſet, vel extrema quæque experiri citius, quam ab officii, & juſtitiæ religione declinare. Federicus vero nihil non tentaverat, ne cum fratre, quem ſummopere obſervabat, in diſcrimen veniret. Per literas, & per certos homines Arnaldum Olmellam, & Ximenium Olitum, cauſam ſuam regni Aragoniæ ordinibus probare gravatus non erat; eoſque rogare, ut Jacobum ab incepto ſpoliandi Siciliæ regno juvenem, Regio Aragonio a ſanguine cretum, fratrem ſuum germanum, illudque genti

ſtir-

ſtirpi Aragoniæ inimicæ prodendi, ſuis precibus, officiiſque averterent.

Quum Lauria ad colloquium cum Jacobo ineundum Federicum illicere nequicquam contendiſſet, ei ſecundum Meſſanenſe Moſellæ litus cum Conrado Lancea animi cauſa quadam die equitanti ſe inter viam offert, atque a Jacobo ad ſe ſcriptis literis, quibus Jacobus Lauriam advocabat, oſtenſis commeatum petit, ſe quod Federici intereſſet curaturum, ac rediturum profeſſus. Rex ex Lanceæ ſententia, qui nihil inde detrimenti oboriri poſſe cenſet, ipſi commeatum, ſimulque binas rates, ad transfretandum, permittit, caſtris, quæ in Brutiis ſui juris erant, proſpecturo, ac continuo Meſſanam repetituro, ut inde Romam, ubi Jacobus agebat, proficiſceretur. Lauria in Brutios profecto, ſuggeritur Federico, eum, de cujus fide hactenus merito fuit dubitatum, certis nunc conſtare indiciis cum hoſtibus ad Hydruntum conſenſiſſe, nec aliam ob cauſam ſe contuliſſe in Brutios, niſi ut ſua caſtra muniret, munitaque Carolo ad ineundam ab illo gratiam traderet. Hæc in aures ingeſta, ſic Regem afficiunt, ut quamquam Rogerius brevi remeaverit; nihilo tamen minus, cum Regem ſalutatum, multis adſtantibus proceribus, adiens, os ad oſculandam ejus dexteram admovit, Rex illam indignabundus retraxerit. Rogerius indignationis cauſam requirit. Rex ei defectionem exprobrans, ne abſcedat, indicit. Hoc Regis juſſu, quamvis nemo manus in eum injiceret, intelligens ſe captum, in aulæ angulum, attonito ſimilis, (adeo Regum iræ elatiores frangunt ſpiritus) ſecedit. Hic Comes Manfredus Claromontius, & Vinciguerra Palicius, qui in maxima gratia apud Regem erant, ejus ſedant iram, ac ſemetipſis datis vadibus, exorant, ut Rogerius liber dimittatur. Nox erat, quum is ſe domum recipiens, inſtructam epulis cœnam, & plures familiares, qui ipſum, convenerant, reperit. Hos vultu dolorem animi tegens, comiter, ut ſolebat, ſalutat, ad cœnam invitat, & jucunde habet. A cœna cubitum non diſcedit, ſed per poſticum egreſſus, in electum equum, ad hoc paratum, inſiliens, cum tribus militibus, cæteris imprudentibus, viam, quæ Caſtrum Leonis ducit, corripit; & noctem totam iter celeri gradu faciens, illo ad horam diei tertiam pervenit. Rogerius in Caſtrum Leonis eo perfugerat conſilio, ut & illo, & Noariæ, Tripis, Francævillæ, Ficarræ, Acis, aliiſque, quæ in Sicilia poſ-

poſſidebat, firmatis caſtris, Regi reſiſteret; Rex vero ſibi propoſuerat eum, ni per apparitorem *(a)* citatus vadimonium obiret, armis ſubigendum; verum ſubito mutatâ ſententiâ, contentus non minimo pecuniæ numero, quem Lauria pro ſuis a multa ob vadimonium deſertum eximendis vadibus perſolvit, in eo, quod ille Regni finibus excederet, & quo vellet, abiret, connivere ſatius duxit.

Legati Jacobi Regis, & ipſi ab Sicilia diſceſſuri erant, quandoquidem a Federico certum reſponſum acceperant, ſe in colloquium cum fratre procedere ex Siculorum mente, quibus refragandi nullam habebat facultatem, haud poſſe, mandatumque, ſe eorum Regi, cui ſatis cognitum Principes non ſui, ſed populorum, quos imperio regunt, juris eſſe, excuſent, ſuoque profiteantur nomine quantum in ſe erit, nunquam defuturum obſequio quod fratri natu majori, pietati, quam parenti, parentis enim loco eum ſemper habuerat, debebat. At Legati qui cum mandatis venerant, ubi Federicus convenire Jacobum abnuiſſet, Conſtantiam matrem, & Jolantam ſororem ad ipſum deducendi, ejus rei ſibi gratiam a Federico petunt *(b)*. Federico, etſi a cariſſima matre, & ab dulciſſima ſorore divelli grave nimis, acerbumque accideret; & Jolantam nuptui cum Roberto Caroli filio ex pactis, in quæ Jacobus cum Carolo, ut antea demonſtravimus, convenerat, collocatum iri, haud lateret; tamen ne fratri in omnibus obſiſtere videretur, eumque ſibi inimiciorem redderet, liberum matri arbitrium vel manendi, vel abeundi fecit. Conſtantia, quia utrumque filium æque diligit, hæret, nec quo ſe vertat, habet; abire ſimul, & manere vellet. Demum decere ſe filiam ad ſponſum deducere cogitans, ſimulque præſentem poſſe materna auctoritate Jacobum Federico conciliare, ire conſtituit. Igitur filium non ſine lacrymis complexa, una cum filia, & Jacobi Legatis Mylis prætoriam conſcendens navem, reliqua claſſe regio inſtructâ apparatu,

(a) *Specialis utitur vocabulo* Oſtiarii. *Etiam nunc nos apparitores* Oſtiarios *appellamus.*

(b) *Sunt, qui ſcribunt novos Legatos petitum Matrem, & Sororem a Jacobo ad fratrem miſſos. Nos in hoc, ſicut in cæteris, a Jacobo geſtis Suritæ, qui ut Aragonienſis, ſui Regis actorum certiora monumenta præ manibus habuit, aſſentiri maluimus.*

Digitized by Google

tu, comitante, hinc triſti deſiderio relicti filii, illinc filii reviſendi dulci expectatione affecta, Romam, ubi Jacobus eam præſtolabatur, ſecundo curſu venit. Una cum Regina ab Sicilia diſceſſit Rogerius Lauria, relicto tamen apud Regem, cui acceptus erat, ſui fratris filio Joanne, quem, perinde ut ab ſe natum, carum habebat. Huic procuranda, cuſtodiendaque ſua oppida, caſtellaque concredidit, incolis ſecreto præcipiens, ut in omnibus Joanni dicto audientes eſſent. Se comitem Lauriæ dedit Joannes Prochyta. Hic quoque, ubi vidit, eo loci rem eſſe deductam, ut Aragonum Rex, quo in Siciliæ poſſeſſionem Andegavenſes reſtituerentur, his ſuas juncturus eſſet vires, veritus ne tantam belli molem Federicus ſuſtinere non poſſet, ab ejus partibus ſimul, & ab Sicilia recedere conſilium cepit. Nec Federicus interceſſit; tametſi nihil ei facilius fuiſſet, quam & hunc, & Lauriam itidem, quominus ad hoſtes tranſirent, prohibere: attamen id penſi non habuit: Federicum enim, quum is vir eſſet, qui ſibi ipſi ſufficiebat, nec alicujus indigebat ope, nihil certe affeciſſet a quocumque deſtitui; eo minus ab hominibus deſeri, quos tempori, propriiſque commodis inſervire, animumque mutata fortuna mutare compererat, permovit. Vir exquiſiti judicii, ſi quis unquam fuit, Ludovicus Antonius Muratorius in ſuis annalibus Italiæ ad annum MCCXCVII Federico culpæ vertit, quod, quum potiſſimum ſibi opus erat, Lauriam ſpectatæ virtutis claſſis Præfectum non amiſerit modo, verum etiam inimicum ſibi fecerit. Si tanti viri fas eſſet judicium reprobare, diceremus, quod ſi aliquid in hoc Rex noſter peccavit, in eo quidem peccaſſe videretur, quod ſuperbiam, arrogantiamque Lauriæ diu ſuſtinuerit; & quod, ubi ad hoſtes eum deſciturum intellexit, in vincula non conjecerit; deque eo debitas perduellioni non ſumpſerit pœnas, ſed impunitum, liberumque dimiſerit. At hoc, utpote ex quadam animi lenitate, magnitudineque profectum, laudi potius ei dandum. Cæterum Federicus in nullo unquam Lauriam offenderat; ſed ſemper adeo in honore habuerat, beneficiis, ornamentiſque cumulaverat, ut vere dici haud poſſe videatur, ejus cauſâ, culpâque factum, quod hic ab ipſo defecerit. Quod Lauria, & Prochyta deſciverint, eo minori Federico detrimento fuit, quo munera, quibus ii fungebantur, virtute paribus, ſed fidei, cujus a Principibus in adminiſtris ſuis eligendis ratio potiſſimum habenda eſt, integrioribus viris detulit, creatis claſſis Præfecto Conrado ex Genuenſi inclyta, nobi-

biliſſimaque Aurearum gente, & ipſo inclyto cum primis, illuſtrique viro (*a*), & magno Scriba Conrado Lancea, eodem, quem juri diſceptando, maleficiiſque vindicandis, præpoſitum ſupra commemoravimus, ejus loco Matthæo ab Thermis ſuffecto. Neque Federici beneficentia in ſingulis de ſe bene meritis remunerandis continetur; effunditur in gentes, & civitates. Catalaunis, ab eorum negotiorum geſtore exoratus, immunitates, quibus, Jacobo regnante, in Sicilia fruebantur, comprobat (*b*). Syracuſarum civitatem de portoriis eximit. Eidem prædium Inſulæ nuncupatum, & lacum in ejus agro poſita, elargitur. Facultatem lignandi in Regiis nemoribus concedit. Primam cauſarum cognitionem municipali judici attribuit. Partem, quam Federicus Imperator, de ejus agro detractam, Auguſtæ oppido ab ipſo condito, aſſignarat, reſtituit. Syracuſanos Tonſores ab vectigali, quod pro tonſtrina habenda pendebatur, immunes facit (*c*). Jacobus interim matri, ſororique ad Romana litora appulſis obviam cum ſuis omnibus, ac magno optimatum comitatu procedens, eas ſumma lætitia, grataque animi benevolentia, quod ſui gratia Federicum reliquiſſent, excepit, & honore, quo par erat, in urbem introduxit. Mox, ut Romam una cum Carolo patre, & tribus fratribus, Robertus advenit, celebratæ fuerunt deſponſæ ipſum inter, & Jolantam nuptiæ tanta pompa, tantaque Neapolitanorum procerum frequentia, ac apparatu, ut nihil ſplendidius, magnificentiuſque viſum ad illam diem fuerit, a Bonifacio Pontifice Maximo, cui regalis non deerat animus, nihilo facto reliqui, quod ad eas cohoneſtandas, condecorandaſque pertineret. Conſtantia non poterat non gaudere, & quod ſex poſt annos filium reviſere ſibi inopinato datum fuiſſet, & quod filiam ſumma ſpe, & animi, & ingenii prædito Regio juveni, ac nobilis, beatique Regni hæredi, collocaſſet: ſed ſimul, quæ eſt mortalium miſera conditio, ut eis ſincera nulla, ſolidaque accidat voluptas, non poterat non dolere, quod ab alio non minus dilecto filio abeſſet; quod Siciliam avitum patrimonium, ſuam hæreditatem, ſuumque dotale regnum, reliquiſſet; quod Siculos, a quibus peramanter obſervabatur, colebaturque, deſeruiſſet. In ea nuptiarum celebratione nihil profecto,

(*a*) *Conradi elogium habetur inter Uberti Folietæ clarorum Ligurum elogia*.
(*b*) *Vide Monum. num. VIII.*
(*c*) *Vide Monum. num. IX.*

Digitized by Google

cto, quod magis ſpectaretur, quam hæc Regina fuit, amicitiâ, affinitateque, quæ ſunt humanarum rerum viciſſitudines, cum Andegavenſibus conjuncta, quos inter, & Suevos perpetuum internecinum exarſerat odium; qui morti vel ignominioſæ ſuos cariores dederant, qui ipſius ſtirpem penitus delere modis omnibus contenderant.

Peractis nuptiis Jacobus in Aragoniam regreditur, brevi Italiam repetiturus, ſtatim ac paratum eſſet, quod ad Siculum bellum aggrediendum parari illic mandaverat. Conſtantia a Pontifice Maximo ſacris reſtituta, & regaliter habita, religionis ergo Romæ per aliquid temporis morata, inde Neapolim commigrans Salerni conſtitit *(a)*. Carolus Joanna Aquila, ad quam hæreditario jure fundorum, aliorumque oppidorum dominium pertinebat, in grati erga Bonifacium animi argumentum, Jordano Cajetano, ejus fratris filio, uxore data, cum filiis, ac nuru Neapolim revertitur. De Prochyta alii tradunt eum a Carolo in gratiam receptum, ac in bonorum, quæ in regno Neapolitano ſui juris fuerant, poſſeſſionem reſtitutum, non multo poſt Romæ obiiſſe; alii vero ipſum cum ſua familia in Hiſpanias migraſſe; ibique collocata ſede vitam finiviſſe. Rogerium Lauriam Pontifex Maximus diris ſolvit: concedit, ut Acis oppidum, quod is vectigale a Catinenſi Antiſtite obtinuerat, Pontificia auctoritate ut proprium poſſidere poſſit; efficitque ut Andegavenſium, queis hactenus tam infeſtus fuerat, tantaſque attulerat clades, parti ſe addicat, deſerta Federici, quam juſtam probaverat, causâ; adeo in miniſtris principum rara, & quæ in dubiis, difficilibuſque eorum rebus ſibi conſtet, eſt fides. Lauria igitur Carolum Regem Neapolim proſequitur. Ei & quæ intra regni Neapolitani fines poſſederat, oppida redduntur, aliaque donantur; & ratum habetur, quod ipſi de Acis oppido Pontifex maximus conceſſerat *(b)*; nam Carolus de rebus Siciliæ, ac ſi in ſua eſſent poteſtate, decernebat. Eidem inſuper, quod in Sicilia gerebat, claſſis Præfecti munus defertur, dato Provinciarum Præſidibus, aliiſque Regiis adminiſtris mandato, ut in omni re ma-

(a) *Surita ex Aragoniæ monumentis teſtatur Conſtantiam in Hiſpaniam cum Jacobo filio commigraſſe. Nos ab communi noſtrorum Hiſtoricorum opinione recedere par eſſe non exiſtimavimus.*

(b) *Vide Monum. num. X.*

maritima imperata ejus facerent. Carolus Lauriam, quænam Siculis inferendi belli ineunda ſit ratio, conſulit; eidemque, quod ad id bellum parato opus eſſet, ut paret, atque expediat, negotium dat: ipſe vero a Rege, priuſquam ad arma procedatur, veniam in Siciliam clam ſe conferendi poſtulat, ut ſua auctoritate, ac ſuorum neceſſariorum, clientumque ope Siculos ad officium redigere tentet; & ſi hac non ſuccedat, alia aggrediatur via, turbas nimirum, ſeditioneſque inter ipſos excitando, unde facilius vi ſubigi poſſint; opus quoque eſſe ſe in Siciliam conferre ad ea, quæ ibi caſtra obtinebat, coram permunienda, non tantum ſuâ, quam communi cauſâ ut ſcilicet in his expugnandis hoſtis diſtineretur, diſtrahereturque. Hoc conſilium Carolo probatum non tam cito, nec tam occulte perfici potuit, quin Federicus, ejus rumore percepto, aliquot præmiſerit naves, quæ in inſidiis poſitæ Lauriæ ſpecularentur adventum, appulſum impedirent, & ſi fors ferret, ipſum caperent; adeo, ut, quum ipſe celoce (a) Siciliam, ut propoſuerat, peteret, in ſpeculatorias naves ad Æolias inſulas inciderit; parumque abſuerit, quin comprenderetur, aut quia in tam celerem ſe fugam dederit, ut noſtri nautæ illum aſſequi non potuerint, aut quia tanti viri reverentia capti, quominus eum inſequerentur, ſeſe retinuerint. Joannes Lauria, ut Patrui caſum accepit, ab aula ſe ſurripiens in Caſtrum Leonis aufugit. Hinc infeſta arma in proximum Randatii oppidum tulit, ob ſeditionem ab aliquot ibi factam ſe illius nullo negotio potiturum confidens. Sed res contra opinionem accidit; nam a populo, compreſſis ſeditioſis, expulſus turpiter fuit. Quapropter irâ percitus in Maſcalarum vicum agmen intendens, illum invaſit, vaſtavitque.

Quum Rogerius Lauria cum ſuis tam inſolenter adverſus Federicum, Siculoſque ſe gereret, diutius cunctari haud oportere exiſtimatum fuit, ipſum proſcribere, hoſtemque publicum pronunciare. Eo igitur proditionis damnato, proſcriptoque, ſtatuitur oppida, quæ ipſe poſſidebat, ſi quæ nihilo minus pro ipſo tenerentur, armis ſub Regiam ſubjungere poteſtatem. Initium ab Caſtro Leonis, quod erat re-

(a) *Specialis utitur Græca voce* dromonis *quod eſt genus celerrimi navigii, ſic dictum a Græco verbo* δρέμω *curro. Dromones, ut ex Nonio Hotomanus in commentario verborum juris ſcribit, navigia ſunt celerrima, quaſi curſoria, quot celoces Latini a celeritate appellant.*

Digitized by Google

reliquorum veluti caput, appetendo ſumitur. Ipſe Rex aciem eo ducit, & quod illud Joannes Lauria, Guilelmus Pallocta, Thomas Leontinus Caſtrivetcrani dominus, compluresque alii, electi, expertique belli milites, ipſius Rogerii cognati, ſtrenuè tuebantur, triplici vallo cingit, variiſque impugnat tormentis; ita ut quaſſatis jam mœnibus, quum alioquin obſeſſi annonæ inopia laborarent, nec eis ſubſidii ſpes ulla oſtentaretur, non ſine aliquo tamen Regiis illato detrimento, & ea conditione ſeſe dedunt, ut ipſi cum cognatis, familiaribus, omnique re ſua in Brutios Regia rate incolumes tranſducantur. Erant in Caſtro Leonis una cum Joanne fratris filio, & hujus conjuge Hilaria, filia Comitis Manfredi Malecti Quæſtoris, uxor, liberi, aliique Rogerii Lauriæ propinqui, ac nonnulli nobiles, potenteſque ejus partium viri. Fuit interim aliquorum ex Regiis conſilium, hos retinendos, aſſervandoſque; quippequi uſui eſſe poſſent, ut Lauria ad officium rediret. Sed Rex ab hoc conſilio abhorruit, utpote a fide alienum, putans, ſi omnium, maxime Principum eſſe promiſſa præſtare. Dum Rex Caſtrum Leonis obſidebat, dedit ex caſtris literas, quibus mandabatur, ut ſui Quæſtores integram ejus, quod in Politii, Calatabuturique oppidis veterum vectigalium, Curiæque jurium exigerent, decumam Pontifici Cephalœditano ſolverent *(a)*, jam inde ab ſui regni principio, & in tantis licet ſumptibus, quos ſuarum rerum ſtatus depoſcebat, ſe in rem religionis liberalem præbens. Ut ipſe erat & religionis, & publici boni ſtudioſus, non poterat ſimul non eſſe in rem religionis munificus. Quidquid enim in rem religionis confertur, in rem confertur publicam, in inopum ſubſidium, in arborum curam, in tutelam puellarum, in infirmorum ſolamen, in puerorum educationem, in alimenta ſacrorum miniſtrorum, qui divina procurent, ac in populis pietatem erga Deum, probitatemque morum, ſine quibus hominum ſocietas ſtare nequit, doceant, foveant, tueantur, in urbium ex magnificis ſacris ædificiis decus, ornamentumque, inque alia ejuſmodi. Ejus ſane, quod religioni addicitur, nihil ſibi vendicant ſcena, alea, comiſſationes, luxus, ganea, aliaque id genus publicæ rei aut pernicioſa, aut inutilia. Per hoc idem tempus Meſſanenſes arma pro tam pio, tamque bene-

fico

(a) *Monum. num. XI.*

Digitized by Google

ſico Rege contra rebelles alacri ſtudio capeſſentes Francævillæ caſtrum (a), quod a Caſtro Leonis interfluens non procul amnis ſeparat, adorti, illud in deditionem adegerunt. Captis Caſtro Leonis, & Francavilla, reliqua Lauriæ caſtra in Regis poteſtatem ultro conceſſere, præter Acis caſtrum. Hoc quum finitimi Catinenſes, ubi Rex Lauriam perduellem dixit, ejuſque bona publicavit, agmine facto aggreſſi, quod ingenti præruptoque ſaxo poſitum, mari ſubluitur, nequicquam circumvallaſſent, machiniſque multos dies oppugnaſſent, Rex ab Caſtro Leoni in poteſtatem redacto, eo accurrens, contabulatam turrim ad arcis oppugnationem adhibere inſtituit; quam ut primum muris admoveri oppidani viderunt, rei inſolentia perculſi, quum diutius reſiſtere non potuiſſent, ſtatim deditionem pactione eadem, qua Caſtri Leonis defenſores ſeſe dedidere, intempeſtivam fecerunt. Ex publicatis Lauriæ oppidis, prædiiſque ærario obvenere, ut Surita auctor eſt, penes quem fides ſit, ſingulis annis, quot ex eis redibant, quadringenta quinquaginta octo auri pondo cum triente, præter pecuniam numeratam, quam ipſe apud trapezitas poſitam fœnoris cauſa habebat, & quæ ex gemmarum, auri, & argenti facti, ac ſupellectilis pretio conflata fuit parem ſummam conficientem, ſummam quidem, ut tum res erant, Suritæ judicio ingentem, ut nobis videtur, parum veroſimilem. Traxit quidem Lauria in proditionis labem aliquot ſuos propinquos, neceſſarioſque; at Lambertum Montapertum, Raphadalis dominum, cui filia ſua Conſtantia nupta erat, a fide erga Federicum removere nequaquam potuit. Eorum ergo, qui Rogerii defectionis participes extitere, bona, oppida, & caſtella, quæ habebant, publicata pariter fuerunt. Sed caſtella, & oppida cum Rogerii, tum aliorum Fiſcus diu non tenuit; quandoquidem his alii illuſtres, & genere, & virtute viri donati fuere; unde in Jueniorum gentis Caſtrum Leonis, in Lancearum Ficarra ditionem pervenit. Et quoniam Blaſcus Alagona erga Regem meritis cæteros anteibat, & citra, & trans Pharum oppidis, quibus perduelles potiebantur, cumulatus præ cæteris fuit. Per hoc quoque tempus Rex Scylacæum oppidum cum Comitis titulo Hugoni ab Empu-

(a) *Quod oppidum celebre reddidit prælium, noſtra memoria a Germanis cum Hiſpanis apud illud commiſſum, ex quo ſummam Hiſpani gloriam retulere.*

puriis, de quo ſupra meminimus, vectigale largitus eſt.

Rogerius Lauria, & quod ſuum de adeunda, turbandaque Sicilia conſilium nihil proceſſiſſet, & quod caſtra, quæ in ea tenebat, amiſiſſet, pudore, ac irâ inſtinctus, idoneis copiis ab Rege Carolo acceptis, in Brutios prope furens proficiſcitur, rem Federici ibi everſurus; adeo ut haud veritus ſit, Blaſcum Alagonam, qui ut demonſtravimus, Federici Legatum illis in partibus gerebat, ad colloquium pertractum, nihil nomine & Pontificis, & Caroli non pollicitus, ad defectionem provocare. Quod etſi fruſtra pertentaverit, illud tamen effecit, ut Federicus aliqua de Alagona ex hoc colloquio concepta ſuſpicione, ipſum in Siciliam revocaverit. Blaſco ab Brutiis digreſſo, quum Catacii cives ad Regis Caroli partes ſe convertiſſent, arcis Præfectus, quod illam Galli acriter oppugnarent, nec ſibi ad ipſam diutius tuendam vires ſuppeterent, in eam conditionem cum iis deſcendere coactus fuit, ut niſi intra triginta definitos dies ſubſidio ſibi ventum eſſet, arcem traderet. Federicus certior de re factus, extemplo Alagonam una cum Guilelmo Calcerando, & Guilelmo Raymundo Montecateno in Brutios remittit, qui illic hoſtium conatis occurrant. Alagona, etſi nulla interjecta mora illuc cum claſſe profectus eſſet, quum in Scylacæi oram deſcendiſſet, Catacii fines, niſi pridie ejus diei, qua arcem tradi conventum fuerat, attingere potuit, & quidem cum ducentis tantum equitibus; quibus Galiottus Floriacus Gallus, a ſuis contra illius temporis Gallorum morem transfugiens, ſeſe adjunxit. Hinc Rogerius Lauria, Petrus Ruffus, Reforciatus Provincialis, & Malgerius Collipetra cum quadringentis equitibus Catacio appropinquant, ut Blaſco ſeſe opponant; ad quos cum alii trecenti equites ductore Gotifredo Milio ſeſe aggregaſſent, ad amnem, qui Siccus dictus Catacium præterfluit, ad certamen cum Blaſco miſcendum procedunt. Atque Blaſcus, quamquam viribus longe inferior, ex ſuis etenim ducentis equitibus jam viginti ſeſe ab ſignis ſubtraxerant, pugnam non detrectat: attamen ut impreſſionem hoſtium, qui ſibi in tres diviſi acies præfidenti propter majorem numerum animo adverſum veniebant, ſuſtinere aliquo modo poſſit, ſuos equites in unam cogit aciem, quam ipſe medius, a dextra Calcerandus, a ſiniſtra Montecatenus ducant, Martino Ollecto cum aliquot cunei in modum ordinatis electis militibus præcedere juſſo. Nautas, navaleſque milites ob terreſtrium

pau-

paucitatem è claſſe eductos, qua fluminis ripæ eminebant, ad aciei latera obſervanda locat. Hoc conſilio, ſuorumque virtute Blaſcus non ſolum concurſui hoſtium reſtitit, ſed hos repulſos ſuis, qui fluvii ripas inſederant, debellandos obtulit. Quapropter ex hoſtibus aliquot cæſis, nonnullis captis, compluribus vulneratis, reliquis in fugam conjectis, plenam reportaſſet victoriam, ni ſuperveniens nox fugitivos inſectandi impedimento fuiſſet. Inter mortuos, ſaucios, captoſque haud unus & alter ex ducibus extitit. Gotifredus Milius ſuæ ſaluti fuga conſuluit. Qui Lauriæ vexillum tutabatur Jacobus ab Caſtrocucco, & ipſe terga vertit. Reforciatus manus Siculorum effugere non potuit; ipſeque Lauria, ſuo equo telis confecto, tam grave in brachio vulnus accepit, ut pugnam deſerere, atque in propinquæ vineæ ſepem ſe abdere neceſſe habuerit, incertus quam ſubiturus eſſet fortunam; niſi quidam ex ſuis familiaribus forte illac tranſiens, cum agnitum in ſuum equum inferens, per noctis tenebras incolumem in Badulatum illius juris, ut docuimus, caſtrum conduxiſſet. Quod vinci Rogerius inſuetus eſſet, hunc caſum adeo ægre tulit, ut a lacrymis temperare non potuerit: nec ei quod a ſuis ſuggerebatur ſolatio erat, non ipſius quidem culpæ, ſed ſiniſtris Regis Caroli fatis, quod adverſi acciderat, eſſe tribuendum. Blaſcus, devictis hoſtibus, ſub noctem militem ſpoliis gravem cum captivis Scylacæum triumphans reducit; ſed inſigniorem triumphi materiam, quam Reforciatus inter captivos deductus præbuiſſet, ipſi eorum eripuit perfidia, quibus in cuſtodiam datus fuerat, qui muneribus corrupti una cum illo fugam capeſſivere. Poſtridie ejus diei, quo prælium commiſſum fuit, Galli Catacium deſerunt, recipiunt Siculi. Federicus Galiottum, ut alios ad Caroli ſigna deſerenda alliceret, certe haud honeſto, ſed ne utili quidem conſilio, præmiis cumulavit; eidemque ut locuples nuberet mulier, effecit, adeo ut iſte Gallus transfuga ex paupere milite opulentus civis evaſerit.

Inceptum aliud hoſtibus ceſſit haud felicius. Bernardus Sarria, qui cum viginti longis navibus a Jacobo in Caroli ſubſidium præmiſſus fuerat, poſtquam Coſyram Inſulam appulſus, ei multum importarat detrimenti, multoſque Saracenos, qui ipſam ſub imperio Siciliæ Regis incolebant, captivos fecerat, Melitam ex improviſo adortus, oppido, quod immunitum erat, nullo negotio occupato, arcem obſidet. Sed ubi in ejus auxilium adventare cognoviſſet ipſiuſmet Regis ductu triginta regias longas naves, præter quatuor a Pa-

Digitized by Google

normitanis, & ſeptemdecim ab aliis Regni civitatibus contributas, inſulà, re infecta, deceſſit (*a*). Lauria, ut ex vulnere, quod in corpore ſuſceperat, convaluit, quoniam inſanabile ob cladem ad Cataeium acceptam, vulnus in animo alebat, confeſtim Regem Carolum convenit; & non victi, ſed victoris vultum gerens, Gallos milites, ne ducibus quidem exemptis, ignaviæ incuſat, eorum fugæ infelicem Catacienſis prælii exitum aſcribit; prædicat eos tam, ubi cum hoſte dimicandum ſit, inertes, quam ſtrenuos, ubi cum patinis, & ſcyphis, conſerenda ſit manus; contendit, niſi Pontifex Maximus Regem Jacobum urgeat, ut cum ſuis copiis in Italiam contra Federicum, Siculoſque ex fœdere properet, de Sicilia pro Andegavenſibus recipienda eſſe deſperandum; quin ne ipſi provincias cis fretum omnes amitterent, valde timendum. Nec vanis exprobrationibus, quere-

(*a*) *Forte aliqui admirabuntur illius temporis Reges, & Reſpublicas etiam quibus non tam amplæ erant opes, tot longas naves, aut galeras, ut dicebantur, ſuſtentare, & tam facile illas parare, ac inſtruere potuiſſe. Aſt admirari ceſſabunt, ubi illud animadvertant, quod ea tempeſtate longæ naves præter illas non multas, quæ, ut præſidio maritimæ oræ eſſent, in procinctu ſemper ſtabant, reliquæ, confecto bello, dimiſſis remigibus, nautis, claſſiariis, nudæ in navalia reducebantur. Porro, quod ad Siciliæ & Neapolis regna attinet, id tunc obtinebat, ut quum aliqua navalis expeditio ſuſcipienda eſſet, longæ naves ſumptibus civitatum, non modo litoralium, verum etiam mediterranearum, & Dynaſtarum adornarentur, ex ærario tantum ſtipendio remigibus, nautiſque per expeditionis dies perſoluto. Quod novum non erat; nam jam inde, quum Romanæ Reipublicæ Sicilia provincia erat, obtinuiſſe ex Tullii Verrinis conſtat in ea conſuetudinem, ut naves, quæ oram obſervarent, civitatibus certo numero remigum, nautarum, claſſiariorumque, publico ſumptu inſtruendæ, ſuſtentandæque imperarentur. Adde quod tunc temporis longæ naves non inſtruebantur tormentis bellicis, ut nunc inſtruuntur, quia homines, in ſui perniciem etiam, atque etiam in dies ingenioſi, ea nondum invenerant. Quibus de cauſis quinquaginta tunc impendii minus, quam octo, vel decem nunc longarum navium claſſis poſtulabat, ut Conſtantius ex publicis illius ætatis accepti, & expenſi codicibus ſe rationem ſubduxiſſe teſtatur; etſi illius ſæculi longas naves haud minoris, quam recentiores, molis fuiſſe liquet ex multis Regis Martini diplomatibus; ex quorum uno patet fuiſſe longas naves, quæ remos octo ſupra triginta palmis longos haberent. Vide Monum. n. XII. Quamquam galeræ, quæ vernaculo vocantur ſermone, vulgo triremes latinè redduntur, nos longas naves eas interpretari rectius exiſtimavimus: nam ſatis apud eruditos explicata, explorataque res eſt, triremes fuiſſe naves tribus remorum ordinibus, uno ſupra alium diſpoſitis inſtructas, eas vero, quæ uno tantum remorum ordine conſtabant, ut galeræ conſtant, longas naves dictas.*

reliſque contentus, ipſemet continuo viam in Aragoniam ad Jacobum corripit, ut ei ſtimulos ad hoc addat. Contra Federicus, ut fratrem ab hoc conſilio retrahat, alium ſecreto in Aragoniam nobilem virum mittit Montanerium Pereſium Soſam, qui cum Raymundo Fulconio, Cardonæ Procomite, cui plurimum fidebat, re communicata, cum Aragonienſibus agat, ut Regem ſuum ab Siculo bello avocent, eis inculcans in portenti loco apud omnes habendum, internecinum bellum Jacobum ipſum per ſe germano fratri inferre, longinquæ, periculiſque plenæ expeditioni caput ſuum objicere, Aragonienſium copias, pecuniam, ſanguinem profundere, Siculæ genti tam Aragoniæ Regum ſtirpi fidæ, obſequentique, tamque Aragonienſi genti amicæ, exitium parare, & hoc non aliam ob cauſam, niſi, ut Siciliæ regnum cum tanta Petri patris gloria, tantiſque ejus laboribus, ſumptibus, dimicationibus, ab Andegavenſibus, qui illud ſibi tam crudeliter uſurparant, Aragoniæ familiæ recuperatum, contra ejuſdem parentis mentem fratri ereptum ad ipſos Andegavenſes rediret. Præterea quoniam Federicus noverat, Rogerium Lauriam in Aragoniam tranſiturum, Fulconium procuratorem ſuum conſtituit ad illum proditionis ibi arceſſendum, omnique ratione etiam ſingulari certamine, ex more, inſtitutoque Aragonienſium appetendum (*a*). At hacce ſecunda in Aragoniam miſſione nihil magis, quam ſuperiore, Federicus promovit; quin immo Montanerius, ni propere fuga ſe inde eripuiſſet, captus in vincula conjectus fuiſſet. Rogerio Lauria in Aragoniam profecto, Bartholomæus Capua Caroli Regis conſiliariorum princeps, quum mandatum ab Federico datum Lauriam tamquam proditorem omnibus modis, aut ſingulari certamine in Aragonia inſectandi reſciviſſet, de hoc Jacobum Regem per literas, quo illius ſaluti proſpiceretur, certiorem fecit (*b*). At Lauriæ nec fuit diu ſibi cavendum, nec diu inſiſtendum, ut Rex Jacobus expeditionem adverſus Siculos maturaret. Accinctus enim ad eam jam erat, jamque claſſem armis, milite, commeatu egregie inſtructam ad anchoras habebat, primo quoque tempore ſoluturus. Ut Federicus fratrem adverſus ſe jam proceſſurum comperit, & ipſe cum claſſe quatuor ſupra ſexaginta longarum navium in ejus occurſum ad Nea-

(*a*) *Vide Monum. num. XIII.*
(*b*) *Vide Monum. num. XIV.*

Neapolitana litora, quo illum intendere curſum rebatur, propere navigat. In Neapolis progreſſus conſpectum, è prætoria vexillum, aquilas, Auguſtæ Suevæ gentis, quæ ipſe, ut docuimus, ſuis adjunxerat, inſignia præ ſe ferens, extollit, & Neapolitanam oram, ad tubarum clangorem Aragonienſis claſſis acceſſum expectans, legit, relegitque. Jacobus verò Barcinone, cum Blanca uxore ſolvens, ſecumque Lauriam reducens, ad Romana litora curſum direxit; Oſtiæque claſſem ſub ſextilis initium anno MCCXCVIII applicuit. Quod ut Federicus cognovit, cum ſua claſſe in Inarimen ſuæ ditionis inſulam, ſe contulit, ut inde Aragonienſi claſſi, ubi illa Siciliam peteret, cum ſua occurreret. Jacobus Oſtiâ Romam, magna caterva procerum, aulicorumque, qui ſecum ex Hiſpaniis venerant, comitante, Pontificem maximum ſalutatum pergit. Pontifex eum cum ſummo gaudio excipit: eique proſperum belli, quod adverſus Siculos exorſurus erat, eventum precatur: & quia nervi belli pecunia, hanc abunde eidem numerari jubet. Etſi enim ipſe non parum nummorum ſecum ex Aragonia tuliſſet, infiniti tamen in bellum mari, terraque adminiſtrandum ſumptus impendebant: & a Carolo hujuſmodi aut nihil, aut parum opis ſperandum erat; quandoquidem perpetuum ad illam diem pro Sicilia recipienda bellum ita illum exhauſerat, ut quum vectigali, quod Pontifici maximo pro Neapolitano regno debebat, ſolvendo non eſſet, duas regias coronas, gemmis diſtinctas, quæ pro penſionibus non ſolutis pignori eſſent, Pontifici in ſolutum dare neceſſe habuerit; perque Italiæ civitates Matthæum Adriam, & Conradum Aquavivam, qui ab amicis populis aliquod corrogarent pecuniæ, miſerit.

Jacobi adventus Bonifacio apprime gratus, accommodatuſque accidit; propterea quod illius opibus non Siculos modo, verum etiam Columnenſes, qui nuper ab ipſo rebellarant, ac in Federici partes deſcenderant, & de his aliqui in Siciliam ſeſe receperant, ſubigere, auctoritatemque ſuam ſartam tectam tueri magnopere confideret. Jacobus enim copias, ut illis temporibus haud exiguas ſecum conduxerat, maritimas nempe octoginta longarum navium præter oneraria, aliaque parva navigia, cum idoneo nautarum, claſſiariorumque numero, terreſtres peditum mille centum quinquaginta ſex, equitum quingentorum. Romæ parum moræ faciens Neapolim cum Purpurato Maramaldo, quem legatum ipſi Pontifex maximus adjunxerat, cum claſſe contendit. Ut eo pervenit, ac debita ſocero officia præſtitit,

ab

Digitized by

ab hoc perquam benevolo, gratoque animo exceptus, ſuas cum ejus copiis conjungit. Erant enim Carolo ſub imperio Roberti Brutiorum Ducis, ejus filii, triginta, & ſex longæ, & non paucæ aliæ varii generis naves. Præter ſuum militem, & auxilia, quæ ab fœderatis Guelfæ partis Italiæ civitatibus acceperat, magna hominum vis, pecuniæ Pontificiæ, & Hiſpanicæ amore, prædæque Siculæ ſpe, undique ad ejus ſigna confluxerat. Miles, naveſque Jacobi, & Caroli, in unum collecti talem exercitum, talemque claſſem conflarunt, ut ſimilis belli apparatus nunquam alias viſus fuerit. Ejus ſupremus dux ipſemet Jacobus Rex bellicis artibus haud inexpertus; præterquamquod Principis utcumque præſentia, Principemque militares actiones non audire tantum, ſed videre etiam, maximi in bello momenti nunquam non eſt; Jacobi veluti Legati Robertus præſtantis virtutis alterius Regis filius, & hæres, de cujus re agebatur, & Rogerius Lauria rei maritimæ peritia, uſu, fortuna, ſuæ ætatis nulli ſecundus, inimiciſſimo, iratoque in Federicum animo. Tot milites, cum pedites, tum equites, Neapolitani, Galli, Aragonienſes, Catalauni, Provinciales, Vaſcones, Genuenſes, aliique Itali. Affluens commeatus. Adde Pontificis maximi auctoritatem, cujus nomine, auſpiciiſque hoc bellum ſuſcipiebatur, religionis ſpeciem, quæ eidem idcirco prætendebatur, dirarum metum, quibus Federicum, Siculos, eoſque, qui pro his ſtarent, Bonifacius devoverat. Nihilo tamen ſecius Federicus, una fretus Siculorum fide, benevolentiaque, fide enim, benevolentiaque populorum vis nulla validior, nullum tutius propugnaculum, nil defecit animo; ſed alacer, ſibique conſtans, in propoſito permanebat, Aragonienſem in ipſis hoſtium litoribus aggrediendi claſſem. At, ſive, ut aliqui ſcribunt, ab ipſo Jacobo per occultos nuncios admonitus, ne bellorum incertis caſibus ſe extra Regni ſui fines committeret, ſive ex ſua mutato mente conſilio, quod ni Jacobum ſubdolum, fallacemque fingere velimus propius fidem cenſendum eſt, in Siciliam cum claſſe redit, omnes ſuas curas ad ſuas terreſtres, maritimaſque copias, quam maxime poſſet, firmandas, augendaſque, ad loca incurſionibus hoſtium magis objecta, idoneis præſidiis præmunienda, ad cogendam pecuniam, ad ea nempe apparanda omnia, quæ ad ſe domi defendendum ex uſu eſſent, convertens, admirantibus interim, imo horrentibus non Siculis modo, & Aragonienſibus, ſed cunctis gentibus, fratrem, non ſuo commodo,

id,

id, quod nec novum, nec rarum accidiſſet, ſed familiæ, tam ſibi, ſuiſque inimicæ, causâ, in fratrem infeſta arma inferre. Rex Jacobus ratione adminiſtrandi belli in communi conſilio cum Rege Carolo conſtituta, claſſeque in unum ex Aragonienſi, & Neapolitana octoginta longarum, nonaginta aliarum navium præter parva navigia, milite, commeatu, omnique bellico inſtrumento, gravi, coactâ, cum Purpurato Pontificis Legato, Roberto Brutiorum Duce, Rogerio Lauria, & hujus fratris filio Joanne, prætoriam conſcendens, è Neapolitano portu ad IX. Calendas Septembris ſolvit. Dirigit curſum ad Pactarum oram, idque de Lauriæ ſententia, cui, utpote & rei maritimæ, & locorum perito, præcipua expeditionis gubernatio credita erat. Rogerius ſic erat opinatus, quod oræ illi caſtra, quæ ipſe tenuerat, proxima eſſent; quamobrem ſibi perſuadebat in hac invadenda parte minus propter auctoritatem, & gratiam, qua apud illas gentes frui putabat, eſſe difficultatis offenſurum. Ad Pactarum litus igitur claſſe applicita, exſcenſioneque facta, Pactarum nec amplo, nec præ tantis invadentium viribus valido oppido nullo negotio capto, Mylæ, Noara, Monsfortis, Samperium, aliaque circumpoſita ignobilia loca, Lauriæ opera ad hoſtes deficiunt *(a)*.

His locis in fidem, poteſtatemque receptis, quum, diebus ſex ſupra ſexaginta in ea ora occupanda, profecto haud tanti temporis opere, inſumptis, hiems appeteret, Jacobus, ne illi importuoſæ, & utpote ad ſeptemtriones verſæ, hiemalibus tempeſtatibus perquam obnoxiæ, tantam claſſem committeret, Pactis ſufficienti præſidio, commeatuque munitis, Syracuſas tranſire conſtituit; propterea quod Urbs illa, & ob cœli clementiam, & ob portus amplitudinem, ſimul tutam tot navibus ſtationem, ſimul commoda exercitui hiberna præbebat. Sunt, qui ſcribunt Jacobum hoc cepiſſe conſilium contra Lauriæ ſententiam, hunc enim contendiſſe bello in eadem inſiſtendum parte; & vel Panormum, vel Meſſanam, urbes, haud ſatis muni-

tas,

(a) *Hic aliqui Scriptores, ut Villanius, Ferretus, Giannattaſius, & alii ſecundum cum primo Jacobi Regis in Siciliam adventum, rationemque temporum confundentes, ponunt navalem pugnam ad Orlandi promontorium; quæ inſequenti accidit anno. Suo loco, & tempore eam collocant Specialis, Auctor Chronicæ ab Martenio editæ, Fazellus, Conſtantius, & alii complures.*

tas, continuo attentandas; quod ſi in Inſulæ latus, quod orientem ſpectat, divertendum bellum placuiſſet, Syracuſis egregie a Federico præmunitis abſtinendum omnino; tentandam potius Auguſtam, quæ facilius obtineri potuiſſet; & idoneum ipſa portum, finitimumque habuiſſet Leontinum, frugiferum cum primis agrum, qui cibaria copioſe ſufficeret. In ſuſpicionem quidem Rogerio venerat, ut hi Scriptores interpretantur, Jacobum interpoſita portus, hibernorumque causâ, eo Syracuſas petendas cenſuiſſe, quo bellum duceret, fœderatoſque eluderet. At quicumque Jacobi fuerit animus, ipſe quidem nihili Rogerii ſententiâ habitâ, relictâ Pactarum orâ, recta per fretum Syracuſas contendit. Ut eo ventum eſt, claſſem in portus loco, ubi magis ab adverſariorum conatibus tuta eſſet, in anchoris teneri mandat, caſtraque in propinquo litore ita ponit, ut exercitus navibus ſubſidio, naves exercitui perfugio ſint; & factâ interim militibus circumjacentes agros populandi, villaſque diripiendi copiâ, ſeſe ad obſidendam urbem expedit.

Federicus, qui recte intelligebat tantas vires ſibi non ſuppetere, ut in aciem cum hoſtibus ire æquo marte poſſet, omne ſtudium, omnemque operam contulit ad præmuniendas arces, quibus oppugnandis illorum vires attererentur, & ad quædam opportuna loca præſidiis, operibuſque ſic firmanda, ut iidem commeatu prohiberentur, non neglecta claſſis cura, ut & hac, ubi res daret, uteretur. Pro ſua, qua pollebat, prudentia, ſecum reputaverat, nec fratrem diu ab ſuo regno abeſſe, nec tantas terreſtres, maritimaſque copias diu ſuſtinere poſſe, commeatu aliquando, pecuniaque defecturas; tantumque belli apparatum ſua ipſa mole tandem ruiturum. Præ cæteris locis præcipuo ſtudio Federicus, ut antea innuimus, Syracuſarum præmunierat urbem, alioquin loci natura, & manu ſic munitam, ut veluti totius Siciliæ arx ſemper habita fuerit. Ad urbis munitiones Joannis Claromontii, qui ei præerat, virtus, fideſque, urbium præcipua munimenta, accedebant. Quo factum eſt, ut Jacobus, qui in animum induxerat eam levi negotio occupare, poſtquam Joannes in colloquium venire juſſus, ire recuſavit, caſtrum ante urbem, urbemque ipſam armis appetere neceſſe habuerit. Nihil machinarum, operumque ad eam expugnandam non adhibuit, ſed nullo ſucceſſu, quamvis obſeſſi cibariorum inopia maxime laborarent; & ſacri ordinis aliqui, inferioris tamen gradus, ut gratia hoc facto a Pontificio Legato inita, ſuperiores gradus

dus

dus aſcenderent, turrim, quæ ſacrario imminebat, tradere hoſtibus conſpiraſſent. Hæc etenim conjuratio diligentem, attentumque urbis Præfectum latere non potuit: deprehenſa id effecit, ut juſtâ de reis pœnâ ſupplicio ſumptâ, alii ab hujuſmodi auſis deterrerentur, & civitas intenſiore cuſtodiretur vigilantia.

Interea dum Jacobus Syracuſas vi expugnare contendebat, Syracuſanos fines adjacentia oppida, Buxema, Palaciolum, Xuthinum, Bucherium, Ferula timore perculſa ſeſe ultro ipſi dedidere. Bucherenſes vero, quum paucis poſt diebus facti pœnitentes ad Federici fidem rediiſſent, Comes Urgelli cum electa militum manu e caſtris miſſus, oppidum quamquam arduis inſidens montibus, totis viribus undique adortus eſt. At oppidani tam fortiter reſtitere, tamque graviter milites, qui conſcendere adnitebantur, ſaxis ab alto jactis, divexavere, ut Comes ab incepto recedere coactus fuerit. Verum, ut eſt vulgus propoſiti parum tenax, quippe non conſilio, ſed impetu fere movetur, Bucherenſes vano perciti metu, ne hoſtis majore vi de integro in ipſos invaderet, ad propinqua oppida diffugerunt, patrium, quod ſtrenue defenderant, vacuum relinquentes, futuri mali, ut non raro fit, qui præſens vicerant, victi metu. Cæterum Comes cauſam illorum fugæ timorem fuiſſe ignorans, verecundia captus locum, quem defenſum obtinere nequiverat, defenſoribus nudum occupandi, in caſtra eo prætermiſſo regreſſus eſt. Federicus vero, ut ſuos fideles ex hujuſmodi moleſtiis eriperet, hoſtes quominus ultra progrederentur, coerceret, commeatibuſque intercluderet, omni Siculo coacto equitatu, Catinam, cujus regio Syracuſanæ proxima eſt, cum Blaſco Alagona ſe contulit; ibique belli ſedem collocavit; infeſtis agminibus percurſans, quæ in deditionem Jacobi venerant, oppidis, quæque ei annonam ſuppeditabant. Nihilo tamen ſecius Joannes Barreſius, genere, ac opibus cum primis clarus, qui inter alia Petræpertiæ oppidum, ab Catina haud procul diſtans, ac in media ferme Inſula, tenebat, ab ſuo Principe ad partes hoſtium una cum reliquis ſuis oppidis Naſo, & Agathyrno, ſua infamia, ſuoque malo deſcivit; ſimul enim & ab religione officii declinavit, & illi perutili documento, cum poſſidente poſſideas (a), non adhæſit. Nec ſua defectio ſibi uni, ſed & iis,

(a) *Hujuſmodi effatum hoc in loco uſurpat Specialis, quod tunc temporis in pro-ver-*

& iis, ad quos defecerat, male ceſſit. Nam quum milites Jacobi ſpe prædæ illecti ad Petrampertiam contendere inſtituiſſent, ut inde veluti ex quodam receptaculo, in quæ poſſent excurrere, loca depopularentur, Alagona eorum & conſilio, & die conſilio exequendo præſtituta per exploratores cognita, eis inſidias in ſaltu ad Cerretanum oppidum oppoſuit; in quas, quum per intempeſtam, eamdemque imbre, tonitribuſque fœdam incidiſſent noctem, capti fuere Alvarus Comitis Orgelii germanus frater, Berengarius, & Raymundus Caprera, cum majore eorum parte, qui ipſorum ſigna ſecuti erant, quos omnes ad Federicum Regem, duces quidem ſub diligenti cuſtodia, milites in decurias longo agmine vinctos, Blaſcus Catinam per triumphum duxit. Interim Pactenſes, ut primum ipſis facultas ſe ab hoſtium poteſtate ſubtrahendi data fuit, in fidem Federici redeunt; caſtrum, quod civitati impendet, ab hoſtibus aſſervatum, circumſiſtunt; Regem ad illud expugnandum invocant. Regis juſſu ad id Meſſanenſes ſub Benincaſa Euſtacio, Catalauni, qui in Sicilia remanſerant, ſub Hugone ab Empuriis, Catinenſes ſub Neapolione Caputo, aliique Siculi, infeſtis ſignis conveniunt. Quod quum ad Jacobum nunciatum fuiſſet, ſimulque relatum, Pactenſe caſtrum, aliaque, quæ illa in regione pro ejus parte ſtabant, annonæ difficultate premi, mari Joannes Lauria cum viginti longis navibus, cibariis onuſtis, ad commeatum caſtris illis ſubmittendum mittitur; terra ipſe Rogerius Lauria cum trecentis delectis militibus eodem proficiſcitur. Ut hic, per hoſticum quamquam incedens, illuc penetrat, qui arcem obſidebant, ſeſe in oppidum recipiunt, adeo ut ipſe ſine dimicatione in eam ingredi potuerit; unde eductis qui præſidio erant, vel quia dubiæ fidei, vel quia de obſidione feſſis, noviſque ſubſtitutis, nulla interpoſita mora, nec Joanne cum navibus expectato, Syracuſas in caſtra veluti voti compos regreditur. Et quidem parum temporis interceſſit, quum Joannes curſum per fretum tenens, Mylas, quæ Pactis proximior tuta ſtatio navium eſt, quæque, ut antea diximus, ſuarum partium erant, attigit. Federi-

verbium fortaſſe veniſſet. En Specialis verba. Sed interea Joannes de Barreſio plus ſapere quam oportebat attentans, neque intelligens verbum illud, cum poſſidente poſſideas, cum tribus caſtris, quæ habebat in Sicilia, ad Regem Jacobum declinavit.

ricus, qui è Catina, veluti quadam è ſpecula, hoſtium motus omnes, conſiliaque perluſtrabat, ut fretum verſus vela facientem illum proſpicit, eumdemque curſu eodem Syracuſas reverſurum intelligit, Meſſanam advolat, Meſſanenſeſque excitat, ut in Joannis redeuntis naves ſuis incurrant. Id Rex vix indicat, Meſſanenſes naves è navali educunt, claſſem inſtruunt, claſſiariis complent. Non virium infirmitas ſenes, non rei inſolentia adoleſcentes ab dando nomine retrahit. Omnes certatim arma capeſſunt. Frater fratrem, ut conſcendat, invitat. Genitor filium, qui ipſum ad communis martis pericula adeunda ſequi geſtit, non dehortatur, imo incitat. Una cunctorum mens, animuſque, quandoquidem opportuna ſe offerebat occaſio, aut omnes una occumbere, aut Catalaunos, qui contra inſontem, amicamque gentem iniquum gerebant pro communi hoſte bellum, & præſertim eorum ducem, qui a Rege tam fœde defecerat, ulciſci. Homines mittunt, qui explorent, quid Joannes agat, quando renavigaret, quonam curſum dirigeret. Redeunt hi renunciantes Joannem in caſtra cibaria introduxiſſe, dediſſe vela, jam jam Phari fauces ſubire. Nil moræ. Meſſanenſis ſubitaria licet, & ſexdecim tantum navium claſſis obviam ei, nihil tale expectanti, nullo ordine procedit. Concurritur; præliumque in urbis conſpectu confertur, effuſo populo, matronis, puellis, &, quod magis pugnantibus animos addebat, ipſo Rege è mœnibus, & litore inſpectantibus, proſperumque ſuis eventum precantibus. Non fuit diu incerta victoria. Non diu ſpectantium ſuſpenſi animi. Non horum votis diu divinum fatigatum Numen. Meſſanenſes non multa ſuorum clade brevi ſexdecim ex viginti hoſtium navibus, quam impugnandam ſuarum quæque aggreſſa fuerat, capiunt, reliquis, quæ velocitate præſtabant, fuga ex eorumdem manibus remorum beneficio evadentibus. Meſſanenſes victores, hoſtium navibus, ſpoliiſque compotes, captiſque Joanne Lauria, Jacobo Rocca, aliiſque nobilibus viris, exultantes redeunt. Cives ovantes, ac gratulantes eos accipiunt. Matronæ altaria donis cumulant, vota, quæ pugnam ſpectantes nuncuparant, lætæ ſolventes. Rex reduces hilari, gratoque vultu excipit; fidem virtutemque Meſſanenſium collaudat; omnibus eos dignos honoribus, præmiiſque prædicat. Et quia multum ab iis aberat, qui de ſe bene meritos aut verbis remunerantur, aut falſa ſpe lactant, pro egregia opera in hac expeditione ab Meſſanenſibus præſtita, aliiſque eorum præclaris meritis, & præſertim ob duram ſub patris regno toleratam ob-

obſidionem, amplam ipſis ab omnibus tributis, vectigalibus, portoriis immunitatem elargitur (a). Joannes Lauria cum aliis nobilibus in Meſſanenſe caſtrum cuſtodiendus conjicitur, alii in alias arces detruduntur.

Hujus victoriæ lætitiam Enguini mediterranei oppidi defectio aliquantulum corrupit, eo maxime quod ii ſe ultro Jacobo Regi prodiderant; ab eoque, qui ipſis præſidio eſſent, Thomam Prochytam, Joannem Barreſium, & Beltrandum Cannellam exorarant. Ut Enguinorum defectionis rumor vulgatur, Henricus Vintimillius Hieracis, & Inarimes majoris Comes, Matthæus ab Thermis, aliique proceres, qui ab Federico erant, propinqua caſtra obtinentes, collecta ex diverſis partibus haud parva armatorum manu, Engyum accurrunt: impunitatem oppidanis, ſi ad officium redeant, offerunt: ſed his in defectione adeo obſtinatè perſiſtentibus, ut unum ex eis, qui ipſos ad deditionem adhortabatur, trucidaverint, Henricus & Matthæus oppidum, quod loci natura, quam armis difficile, tam tempore expugnare facile erat, vi in præſentia oppugnare ſupervacaneum rati, ſatius habent, ſe ad ſua caſtra aſſervanda, ut impedimento hoſtibus ſint, quominus immunitis circumjacentibus locis negotium faceſſant convertere, abacto prius quod in paſcuis pecoris, jumentorumque, in quibus totæ ipſorum poſitæ erant opes, Enguini habebant. Cæterum, quamquam modo unum, modo alterum oppidum ad Andegavenſium partes tranſibat, attamen clades a Joanne Lauria in Meſſanenſi mari accepta ita animum Regis Jacobi fregit, ut de illos in Siciliam reducendi conſilio aut omnino dejiciendo, aut in aliud tempus rejiciendo cogitare cœperit. Ea clade maritimæ ſuæ vires & navibus, & ducibus, & hominibus non minimum diminutæ erant. Neque integræ terreſtres ſupererant, in Syracuſarum obſidione decem & octo mille militibus partim morbo, partim ferro, partim aliis caſibus deſideratis. Accedebat timor, ne Siculi proſperis elati ſucceſſibus, ac animis, viribuſque ob rem nuper bene geſtam adaucti, ipſius affectas, exanimataſque copias aggreſſi eas funditus perderent, eiſdemque navium perfugium una adimerent. Itaque habito de re cum ſuis conſilio, de communi etiam Pontificii Legati ſententia deliberatum fuit, maxi-

(a) *Vide Monum. num. XV.*

xime quod hiems inſtabat, & Syracuſarum expugnatio haud brevis temporis opus erat, eas obſidione ſolvere, ac Neapolim redire. Motis igitur caſtris, milite, omnique bellico inſtrumento in naves impoſito, ipſe prætoriam conſcendens, ut primum idoneam nactus eſt tempeſtatem, è Siracuſana ora ſolvit; & ſecundis ventis fretum tranſgreſſus ad Mylas applicuit. Inde, quum ipſum puderet ſuam claſſem diminutam Neapolim reducere, ad Federicum, qui adhuc Meſſanæ morabatur, Legatos mittit, qui ab eo captas in Mamertino prælio naves, captoſque ſuperſtites viros, repetant, Regiam fidem ei obligantes, modo id præſtet, fratrem Sicilienſi bello deſtiturum. Federicus, antequam reſponſum Legatis det, ſuos conſulere operæ pretium ducit. Variatur, ut fit, ſententiis. Conradus Lancea conditionem a Jacobo propoſitam, repudiandam, quin imo illico deducendam claſſem, eumque perſequendum contendit. Contra Vinciguerra Palicius eam accipiendam probat, & ex eo, quod recedente ab Andegavenſium cauſa Aragonum Rege, nemo foret, qui illis Siciliam vi recuperare poſſet, & ex eo, quod ſummum ulciſcendi genus ſit, poſſe quem ei, a quo læſus fuerit, indulgere. Prævaluit, ut ipſe plus apud Regem gratia valebat, Lanceæ ſententia; quare Rex, ne ut æſtus remitteret quidem expectans, è portu cum claſſe prodiit, impetum in fratris claſſem, quam adverſa adhuc Mylis tempeſtas tenebat, facturus. Quod ubi Jacobus comperit, contempta tempeſtate, quæ in horas magis, magiſque deſæviebat, minus arbitratus malum ſe furentibus pelagi fluctibus permittere, quam eo in ſtatu cum offenſo fratre in diſcrimen venire, extemplo ſublatis anchoris Neapolitana litora verſus ſolvit; quæ difficulter quidem attingere quivit, & duabus amiſſis navibus, quas apud Æolias inſulas procellæ vis diſſolverat; & quod plus referebat, ſui nominis, quod apud Gallos prope in contemptum venit, non parvo facto detrimento.

Federicus, ubi fretum egreſſus, fratrem profectum cognovit, Meſſanam, ſua quoque claſſe æſtu non parum afflictata, remeavit. Quum Rogerius Lauria arroganter, contumelioſeque in Federicum, & Siculum nomen etiam, atque etiam & lingua, & factis debaccharetur; & ab ipſo tantæ contumaciæ pœnam repetendi copia non eſſet, eum in Joanne fratris filio, alioquin perduellionis reo, quem in primis, uti diximus, carum Rogerius habebat, quique in Meſſanenſi arce detinebatur, punire conſtitutum fuit. Is itaque majeſtatis arceſſitus, & a Judicibus magnæ Curiæ capite damnatus, ſecuri per-

percutitur, & quidem ſummo jure, & non, ut aliqui invidioſe ſcribunt, oblato falſo crimine innocens oppreſſus, Federicum, quum de potente patruo ſe vindicare non poſſet, in imbellem, atque innoxium impotenti ira deſæviiſſe criminati. Horum ſiquidem judicium ſi non alia ex ratione, ex ea liquido calumniæ convincitur, quod quum Joannes in prælio captus fuiſſet, belli jure, quod victoribus vitæ, & necis arbitrium in victos permittit, ab eo pœna mortis juſte, legitimeque ſumi poterat. Porro minime intelligitur, quo ſenſu quis innocens dici poſſit, qui ab ſuo Principe, maxime a quo diligebatur, deſciſcat, qui ad defectionem alios ſolicitet, qui immeritos populos diripiat, peſſundetque. Ejuſdem generis ſupplicium, quo Joannes Lauria affectus fuit, utpote eodem obſtrictus flagitio, ſubiit Jacobus Rocca; uterque expertus, quam non minus periculoſum, quam turpe, & impium ſit, a proprio Principe deficere, mutatâque aurâ in diverſas partes trahi. Mitius actum cum Catalaunis, qui, quamvis in eodem navali prælio capti Principem ſuum neque deſeruerant, neque prodiderant. Impediri tamen non potuit, quominus vulgo hi quidem conviciis inceſſerentur, ſcarificatique (a) per ludibrium, & contumeliam vocarentur.

Federicus Meſſanam reverſus, animum ad recuperanda oppida, quæ ab ipſo deſciverant, intendit. Ipſemet contracta valida hominum manu Engyum oppidum, cui, uti docuimus, Thomas Prochyta, Joannes Barreſius, & Beltrandus Cannella, pro Jacobo præſidebant, coronâ invadit; machinas ad lapides in illud jactandos mœnibus admovet, ita ut oppidani, qua fame, ſitique compulſi, qua ſaxis di-

(a) *In Chronico Siciliæ apud Martene legitur* Garſaguini; *Specialis ſcribit* Garſaguinos. *Quid ſibi hæc vox velit non ſatis nobis conſtat. Notatur quidem in Gloſſario Cangii, ſed non explicatur. Hæc ſolum in eo leguntur* Garſaguini. Sic à Siculis appellati ſunt Catalauni interfecti in quadam expeditione, de qua Chronicon Siciliæ apud Martene Tom. III. Anecdot. Col. 52. *Id certo liquet ludibrii, contumeliæque vocem eſſe. Quoniam* Garſa *idem lingua illorum temporum valebat, ac ſcarificatio, ut Cangius docet,* Garſaguini *utpote adjectivum a* Garſa *efformatum idem forſitan ſonabat ac ſcarificati, id eſt vulnerati. Siculi Catalaunos non quidem in prælio interfectos, ut Cangius interpretatus eſt, in quos contumelia cadere non poterat, ſed eos, qui vivi in captivitatem venerant, ſic fortaſſe appellabant; quia vulneribus in pugna acceptis veluti ſcarificati remanſerant.*

divexati, in deditionem tandem venerint, ea tamen conditione, ut ducibus ab Sicilia, quo vellent, faceſſendi poteſtas eſſet. Quod quidem præſtitum fuit, nullà inſuper de incolis, ſiquidem multitudini parcendum, defectionis ſumptà pœna. Interim Comes Manfredus Claromontius Petræpertiæ caſtrum ita obſidione cingit, operibuſque quaſſat, ut illud itidem ſe Federico dedere coegerit. Inde Xutinum, Palaciolum, Ferula, & quæ alia in Neæti regione caſtra pro Jacobo ſtabant, ultro ad Federici partes redeunt. Repetenda reſtabant Mylarum, Montisfortis, aliorumque, quæ in Demini regione oppida hoſtes occupabant, non quia, ut ut ea reſtitiſſent, æque atque cætera expugnata non fuiſſent; ſed quia increbreſcente fama Jacobum cum amplioribus copiis contra Siciliam quamprimum rediturum, optimum factu exiſtimatum fuit, cæteris prætermiſſis, ad id, in quo ſumma rei poſita erat, ut nempe Inſula ad novam hanc, quæ atrocior commovebatur, tempeſtatem ſuperandam præmuniretur, quicquid virium eſſet revocare. Neque vero hæc fama falſo emanarat. Jacobus enim, quamquam ut Neapolim venerat, ob tolerata belli, navigationiſque incommoda, & magis ob triſtitiam ex adverſo belli eventu conceptam, in gravem inciderat morbum; ubi tamen ex eo convaluit, ad quod ſuſcepti per eoſdem dies ex Blanca filii lætitia, non parum contulerat, in Hiſpanias, ut novas inde copias deduceret, profectus erat; ibique brevi facta mora cum majore belli apparatu Neapolim regreſſus, jam omnia, quæ res poſcebat, parata habebat, ut in Siciliam ſecum Robertum Brutiorum ducem, Philippum Tarentinorum Principem, Caroli filios, & Rogerium Lauriam, adducens, ad reintegrandum fratri bellum remearet, ſuas Carolo maritimas, terreſtreſque copias, & Pontifice Maximo ſumptus in illud de integro ſuppeditantibus.

Federicus itaque, ut ſe, Siculoſque ad novos hoſtium conatus ſuſtinendos comparet, quovis alio dimiſſo incepto, Meſſanam ſe confert; eoque Procerum, civitatumque coacto concilio, e regali ſede, externo quoque ſpectabilis cultu, habituque oris in hanc ſententiam verba facit: *Vos convocavi, non ut de Jacobo quererer, qui nequicquam de belli, quod contra ſui ſtudioſum fratrem, fidoſque Siculos, fœdere cum antiquis communibus hoſtibus perverſe icto, ſuſceperat, injuſtitia ab irrito primo ſuo conatu admonitus, illud per fas, & nefas perſequi velit. Nam quis querelarum fructus, quum res non verba, ſed facta poſtulet? Neque ut fidem, virtutemque veſtram ad*

novam, quam contra nos is parat, expeditionem, impugnandam excitarem. Fidem veſtram jam non uno, aut altero argumento mihi exploratum, comprobatumque eſt, freno potius, quam calcaribus indigere. Ad virtutem quod attinet, vobis cum hoſtibus iiſdem concertandum erit, cum quibus quoties manus conſeruiſtis, toties eos, numero licet ſuperiores & terra, & mari viciſtis. Iidem hi ſunt, qui recens tam turpiter Syracuſarum obſidionem deſeruerunt. Iidem, quos nuper in navali Mamertina pugna tot eorum navibus, quot cum noſtris conflixere, captis, reliquiſque fugatis, captivos feciſtis. Templa veſtra ſunt horum hoſtium manubiis referta. Vincula non habemus, quæ tot captis ſufficiant. Nam quod Jacobus cum ingenti copiarum numero adventurus jactetur nihil, vos moveat. Gens hæc eſt collectitia, mercede conducta, quæ non pro aris, & focis, pro penatibus, pro liberis, pro ſalute ſua, ut vos, pugnat, ſed ut aliquid de Pontificia pecunia delibet, non ut hoſtes, ſed ut famem propulſet, meret, Galli, Provinciales, Aragonienſes, Catalauni, Neapolitani; qui ſicut ingenio, lingua, moribus, habitu, ita animo, & voluntate diſcrepant; quod potius confuſionem maxime in præliis affert, quam robur ſubminiſtret. Sed eo hunc indixi conventum, ut vobis oſtenderem, eſſe nobis opus, ſi velimus, noſtræ, patriæque ſaluti opportune conſulere, ut talem expediamus claſſem, qua impedire poſſimus, quominus hoſtis ad noſtra litora accedat. Nam ſi exſcenſionem faceret, eum Dei Optimi Maximi ope utique tandem ſicut proxime ſuperiore anno expulimus, & nunc expelleremus. At qua ratione direptiones, vaſtitates, obſidiones, noſtrorum cædes vitabimus? Meſſem, quæ matureſcit, qui ab hoſtilibus facibus ſubducemus? Prius igitur hoſti inferamus bellum, quam illud ab hoſte nobis inferatur. Occurramus ei cum noſtra claſſe, antequam ipſe cum ſua litora tangat noſtra. Jacobus, ut perhibetur, ducet ſecum Robertum, & Philippum Caroli filios, ut eos veluti in poſſeſſionem Regni mittat, tam de victoria ſecurus eſt, haud reputans, ut ut Siculi ignavi eſſent, quos tales ipſe profecto non eſt expertus, horum Principum præſentiam invictos eos certe reddituram. Ad hæc ſe continere concio non potuit, quin Regem interpellaret; conclamarentque ad arma omnes: unuſquiſque ſuam offerret operam; cunctique ad omnia Regis imperata, vel ad mortem oppetendam promptos, expoſitoſque ſeſe profiterentur. Federicus ſuos ſic animatos perſpiciens, nihil moræ, quandoquidem ſpes rei bene gerendæ tota in celeritate vertebatur, interponit, ut quæ neceſſaria ad propoſitum eſ-

Digitized by Google

eſſent, expediantur. Meſſanam frequentes undique concurrunt Dynaſtæ, Patricii, Plebeji, milites, ſocii navales, nautæ, remiges. Claſſis quadraginta longarum navium brevi dierum ſpatio adornatur, inſtruitur.

Neque Jacobus tempus terit, nam is octavo Calendas Julias *(a)* anni MCCXCIX cum claſſe ſex & quinquaginta roſtratarum, milite, commeatuque conferta, ſub Rogerii Lauriæ imperio Neapoli ſolvens, Siciliam proſperis petit ventis; quum prius ipſi ut alacriore animo hanc ſecundam aggrederetur expeditionem, Carolus mille ſeptingenta ſeptem auri pondo cum quincunce *(b)* quot in ſuperiorem, ſubducta ratione, ab eodem impenſa fuerant, ſolvere ſpopondiſſet; quandoquidem Pontifex Maximus, qui ſumptus ad bellum contribuere debebat, gemmatas coronas, quas, ut ſupra diximus, pignori acceperat, Carolo, quo is Jacobo ſatisfaceret, reſtituerat. Federicus, quoniam itidem ſuam claſſem promptam, paratamque habebat, præmittit ſpeculatoriam ratem, quæ adverſæ claſſis exploret curſum, adventumque renunciet. Mandat Matthæo ab Thermis, ut cum quantis ex Mazarienſis regionis oris, & quam celeriter contrahere longis navibus poſſet Regiam claſſem aſſequi, atque cum ea ſe conjungere ſtudeat. Panormitanis ipſorum meritis reſpondentes amplas immunitates a ſuperioribus Regibus impetratas, honorificis datis literis, approbat; portoriiſque eos toto Regno eximit *(c)*; idemque be-

(a) *Quod hac die Jacobus Neapoli Siciliam verſus moverit, conſtat ex Caroli diplomate, (Vide Monum. num. XVI.) quo is Genero exolvere quod in Siculum bellum inſumpſerat ſpopondit. In Angelo Conſtantio pro menſe Junio errore forſitan Typographi legitur Majus.*

(b) *Giannettaſius ſcribit Carolum ſpopondiſſe ſolvere Jacobo tredecim millia octingenta octoginta octo auri pondo cum dextante, quot facto calculo, inſumpta fuiſſe in Sicilienſe bellum compertum fuerat. Neſcimus unde id Giannettaſius habuerit. Legitimæ tabulæ in tabulario Neapolitano (Vide Monum. cit. XVI.) aſſervatæ, quibus Carolus ſatisfacere Jacobo de impenſis in hoc bellum factis ſeſe obſtrinxit, ſummam mille ſeptigentorum ſeptem auri pondo cum quincunce, a nobis notatam, ferunt; & profecto ſumma, quam Giannettaſius ponit, eſt, ut illis temporibus, tam ingens, quæ vero ſimilis neutiquam videatur.*

(c) *Hoc Diploma vide inter Privilegia Urbis Panormitanæ a Michaele de Vio edita f. 24.*

beneficium Randatienſibus propter recens compreſſam eo in oppido ſeditionem impertit *(a)* quo ad eamdem ſibi exhibendam fidem alios populos ſpe ſimilia conſequendi beneficia invitet. Vità functo Conrado Lancea, qui magni Scribæ munere fungebatur, illud Vinciguerræ Palicio, de ſe optime merito, ut in aliis de ſe bene merendi ſtudium excitet, defert. His rebus conſtitutis, prætoriam conſcendit, ſecum in ea habens Conradum Auriam *(b)* claſſis Præfectum, Bernardum de Rebellis Garſiliati Comitem, Hugonem ab Empuriis Comitem Scylacæi, & Garſiam Sancium familiarem ſuum. Aſcendunt inſigniores alias naves Blaſcus Alagona, Vinciguerra Palicius, Gumbaldus ab Inteciis, aliique ſummo loco nati, militarique laude illuſtres viri. Præſto quoque cum ſua navi, ut Regem aſſectaretur, erat Petrus Salvacoxa, qui uti docuimus, pro eo Inarimes inſulæ præſidebat. Et quoniam ſecundus erat æſtus, ſuſtolluntur anchoræ, portus linquitur, danturque ventis vela, populo, qui litora complebat, abeuntem claſſem lacrymis, votiſque proſequente, eique fauſta omnia precante. Jam ea Peloro ſuperato, ſpectantium oculos effugerat, lectâque Myrtorum orâ, Mylarum fines ſubibat, quando ſpeculatoria navis ei obviam venit, ad Regem afferens, hoſtium claſſem ad Æolias inſulas provectam reliquiſſe. Ad hæc Federicus nautis jubet, ut ad ei occurrendum nervos omnes intendant, quo terræ appulſu prohibeatur. Sed fruſtra. Nam quum noſtra ad Agathyrnum promontorium *(c)* proceſſiſſet, jam hoſtium claſſis in Divi Marci oram ad Fitaliam flumen *(d)* applicuerat; ibique ad anchoras lito-

(a) *Vide Monum. n. XVII.*

(b) *Nemo ex noſtris Hiſtoricis meminit in hac expeditione Conradum Auriam interfuiſſe. Ego auctorem habeo Joannem Villanium, illius temporis æqualem, qui, etſi in nomine errat, eum Federicum appellando, rem vero ſimilem narrare nobis videtur; nam Conradus erat claſſis Præfectus, & eo tempore adhuc vivebat; ac propterea quod in hoc bello ejus opera Federicus uſus non fuerit, parum probabile apparet.*

(c) *Promontorium quod nunc Orlandi dicitur quodnam nomen antiquitus habuiſſet haud liquet. Veriſimile videtur ab Agathyrno, ſive Agathyrna, quæ ei adjacebat, haud ignobili Urbe Agathyrnum & ipſum appellatum fuiſſe. Hac conjectura ductus, quoniam Agathyrna Urbs in aliquibus Scriptorum exemplaribus Agathyrium corrupte nominatur, Giannettaſius illud promontorium Agathyrium vocat.*

(d) *In Chronico Siciliæ apud Martene ſcribitur* Ficalia. *Sed legi debet* Fitalia, *quod erat apud antiquos germanum ejus fluminis nomen, quod hodie dicitur* Zappulla.

Digitized by Google

tore religata, conſtiterat. Nihilo tamen ſecius, ut illam noſtri conſpexere, Meſſanenſes præſertim ſuperiore victoria inflati, novæque prædæ inhiantes, quin clamore ſublato adorirentur, contineri non potuerunt; nec dato Matthæo ab Thermis, qui cum octo longis navibus jam Cephaleditana propinqua litora tenebat, brevi tempore, ſe cum ipſis conjungendi, & vix Regi permiſſâ copia naves in pugnæ ordinem diſponendi. In hunc tamen modum, quam optime potuit, eas explicat. Prætoriam in medio, reliquas totidem a dextra, totidemque a ſiniſtra collocat. Prætoriæ puppim Bernardo de Rebellis, proram Hugoni ab Empuriis, vexillum Garſiæ Sancio cum electis militibus obſervanda attribuit. Ipſe galeà inſignis, cæteriſque præſtabilior, huc illuc curſitans, modo hos, modo illos quod facto quoque loco opus eſſet, edocet; omneſque imperatoris non ſolum, ſed nautæ partes implet. Sicula ſic ſtructa claſſis in hoſtilem provehitur: & jam prope erat, ut in eam impetum faceret, quum Federicus animadvertens, fratrem ſuas naves haud ſolvere, & in certamen producere, ſed ut erant litore religatas retinere, opinatus ſe neutiquam poſſe æquam committere pugnam cum claſſe eo loci poſita, ac ita conferta, ut ne ſi Veneti, & Genuenſes ſecum quidem eſſent *(a)* eam devincere confideret, ſuſpenſus dubiuſque ſubſiſtit animi. At Siculis ſua navalia prælia recens contra Gallos, contra Neapolitanos, contra Aragonienſes, & Catalaunos, olim contra Barbaros, contra Græcos feliciter geſta jactitantibus, & dubitare vel auſis, Regem majoris natu fratris reverentia ab pugna cum illo miſcenda retrahi, ipſe ut gentis ingenio, quæ non tam patiens moræ eſt, indulgeret, pugnam inire animum induxit; eamque e veſtigio conſeruiſſet, ni dies in veſperum declinaſſet. Noctis beneficio Jacobus uſus, equorum, ac ſupellectilis, damnoſum navali bello onus, viroſque invalidos, & imbelles, è navibus deponit, ac in eas milites, quos evocarat è caſtris, quæ ipſe in circumſtantibus obtinebat locis, inducit. Prima luce, qui erat Saturni dies, quarto nonas Julii, ut proſpicit fratrem ad pugnam procedere, ſuos ad eam ſuſtinendam adhortatur, illos admonens, hoc ſe bellum juſſu, & nomine Pontificis maximi, religione captum gerere, ut genitoris manes ab inferorum pœnis liberaret, Siciliam quam

(a) *Sic loquitur Specialis. Ex quo patet penes Genuenſes, Venetoſque unos tum rei navalis gloriam fuiſſe.*

quam ille ab Andegavenſibus abſtulit, ſibique uſurpavit, eiſdem reddendo, vel potius Romanæ Eccleſiæ, a qua illi vectigalem habebant; nihil omiſiſſe, ut hoc a fratre, & a Siculis extra bellum æquis conditionibus obtineret; contra nihil ab his injuriarum non retuliſſe, negatum cum germano colloquium; ſecuri percuſſos Joannem Lauriam, alioſque in navali Meſſanenſi pugna ex ſuis captos; auſos ipſummet infeſta claſſe ad Mylas inſequi, & ni tempeſtas obſtitiſſet, ad Neapolim uſque; nunc in tantam Aragonienſium deſpicientiam, confidentiamque ſui progreſſos, ut ipſos etſi numero cum militum, tum navium longe ſuperiores, aggredi, inſultareque non vereantur; contra tam contumaces hoſtes ſtrenue ergo pugnent; ulciſcantur injurias ab eis acceptas; eos debellent, deleantque, ut ad caram optatamque patriam eâ, quæ Aragoniæ convenit genti, gloriâ referti redeant. His dictis, claſſeque in alarum modum directa, inque medio prætoria, in qua ipſe cum Caroli filiis erat, conſtituta, fratri dimicandi poteſtatem facit. Miſcetur itaque prælium ſumma ex utraque parte alacritate, ſummoque animorum ardore. Illud iniit Gumbaldus ab Inteciis, qui ætatis, gloriæque æſtu abreptus, primus ſua cum navi extra ordinem præcurrens ſe hoſtibus objecit. Federicus omnibus rationibus invadere in fratris navem conatus eſt; eamque appetiiſſet, ni maris æſtus, ſorſque interceſſiſſet, ne fratres ad manus venirent, Eteoclis, & Polinicis horrendum, funeſtumque caſum forſitan renovaturi. Ab hora diei tertia ad ſextam æquo dimicatum eſt Marte, utrinque illato, acceptoque pari detrimento, præterquamquod ex Siculorum parte, quæ quidem non parvi momenti jactura fuit, Gumbaldus ſingulari virtute juvenis inter pugnandum clypeo innixus interierat; eoque defuncto, ejus navis in manus Catalaunorum venerat. Gumbaldus non vulneribus tantum, & certandi contentione, ſed fervore quoque ſolis confectus concidit. Nam die illa tam vehemens calor fuit, ut non minus æſtu, & ſiti, quam armis pugnatores conficerentur. At poſtquam ſex electæ roſtratæ, quæ celeritate pollebant, quaſque Jacobus callido Rogerii Lauriæ conſilio ad hoc integras reſervarat, a puppi univerſam Siculam claſſem adortæ fuere, hæc a fronte, & a tergo exagitata, fluctuare, atque inclinare, naves ſuum ordinem non tenere, inter ſe implicari, impediri, collidi. Quod Federicus animadvertens, ſimulque proſpiciens ſex ex ſuis è pugna longas naves elapſas ſeſe in fugam conje-

ciſſe, obfirmato animo potius ſubeundæ mortis, quam manus adverſariis dandi, imperat, ſuam ad Blaſci Alagonæ navem admoveri, quo ſe conjunctis viribus defendant; & ſi ſuccumbant, haud incruentam de ſe victoriam hoſtes reportent. Vix hoc Rex imperarat, quum ſive acerbus animi dolor, ſive nimia corporis defatigatio, ſive immodicus aëris æſtus, ſive alia occulta cauſa ipſius oppreſſiſſet ſpiritum, prope exanimatus cecidit. Ut eum ſenſibus deſtitutum, nec ſe colligentem, qui aſtabant, viderunt, ſumma eos animi perturbatio inceſſit, nec ipſis quid conſilii caperent ſuppetebat. Garſiliati Comes in eam non dubitavit concedere ſententiam, ut ipſe, & Scylacæi Comes Jacobum adeuntes, allato ei in deditionis ſignum fratris enſe, ac ejuſdem vitam, quod a fratre impetratu facile credendum erat, deprecantes, illi ſeſe transferent. At Scylacæi Comes conſilium hoc, utpote indecorum, ac ab Federici mente alienum reprobans, potius ex ipſorum fide eſſe exiſtimavit, petita fuga, Regem Meſſanam ſive vivum, ſive mortuum reducere. Et quoniam totum Regis ſalutis auxilium in celeritate poſitum erat, jubet nautis, ut nervis omnibus remis incumbentes, illico è conſpectu hoſtium evadant; & Meſſanam verſus curſum intendant. Non deſunt, qui ſcribunt imperatoriam Federici navem in poteſtatem Aragonienſium utique veniſſe; at ei aut ab Jacobo, qui id fraternæ caritati concedendum cenſuiſſet, aut ab Aragonienſibus, quorum bellum hoc nihil intererat, quoſque, ne in Principem, Regii Aragonii ſanguinis ortum manus injicerent, pudor quidam cepiſſet, abire permiſſum. Ubi Blaſcus Alagona, qui animum, oculoſque in Regem intentos uſque habebat, prætoriam navem diſcedere cernit, eam cum ſua, ſe quoque fugæ dans, ſequitur. Quod adeo indigne Ferdinandus Pontius de Arbes, ejus ſignifer, tulit, ut quum Blaſcus ei vexillum, quia a prælio diſcedendum erat, complicare (a) imperavit, ipſe, ut

(a) *Quemadmodum vexillum pandere, ſive explicare ſignum erat ſubeundæ pugnæ, ut ex illo Cæſaris lib. II. de bello Gallico habetur*: Cæſari omnia uno tempore erant agenda, vexillum proponendum, quod erat inſigne, cum ad arma concurritur; *& ex Hirtio de bello Alexandrino*: Vexillo ſublato, quo pugnandi dabat ſignum, idem ut faceret ſignificabat; *ita vexillum contrahere, ſive complicare a prælio diſcedendi indicium*.

ut vir magnanimus erat, & dedecoris impatiens, profeſſus ſe pati non poſſe videre, quod ad illam diem unquam non viderat, Alagonam certamen deſerere, abjectâ galeâ, tandiu caput ad navis latus alliſerit, quoad ſenſum amiſerit, ſic affectus, ut unius tantum diei vita ei ſuperfuerit. Sicut Alagonæ, ita aliis duodecim navibus è prælio elabendi, ac Regem ſubſequendi, & Vinciguerræ Palicio, ſua navi, a Rogerio Lauria quatuor lectis roſtratis appetita, ac devicta, in propinquam ſcapham inſiliendi, & cum hac ex iis, quæ pugnæ caſum effugerant, navem nanciſcendi poteſtas facta fuit. Magis periculoſa, ſed æque felici ratione ſaluti ſuæ conſuluere Alafrancus de Sancto Baſilio, aliique complures nobiles in mare ſcilicet ſe dejicientes, atque adnando amicas naves, quæ in tuto jam navigabant, adepti. E conflictu ſe itidem ſubtraxit Petrus Salvacoxa, ſed infido animo: non enim Federicum, ut alii, ſequutus eſt, ſed rem hujus deſperatam reputans Inarimen recta perrexit, ac Carolo ſe, & Inſulam prodidit. Reliquæ viginti naves, quæ è prælio ſe ſubducere non potuerunt, ad unam omnes in hoſtium poteſtatem venere, poſt talem hominum omnis generis ſtragem, ut carinæ humano ſanguine redundarint, mareque rubuerit: nam ſex millia hominum ferro periere præter eos, quos undæ, quibus, ut natando vitam quærerent, ſeſe crediderunt, abſorbuere. Lauria porro, furenti ſimilis per naves diſcurrens, nullum præſertim in nobiles Meſſanenſes crudelitatis genus, quo mortem fratris filii, aliorumque ſuorum, ultum iret, non exercuit; alii mucrone pectus transfigitur; clava alii caput contunditur; aliis cervix amputatur; hi conciduntur; ſemineces illi in pelagus præcipitantur, uno hæc Lauria ſiccis oculis, duroque animo inſpectante, cæteris, vel ipſis ſatellitibus, horrentibus, ac lacrymantibus. Federicus, & Perronius Rubei, Anſalonus, & Raymundus Anſalonii, Jacobus Scordia, Jacobus Capicius, aliique principes Meſſanenſes viri, gratæ Lauriæ mactatæ victimæ. Ut humani ſanguinis ſatietas quædam hoſtes cepit, eis, quos ex cæde fortuna reliquos fecit, vincula injiciuntur; vinctique longo agmine in triumphi morem ad Regem Jacobum, qui jam in terram deſcenderat, a Lauria victore quidem, ſed cum ſuorum non parvo detrimento, & quod inſigne maxime fuit, eodem ipſo haud leviter in pede vulnerato, pertrahuntur.

Siculi capti tantum abfuit, ut ex tam atroci accepta clade animos

Digitized by Google

mos demiſerint, ut conſpectus victoris Regis, procerumque, ac militum, qui ipſum circumſtabant, nihil eos affecerit, quominus ex eis quidam, qui cæteros ætate, & auctoritate antecedebat, Regi, Aragonienſibus, Catalaunisque Siculorum erga ipſos merita exprobrarit, ingratique animi arguerit. Commemorat, non ſemel, atque iterum, & in Apulis, & in Catalaunia, & ad Gerundam, & apud Rhodam Siculam gentem Aragonienſi, Catalaunæque armis ſuis contra Gallos utilem operam, præſentemque opem tuliſſe. Ejus rei ipſum Jacobum Regem, ipſumque Rogerium Lauriam teſtes citat. Queritur Aragonienſes, Catalaunoſque pro Gallis acre bellum gerere contra Siculos, qui pro ipſis contra Gallos nullis ſe belli incommodis, periculiſque non objecerant; eorum invadere litora, qui ne Galli in ipſorum litora inveherentur, nunquam impedimento non fuerant; amicis, ſociiſque exitio eſſe, communi infenſo hoſti adjumento, atque commodo. Jacobus ad hæc nihil reſpondet audiviſſe diſſimulans. Aſtantes vero Aragonienſes, & Catalauni non obſcuro vultu Siculorum querelas non improbare, imo æqui, bonique facere præ ſe ferunt.

Inter tot mala, quod ſummum fuiſſet, Deus a Siculis avertit, mortem nempe Federici, quam deliquium, quo captus fuerat, minabatur. Nam, non multo poſt, quam diſceſſerat, animum recepit; & tanquam a ſomno experrectus, ut ſe è prælio ereptum cognovit: *Reddite*, inquit, *quæſo, me hoſtibus: quoniam etiam tum, quum nos vincere non deſperabamus, mortem pro fidelibus noſtris, non fugam obire fixum in animo erat. Satis viximus. Ignominioſam vitam ducere, victique cum tanta noſtrorum clade lucem aſpicere non patimur.* Qui aderant proceres multis eum verbis orant, obſecrantque, ut duret, rebuſque ſe ſervet ſecundis: cogitet non eſſe è ſua dignitate, neque ſuperioribus ſuis factis conveniens, ſic animo ad primum adverſum belli caſum concidere: in bello non ſemper rem bene cedere; Martem communem eſſe: ſi quid detrimenti in proxima pugna acceptum ſit, reſarciri poſſe, dummodo ipſe ſibi non deficiat: Siculorum in ipſum fidem, & amorem certè non defecturos: in ipſo univerſæ Siciliæ ſalutem verti; ſuaque è vita omnium vitam pendere. His precibus Rex evictus acquievit; & cum navibus, quæ ipſum ſequutæ erant, Meſſanæ portum ingreſſus eſt, inſanabilem plagam in corde ſervans, ſed vultu tegens. Cladis fama prævenerat; urbemque luctu, gemituque replerat. At Meſſanenſes in litus effuſi, ut Regem è navi de-

Digitized by Google

deſcendere incolumem aſpexerunt, mœrorem omnem depoſuere, teſtati nullum, eo recuperato, ipſos detrimentum feciſſe, eumdemque impenſe rogantes, ut eo quod ipſis virium, facultatumque ſupereſſet, pro ſuo arbitrio, uteretur. Rex ad circumfuſum populum ſe benigne convertens, *Dei nutu omnia regi*, inquit, *regnaque mundi ab eo alias proſperis, alias adverſis agitari eventibus; ſe juſtam non habere cauſam, cur conqueratur, ſi Deus ſemel ipſum depreſſerit, quem continuis victoriis ad tantam gloriam extulerat; non eſſe ſuas vires profligatas adeò, quin poſſet regnum ſuum, Deo adjutore, tueri, modo Siculi in fide, de qua nullus dubitandi locus, manerent; perſpectum, certumque eſſe Siciliam ſubigi non poſſe, niſi volentem*. Hæc, ea majeſtate, conſtantiaque, qua par erat pronunciata, mirum quam cunctorum erexerint, firmaverintque animos. Federicus in aulam ſe recipiens, literas Panormitanis dedit; quibus literis eos de commiſſi ad Agatyrni promontorium prælii occaſione, die, ratione, exitu, & de ſuo in Meſſanam reditu certiores facit; admonet, eam belli conditionem eſſe modo vincere, modo vinci; errareque eos, qui in bello omnes ſecundos rerum eventus expectarent; ipſum ſat quidem vicisſe; & ſi nunc ſuccubuerit, ſpem habere in Deo, qui tantas ipſi victorias pepererat, non ſolum Inſulam defendendi, verum etiam victricia arma in hoſtium inferendi fines; hortatur, ne ob unum ſiniſtrum eventum animos deſpondeant, ſed priſtinam retineant, exhibeantque fidem; mandat, ut urbem probe muniant, naviterque ab hoſtium conatibus cuſtodiant, tueanturque; præſtat ſe in hoſtium conſilia, motuſque attentum præbiturum, eoque confeſtim ſubventurum, quo ii progrederentur, irruerentque (a). Eadem aliis civitatibus, ac Dynaſtis per Regias literas nunciata, mandataque, nullo eis non propoſito præmio, ſi pro ipſo, ut ad illam diem, fideliter ſtarent; ſi tamen præmiis opus erat, ut Siculi ab Federico non diſcederent, quem tanto amore proſequebantur, quanto nullus populus Principem ſuum

(a) *Hæc ad Panormitanos Regia epiſtola integra habetur in laudato Chronico ab Mariteve edito. Nam huic commentario Monum. numero XVIII. attexere operæ pretium duximus, utpote illam, quæ religionem, magnanimitatem, gravitatem, prudentiam Principis redolet.*

Digitized by Google

ſuum unquam dilexerit, aut diligere potuerit. Is vero, ut facilius celeriuſque, hoſtibus, quoquo ſe verterent, obviam iret; ipſeque in tuto eſſet, coactis, quot potuit, copiis, Ennam ſeſe conferre ſtatuit *(a)*, utpote, quæ, quoniam, & in media Inſula, & in præcelſo, præruptoque undique loco ſita eſt, ad utrumque maxime opportuna videbatur; quæque nec expugnari ſolum, ſed nec obſideri poterat ex eo, quod intra mœnia magna perennium aquarum copia *(b)*, nulla foris. Quibus de cauſis Enna tamquam Regum Siciliæ, quoties bello premerentur, perfugium, ut illis temporibus, tutiſſimum ponebatur. Federicus, ut quoque Catinæ, quam in fide retinere magni ad rem ſuam momenti erat, quamque hoſtes ſpectare videbantur, ſecuritati proſpiceret, Blaſcum Alagonam clarum ducem, ut ei præſideret, deſignavit. Nec rei maritimæ, litoriſque præſidio conſulere omiſit: navium enim, queis Sicula conſtabat claſſis, in prælio ad Agathyrni promontorium maxima parte amiſſa, de Genuenſibus longas naves, quibus Ægidius Auria præerat, conduxit; aliaſque in Regni navalibus propere conſtrui, inſtruique imperavit.

Cæterum non amplius cum fratre & Aragonienſibus dimicandum Federico erat. Nam, etſi Carolus Jacobo id, quod pro impenſis in priorem expeditionem factis pecuniæ, promiſiſſe diximus, repræſentarat, ac inſuper ſecundæ hujus expeditionis ergo viginti ſex auri pondo cum dodrante præſentia, & ſexaginta novem auri pondo, cum triente, quando Sicilia potiretur, ſingulis annis, quoad Jacobus viveret, ex portoriis pendenda, eidem attribuerat, is nihilo ſecius ſe ab Siculo bello removere ſtatuerat *(c)*. Suis enim recenſitis copiis eas

non

(a) *Hic in annalibus Muratorii error occurrit. Scribitur enim Federicum, ut hoſtium conſilia ſpecularetur, in Caſtro Sancti Joannis conſediſſe. Huic errori locum dedit nomen, quo nunc Enna cultiore vernacula noſtra lingua appellatur* Caſtrogiovanni, *quod olim communiter, & adhuc a minus cultis* Caſtrojanni *pronuntiatur, vocabulo vulgo corrupto ex latina voce* Caſtrum Ennæ.

(b) Enna eſt loco præcelſo, atque edito, quo in ſummo eſt æquata agri planities, & aquæ perennes. *Hæc Tullius in Verrem IV. Et Fazellus Hiſt. Sicil. dec. 1. lib.* 10. In Enna, *inquit*, in quacumque parte effodiatur, aqua non ſecus, quam in Ætna ignis ſcaturit: unde perennis ei aquæ fluxus cum a Cicerone, tum a vetuſtioribus omnibus attributus eſt.

(c) *Summonſius ſcribit Carolum Penero de ducentis millibus aureis, quos in belli Siculi*

ſum-

Digitized by Google

non parum diminutas, & quod plus referebat, non paucos milites, ſtrenuoſque duces ex ſuis deſiderari compererat. Animadverterat Siculos ne vel minimum ob acceptam ad Agathyrni promontorium cladem animis concidiſſe, eiſque tantum ſupereſſe roboris, ut non tam brevi tempore, quam ipſe ab ſuo regno ſine ſuarum rerum fraude abeſſe poſſet, debellatum iri viderentur (a). In Brutios igitur tranſgreſſus, ut inde, qui in ſtativis erat, militem deduceret, ubi in Siciliam rediit, pronuntiat coram Roberto Brutiorum Duce, & Philippo Tarentinorum Principe, multiſque, qui aderant, exercitus primoribus, ſe Pontifici Maximo, Regique Carolo promiſſa præſtitiſſe, fidemque exſolviſſe; eo in loco rem relinquere, ut ſolæ Soceri vires ad Siciliam univerſam obtinendam ſatis eſſent; oppida, & caſtra non pauca occupata; Siculas copias navali ad Agathyrni promontorium prælio fractas; claſſem fere profligatam; duces ad belli extrema perſequenda ipſo diſcedente ſatis ſuperque idoneos non deeſſe; in Roberto quamvis ætatis in flore, nec virtutem, prudentiamque rei militaris, nec gloriæ ſtudium deſiderari; qui illi præſto eſſent, Rogerium Lauriam, quem Siculi qualis, quantuſque imperator ſit, & amicum, & inimicum experti ſunt, alioſque ex ſuis inclytos viros, ſe relicturum; ipſe ut diutius a Regno ſuo abeſſet, ſuas, ſuorumque populorum non pati rationes. Dicta facta excipiunt. Commutatis compluribus ex Siculis in pugna Agathyrnenſi, cum totidem ex Aragonienſibus, & Catalaunis, captivis in præliis Cerratano,

ſumptus erogarat ſatisfeciſſe, quum Neapolim, ut in Hiſpanias remigraret, rediit. Ex publicis tabulis, ut demonſtratum eſt, id ſolum habetur, Jacobum antequam Neapoli diſceſſerit omnino ſatisfactum de belli impenſis in ſumma vigintimillium quatringentorum octoginta novem auri pondo, & dum adhuc in Sicilia moraretur attributos duo mille aureos præſentes, & quinque mille quotannis dum viveret ex portoriis exigendos, non quidem pro factis impenſis, ſed in grati animi pro opera Socero præſtita argumentum.

(a) *In Chronico Petri Cantinelli, æqualis quidem illorum temporum, ſed exteri nuper typis edito ſcribitur, Jacobum eo ab belli ſocietate cum Carolo adverſus Federicum inita, receſſiſſe, quod Bonifacius Pontifex maximus pactum ipſi ſtipendium neutiquam perſolverit. Nos rem, ut a Speciale indigena, & qui non jejunum, biulcumque Chronicon, ſed explicatam, continuatamque contexuit hiſtoriam, narratur, expreſſimus.*

L

no, & Mamertino factis, reliquiſque una cum oppidis, & caſtris, quæ in ipſius poteſtate erant, Roberto traditis, eoque veluti in Regni poſſeſſionem miſſo, Sicilià ſecum Tarentinorum Principem reducens excedit: & Salernum appulſus, ut Conſtantiam matrem, quæ ibi dies ſuos propter liberorum diſſidium triſtes ducebat, reviſeret, Neapolim ad Socerum venit, ut diſceſſum e Sicilia ſuum ipſi probaret; a quo non tam grate, comiterque, ut alii, quod eſt vero propius, tradunt, ut alii, bene acceptus in Catalauniam cum Blanca uxore, & Conſtantia matre proficiſcitur poſt bellum male ſuſceptum, male geſtum, male confectum, ingratus Gallis, Siculis inviſus, ſuis parum probatus. In chronicis Fori Livii apud Muratorium affirmatur Jacobum ea de cauſa bellum Siculum deſeruiſſe, quod ipſi ſtipendium, a Pontifice Maximo promiſſum, non perſolveretur. Ii, qui perpetuam ſimulatoris perſonam Jacobo imponentes totum id, quod ab ipſo in Sicilienſi bello geſtum fuit, ſimulate, & in ſpeciem geſtum fuiſſe opinantur, produnt, ejus ab Sicilia intempeſtivi diſceſſus veram cauſam fuiſſe erga fratrem caritatem, miſericordiamque; adduntque ei nunquam in animo fuiſſe tam nobili Regno, & quod tanti Patri ſuo ſteterat, ſuam familiam diſpoliare, illudque alienæ comparare. Sunt etiam qui ſcribunt Jacobum ab Agathyrnenſi promontorio Syracuſas navigaſſe contra ſententiam Lauriæ, qui vel Meſſanam, vel Panormum fama tantæ cladis perterritas, nec æque ac Syracuſas natura, opere, præſidioque munitas extemplo invadendas, aut Auguſtam, cui commodus erat portus, & Leontinus circum uberrimus, unde annona abunde percipi poſſet, ager, adoriendam ducebat, Jacobumque tum demum Sicilia ceſſiſſe, poſtquam Syracuſis tentatis, eas expugnatu, maxime quod hiems impendebat, difficiles cognoviſſet. At quibus nixi teſtimoniis hoc proferant, neſcimus, & an hoc cum cæteris cohæreat factis, Lectoris eſto judicium. Certe ſicuti alii Scriptores ſecundam cum prima Jacobi in Siciliam expeditionem, ut animadvertimus, confundunt, ita hi primam cum ſecunda.

In tam dubio, difficilique Siciliæ tempore, qui ei divinam exoraret opem, mors in cœlum ejus indigenam Auguſtinum, antea Matthæum ab Thermis dictum, tranſmiſit. Is ex præclara hujus nominis gente prognatus, alterius Matthæi ab Thermis, cujus non ſemel in hac hiſtoria mentio, conſanguineus, propter juris, cui operam in Bononienſi gymnaſio dederat, ſcientiam, vitæque integritatem

fuit

fuit perpetuus magnæ Curiæ Judex, atque ſuus Conſiliarius a Rege Manfredo creatus. Poſtquam hos ſumma cum laude magiſtratus geſſit divino afflatus numine Auguſtinianæ familiæ ſeſe addixit; ac ut hominum oculos effugeret, totuſque in divinis rebus eſſet, in ſolitarium ſeceſſit, ſeſeque abdidit locum. Sed quum ejus ſanctimonia, ac doctrina nec diu latere, nec ſemel agnita honoribus carere potuiſſet, Romam evocatus, fuit magni a Pontifice maximo, & a Purpuratis Patribus habitus. Ei Pontifex graviora flagitia, gravioreſque pœnas ſuo nomine condonandi poteſtatem delegavit. In ſuæ familiæ Præſidem cooptatus, eam novis, optimiſque ornavit legibus, Auguſtinus propterea novellus dictus. Hoc munere perfunctus, amicam repetens ſolitudinem, ut ſancte vixerat, ſancte obiit, Cœleſtibus qui defertur cultum, quique tribuuntur honores, poſt mortem conſequutus.

Robertus, in quem ſuprema adminiſtrandi belli cura poſt Jacobi diſceſſum incubuerat, quemque Pater ſuum in Sicilia conſtituerat Vicarium, contra Randatium exercitum ducit, eamque obſidione cingit. Bellicas actiones ab hac impugnanda civitate exorditur, tum quod ea in Demini regione, cujus partem aliquam in ſua poteſtate tenebat, ſecundum Meſſanam nobilior ea tempeſtate habebatur, tum quod eam oppida circumſtabant Caſtrileonis, Francævillæ, aliorumque, quæ juris Rogerii Lauriæ fuerant. Randatienſes vero, etſi primum hoſtilem impetum, qui acrior eſſe ſolet, ſint experti, nihilo tamen minus fortiter reſtitere, nihil commoti, quod cunctum pecus, quo præ cæteris Siciliæ populis abundabant, ab hoſtibus abigeretur, unaque quidquid in agro frugis, vitiſque eſſet excideretur. Quum aquæ penuria obſeſſores laborarent, ex ea vehementius parte civitatem premebant, unde aquam haurire poſſent. At ex eadem hac parte majore vi cives obſiſtentes, quum ex primoribus Gallorum vir quidam, qui præ cæteris ſe jactabat, ad fontem Roccarium dictum, ut illum occuparet, appropinquaſſet, eum ſaxis obruerunt. Mortuum ſui, gemitu, & ululatu proſequentes, in caſtra reportarunt; expugnatuque difficilem Randatium experti, ab obſidione exceſſerunt, relicta Randatienſibus gloria, quod ſuis, quæ fides Regi in adverſa etiam fortuna ſervanda eſſet, hoſti Siciliam, ſuo quamvis debellato Rege, non eſſe devictam, documento fuiſſent. Randatienſium tamen exemplum dehortari finitimos Caſtrileonis, Roccellæ, Placarumque incolas non potuit, quin libenti animo ad Lauriam ſuum dominum re-

dirent; idemque Francavillenſes patraſſent, ni metus imminentis oppido caſtri, quod pro Conrado Auria obſervabatur, eos continuiſſet. Robertus, ut Randatii devincendæ ſpe cecidit, auctore Lauria, motis inde caſtris, Adranum procedit; quod oppidum etſi loci natura inexpugnabile, ſe hoſtibus prodidit; quod maximo eorum adjumento cecidit; nam, quum ibi cibaria, aliaque, quorum inopia urgebantur, reperiſſent, aliquantum recreati, integrum eis fuit continuo finitimam Paternionis arcem petere, eamque circumſidere. Huic præſidebat longa ducens otia Comes Manfredus Malecta Quæſtor, & Cammaratæ, aliorumque oppidorum dominus. Is ſive, quia ſenio confectus, ſeu quia laboris, incommodorumque inſuetus, ſive animi ignavia, a ſua generoſa ſtirpe degenerans, nihilque moratus fidem, qua præcipue Principi ſuo & ut ejus Quæſtor, & ut ab ipſo, & ab ipſius majoribus plurimis beneficiis affectus, obſtringebatur, non ſolum arcem poſtridie ejus diei, qua appetita fuit, in hoſtium manus tradidit; verum etiam ipſe in eorum partes receſſit; adeo vitæ mollities, luxurieſque ad turpia quæque animum abjicit. Malectæ defectio & ipſi perniciosa, quod in ſumma egeſtate, qui ditiſſimus fuerat, vitam finivit, & rei Federici fraudi fuit, quod hoſtes in ſpem erexit, nullo negotio cæteras arces obtinendi, quandoquidem vel Præfectorum, qui ei magis addicti eſſe debebant, tam imbecillis, ac fallax fides eſſet; ſuorumque ſpem extenuavit hoſtibus, quo diutius in caſtris obſidendis diſtinerentur, eo minus virium, commeatuſque, cujus inopia jam conflictabantur, ad bellum perſequendum ſuperfuturum. Et profecto Malectæ peſtiferum exemplum luem vulgavit defectionis. Joannes ſiquidem Callarus, Thomas Lalia, & Thomas Landolina Bidini, qui in navali ad Agathyrni promontorium prælio capti fuerant, ſolicitati a Rogerio Lauria ipſo duce, occulte Bidim cum militum manu petunt. Oppidani clauſis portis ſe tueri decreverunt. Sed Callarus, qui apprime plebi acceptus erat, in mœnia illapſus, eos ad Roberti partes illexit. Hæc contagio eo facilius Buccherium proximum oppidum infecit, quo ejus in Regem fides infirma ſemper fuerat, & proditoris Malectæ juris erat.

Lauria læto vultu, ac ſi uno Dynaſta ab officio declinante, & uno, & altero oppido non armis devictis, ſed in proditionem dolo tractis, Siciliam univerſam debellaſſet, ovanti ſimilis, & Bidinorum manum adducens ad Robertum, qui ipſum ad Palagoniam, ubi Paternione digreſſus

ſus conſederat, præſtolabatur, rediit. Conjunctis inde agminibus caſtra contra Claromontem movent. Claromontani, quamquam principio reſtitiſſent, attamen non multo poſt, metuentes, ne longam obſidionem tolerare non poſſent, ſe dedere in animum induxerunt. Poſitis ergo armis, hoſtes oratum mittunt, ut ipſos in deditionem, fidemque recipiant. Sed nihil exorant; quin etiam Rogerii Lauriæ juſſu, oppidum repente invaditur; incolæ occidione occiduntur; nulla nec ætatis, neque ſexus habetur ratio; parvuli ad ſaxa alliduntur; a prægnantibus fœtus ferro abſtrahitur; mulieres, quæ cædi ſuperſunt, in unum coactæ ad vicina loca extorres amandantur; quicquid in oppido pretii erat, prædæ militibus permiſſum; reliquum a Bidinis direptum; adeo in Siculos Lauria, nondum illorum ſtrage, ad Agathyrnum promontorium facta, exſatiatus, in imbelles etiam, & ſupplices atrociter ſævire non erubeſcit, idque cum non parvo ſuorum Andegavenſium cauſæ detrimento, erepta iis, adverſus quos bellum gerebatur, ſpe aliter, quam reſiſtendo, ſaluti ſuæ conſulendi: quum contra nihil e re Andegavenſium magis fuiſſet, quam animum Siculorum delinire, atque ab ea ſuſpicione, in quam venerant, dimovere, illos Inſulam tam vehementer appetere, non, ut in ipſam juſto dominarentur imperio, ſed ut acceptas ulciſcerentur injurias, incolas partim neci dando, reliquos dura opprimendo tyrannide. Mandarat quidem publicis literis Rex Carolus Lauriæ, ut ſuis verbis Siciliæ communibus, & cujuſque ordinis privatis, qui jus in Inſulam Romani Pontificis agnoſcentes, in Andegavenſium ditionem ultro concederent, veniam daret, pœnas remitteret, in fidem gratiamque neminem non reciperet, atque in integrum reſtitueret (a). Verum hujuſmodi impunitas quanto prolixius, tanto minus ſincere, & ex animo, ſed temporis cauſa, ac ſimulate, & in ſpeciem oſtentata putabatur. Ab ſtrage Claromonte patrata Robertus, & Lauria ad Catinam, cui Blaſcum Alagonam præeſſe docuimus, tentandam pergunt, haud procul ab urbe in arenarum vinetis caſtra metati. At, quum ibi triduo conſtitiſſent, eiſque ſpes illam per proditionem obtinendi oſtenſa fuiſſet, contra Aydonum a quibuſdam oppidanis, qui ad ipſos paulo

(a) *Vide Monum. num. XX.*

lo ante transfugerant, incitati proficiſcuntur. Inferiore oppidi parte, quæ immunita erat, ſine certamine occupata, ac direpta eos, qui in arcem ſe receperant, adoriuntur. Hi vero Juvenco de Ubertis oppidi Præfecto, duce, quamquam arx parum firmis ſepta erat muris, ſe ad reſiſtendum paratos præbent. Hoſtes, ut aditum in arcem ſibi patefacerent, portæ, quam Boninati vocabant, longo tigno, ardentem præferente facem in arietis modum ad illam admoto, ignem inferunt; quam, ut Juvencus deflagrare animadvertit, undique congeſtis lapidibus, eam non ſolum, ſed & reliquas portas ab interiore parte quodammodo firmat. Nocte, ne eo die aliud molirentur, intercedente, hoſtes in tentoria recedunt. At ex obſeſſis non paucis eadem nocte ad eos profugientibus, reliquiſque, ubi poſtridie majore vi ſe appeti cernunt, ſubito, quæ eſt plebis levitas, metu devictis, Juvencus, quum multitudini reſiſtere nequeat, ab arce ſe ſubducens, eam in incolarum manu relinquit; incolæ hoſti tranſdunt. Dux, & Lauria Aydono recepta, contra Platiam, non procul diſtantem, movent. Quo cognito Guilelmus Calcerandus, & Palmerius Abbas, ſtrenui bellatores, capitis neglecto periculo, per medias hoſtium acies cum ſexaginta equitibus in eam ſubeunt. Dux in Divi Georgii planitie, Rogerius ad fontem Vicis juxta oppidum caſtra ponunt. Incolas, ut ultro ſeſe dedant, per Feciales admonent; reſtituris extrema minantur. Illis vero optare mori potius, quam indecoram deditionem facere conclamantibus, Dux oppidum ab ea parte, ubi ſacra ædes, quam Patrem ſanctum appellant, armis aggredi tentat. At non ſine ſuorum ſtrage repulſus, quum per aliquot dies in obſidione perſtitiſſet, intelligens, ſe nihil promovere poſſe, ſucciſis, quot potuit, ex plurimis, quæ circa oppidum vernabant, vinetis, populiſque, Paternionem revertitur.

Federicus interim adhuc Meſſanæ morabatur, non dum enim Ennam, quod conſilium ſuſceperat, ſe ſe contulerat, lætus de Randatienſium fide; ne minimum quidem de captis ab hoſtibus oppidis perturbatus, vel de ejuſdem generis capiundis ſolicitus; propterea quod in hiſce invadendis, obſidendiſque locis, quorum expugnationem parum, vel nihil ad rei ſummam, habere momenti exiſtimabat, eorum vires in dies atterebantur, imminuebanturque. At, ubi accepit, Robertum, Rogeriumque infeſta ſigna Catinæ nobili in primis urbi intuliſſe, ad eam tuendam, nulla interjecta mora, accurrere operæ pretium du-

duxit. Meſſanæ igitur, qui civitati, arcique cuſtodiæ, præſidioque eſſent, Nicolao, & Damiano Paliciis, germanis fratribus, quibus plurimum confidebat, relictis, cives ad fidem ſibi ſervandam cohortatus, Catinam proficiſcitur. At quoniam hoſtes inde receſſiſſe reperit, civibus in concionem convocatis, quod hoſtium ſolicitationibus reſtitiſſent, benignis verbis ſe gratum præbet; eoſque admonet, ut in bene cœpto propoſito perſeverent. Cui Virgilius Scordia, qui inter ſuos non minus ſuaviloquentia, quam opibus, & gratia pollebat, reſpondit: *Quum tu Princeps ſis inter Siculos ab infantia altus, atque educatus, ut Siculus dici poſſis, ex Siculi Regni conditore, & parente longo, certoque ordine prognatus, Patris de Sicilia tam benemeriti filius, ab eiſdem Siculis ſumma animorum conſenſione ſibi in Regem electus, tot laboribus, periculiſque pro Sicilia defendenda perfunctus, tantaque imperii facilitate, ac benevolentia in Siculos dominans, ſi te Catinenſes prodidiſſent, ut in eorum poteſtatem reciderent, quibus ſi antea tam duris uſi erant dominis, nunc atrocibus uterentur ultoribus, non ſolum nefariam admiſiſſent perfidiam, verum etiam in Patriam, in conjuges, in liberos, in ſe ipſos utique ſævïiſſent. In quem unquam ſanæ mentis tam perverſum, exitioſumque cadere potuiſſet conſilium juſtum, beneficumque Principem cum infenſo hoſte commutare? Et cui, ſi tamen quis unquam eſſet, qui in tantam dementiam, furoremque veniret, terra non dehiſceret, vel Cœlum fulmine eum percutiens Orco non demitteret?* Federicus hæc tam ſtabili vultu, talibuſque precibus pronunciata, tanta in aliquibus ſimulandi, animique ſenſus tegendi ars, atque adeo eſt facile, generoſos homines, & fallere neſcios, ut Rex erat, falli, vera, ſinceraque credens, Scordiam laudat, amplectitur, Patrem ſuum dictitat, ſummiſque extollendum honoribus cum animo reputat: quin immo, quum in Blaſci Alagonæ, qui Catinæ præerat, aurem aliquid adverſus Virgilii fidem inſuſurratum fuiſſet, ipſeque ad Regem detuliſſet, Rex ſuſpicatus, ne aliquis, in Scordiam malevolus Alagonæ impoſuiſſet, ſe malle, ait, Catinam in diſcrimen committere, quam Virgilii famæ, eum proditorem credendo, officere. Blaſcus vero, ut qui major ætate, ſic diuturniore rerum uſu cautior erat, ne ſuam gloriam fortunæ objiceret, veniam a Rege Catinenſi præfecturâ abeundi exoravit. Ad Catinæ itaque cuſtodiam, diſſimulatâ causâ, Hugone ab Empuriis relicto, ac Leontinis, Syracuſis, aliiſque nobilibus Neæti regionis, hoſtico propinquis locis perluſtratis, confirma-

ma-

Digitized by Google

matiſque, ut animo deſtinarat, Rex Ennam conceſſit.

Ubi Federicus Catinâ abiit, Virgilius, quod de urbe hoſtibus tradenda ſcelus animo conceperat continuo perpetraſſet, ni æmulatio, & ſimultas, quæ inter ipſum, & Neapolionem Caputum, qui, etſi minore, quam ipſe, non parva tamen auctoritate, & gratia in civitate florebat, veteres, graveſque intercedebant, ſibi impedimento fuiſſent. Verebatur enim Neapolionem, niſi aliam ob cauſam, certe ob id ſolum, ut ſcilicet æmulo, & inimico adverſaretur, cuicumque ſuo incepto obſtiturum. Cum hoc itaque ſe reconciliare annititur: & quoniam faciles, maxime ambitioſorum, in maleficium coitiones, facileque eſt minus potentem a potentiore in ſocietatem trahi, cum eo conjurationem contra Regem nullo negotio fecit. Dum rationem una meditantur, occaſionemque captant, qua res conficiatur, ipſemet Rex perquam opportunam eis offert. Is, ut impediret, quominus Robertus per Regnum diſcurrens, nunc hoc, nunc illud oppidum ſuum faceret, undique copias Ennam advocare inſtituit, quibus hoſti obviam eundo, eumque a progreſſu arcendo par eſſet. Negotium itaque Comiti Hugoni ab Empuriis, quem, ut diximus, Catinæ Præfectum reliquerat, dedit, ut inde ſeptingentos armatos viros, ad ſe mittendos, deligeret. Hugo de ratione hunc delectum habendi Scordiam, qui a populo, ut pater patriæ habebatur, conſulere optimum factu duxit. Scordia occaſioni huic præcogitatum exequendi flagitium non defuit. Reſpondit igitur poſtero die populum in maximam ædem Divæ Agathæ ſacram, in qua de publicis rebus cum eo agi ſolemne erat, convocandum; eique Regis mandatum proponendum, inculcandumque. In quam ſententiam quum Hugo conveniſſet, Scordia ad Caputum, ut cum eodem rei expediendæ, quam commentatus erat, rationem communicaret, eumdemque facinoris ſocium, qui conſilii conſcius erat, ſibi adſciſceret, properavit. Noctu cum propinquis, amicis, clientibuſque, quibus magis confidebant, quoſque ad id, quod agendum erat, magis idoneos exiſtimarant, coitione facta, reque deliberata, ac condicta, ut illuxit, hinc Scordia Hugonem, ut omnem inſidiarum amoveat ſuſpicionem, fucumque faciat, togatus adiens, eum ad templum maximum affectatur; illinc Caputus, & ii, quos non paucos ſatellites, adminiſtroſque ſceleris ſelegerat, eodem ſingulatim conveniunt. Coacto populo, quum tempus Hugoni fandi viſum eſt, indicto ſilentio, juſſum Regis exponit. Tunc popularis quidam,

dam, cui Florius nomen erat, pacem clamitans, Hugonem nudato enſe appetit, eique in faciem vulnus impingit. Huic reliqui ſubeunt conjurati, majoreque ſublato clamore pacem repetentes, diſtrictis gladiis in eumdem irruunt, captumque fidis hominibus diligenter obſervandum tradunt. Mox per urbem diſcurrunt, pacem conclamantes, contumeliiſque, qui idem non vociferant, obvios inceſſunt. Populus quamquam quid rei ſit ignoret, quoniam aut nulla, aut vana ex cauſa plerumque movetur, cœco impetu conſpiratis ſeſe adjungit, eiſque morem gerit. Interea, priuſquam ſeditionis deferveſcat æſtus, populoque conjuratorum techna pateſcat, tres ad litus, portum Saracenum dictum, parantur, inſtruunturque lintres, in quas Scordia Hugonem, ejuſque comites imponit; nautiſque mandat, ut ipſos ad Taurominii oram exponant. Hugo lintrem conſcendens Scordiam, & Caputum increpat, eoſque obteſtatur, ut ſi in eos vel ipſe, vel ſui noxam aliquam admiſiſſent, de ipſo, ſuiſque pœnas ſumant; modo ne a fide erga innocentem Regem cum ſuorum nominum infamia deficiant. Scordia, & Caputus ei ſilentio indicto, nautis, ut ſolvant, imperant. Hugone digreſſo, univerſa ejus, ſuorumque ſpolia conjurationis ſatellitibus diſpertiuntur, Bartholomæo vero Inſula, Philippo Bruno, aliiſque compluribus ex Regis adminiſtris, qui Catinæ agebant, cum re ſua abire permiſſis. Exactis ab urbe Præfecto, reliquiſque, qui ab Federico erant, conjurati continuo, Robertum vocant, eique ſe produnt. Quoniam huic nihil hac poterat deditione opportunius, commodiuſque accidere, ſiquidem ad inſtantem hiemem apta ipſi deerant ſtativa, & annonæ difficultate ſuus exercitus laborabat, Catinam advolat. Catinenſes eum cum pompa excipiunt; ipſe quot oppida, caſtellaque vectigalia conſpirationis auctores in præmium depoſcunt, quia ſtat parvi quod non poſſidetur dare, deque alienis clargiri, pollicetur; ac Catinam in ſuam ſedem, receptaculumque, in Urſino caſtro diverſatus, ſibi eligit. Catinæ potitus, in tantam univerſæ Inſulæ obtinendæ Robertus ſpem venit, ut Jolantam uxorem Neapoli Catinam acciverit, eam ut thalami, ſic triumphi conſortem habiturus. Et quidem, ut Catinæ caſum fama evulgarat, Neætini, ſolicitati ab Hugolino Callaro, qui ex optimatibus Regni erat, & a Rege adeo benigne habitus, ut ejus filium e ſacro fonte ſuſceperit, ad Robertum deſcivere; eorumque exemplo Buxema, Ferula, Palaciolum, Caſſarum adjacentia oppida, caſtraque ad eumdem ſeſe

M con-

Digitized by Google

converterunt. Petrus Pedivillanus, ſuique fratres, in ſuam factionem Franciſco Valena traducto, ſimulatque conſpirarunt, illico una armati Raguſam oppidum noctu diſcurrentes, Henricum de Sancto Stephano, qui illud pro Comite Manfredo Claromontio procurabat, dum vigilias circumibat, imparatum improviſo deprehendunt; atque ante diluculum, quæ parata habebant, Andegavenſium vexillis ſuper mœnia ſublatis, Guilelmum Eſtandardum, unum ex primis Andegavenſis exercitus ducibus, qui Bidi reſidebat, celeriter accitum in oppidum introducunt.

Clades a Federico ad Agathyrni promontorium accepta, & oppida, quæ ab ipſo inde defecerant, ac in dies deficiebant, Siciliæ univerſæ in Andegavenſium ditionem redigendæ Bonifacio ſpem adeo inflarant, ut Gerardum Parmenſem Purpuratum, Sabinorum Pontificem in eam legarit, qui Siculos pro ea ſanctitatis opinione, quam ab ipſis alias poſt exactos Gallos legatione perfunctus ſibi procrearat, ut ſeſe Andegavenſium poteſtati tandem ſubjicerent admoneret; eoſque, ſi dicto audientes fuerint, diris exſolveret, ſacriſque reſtitueret; unaque Pontificis maximi fidem obligans, ipſis omnem admiſſorum impunitatem, facile inſuper, benignumque imperium ſponderet. Legatus Catinam venit; ſed quum nihil profeciſſet, Rogerius Lauria, cui perſuaſiſſimum erat, Siculos, adeo ab Andegavenſium dominatu abhorrere, ut ad eos perfringendos, domandoſque nihil nec Pontificis maximi monita, promiſſave, nec aliud quidpiam præterquam arma, valeret, eorumque animos tum vinci poſſe, ubi omnia alia vincerentur, arces, claſſis, copiæ, Robertum monet, ut a Carolo Patre auxilia efflagitet, quibus regio ultra flumen Salſum a bello adhuc vacua, invadi & ipſa poſſit; Siculique undique oppugnati tandem aliquando majori vi cedant. In hanc itaque a Roberto ſententiam Patri ſcribitur. Et Carolus, impenſis belli quamquam exhauſtus, imperat, ut confeſtim præter onerarias quadragenæ longæ apparentur naves; ſintque, qui eas conſcendant, prompti paratique, ſexcenti equites, & mille pedites, maximam partem Neapolitani. Hujus expeditionis ducem filium alterum Philippum, Tarentinorum Principem, juvenem bellicæ avidum gloriæ, conſtituit; eique Legatos pro re maritima Petrum Salvacoxam, quem a Federico defeciſſe ſupra demonſtravimus, & pro terreſtri Brolium Bonſium Gallum, & Rogerium Sanſeverinum Marſici Comitem Neapolitanum, exploratum, præſtantemque imperatorem attribuit, his

man-

mandans, ut in oram regionis, quæ ab Himeræ fluminis oſtio ad Drepanum pertinet exſcenſionem faciant; illucque bellum inferant. Bonifacius Pontifex maximus hanc expeditionem minime probavit; quin literas Carolo dedit, quibus ab ea ipſum, filiumque, vel diras interminatus, deterreret. Nihilo tamen ſegnius, expedita claſſe, militeque in eam impoſito, Philippus plurimis ſtipatus nobilibus, qui ad eum affectandum ſeſe ultro obtulere, præter anni tempus, hiems enim appetebat, Siciliam ab ea, ut Pater præſcripſerat, parte, qua ad meridiem vergit, petit; Lilybæumque prætervectus, proſpera uſus navigatione, in Drepanitanum litus applicat; ibique milites, nullo obſiſtente, exponit: qui vix locatis caſtris, extemplo ad prædandum per patentes illos agros ſeſe effunduut, maturius, quam oportuiſſet, illius regionis incolas docentes, quid non mali ab tam infenſa, cupidaque gente metuendum non eſſet. Philippus exſcenſione facta, claſſem non dimiſit; ſed eam in proximam circumvehi oram juſſit, ut ſi cœptum minus proſpere procederet, in eam ſeſe recipere poſſet. Federicus, ut hæc cognovit, ſecum cum animo reputans, in quod diſcrimen res ſuæ evaſuræ eſſent, ſi Philippus, oppida occupando, ſibique gloriam pariendo, ſeſe cum fratre conjungeret, ſuos, qui aderant, quid factu opus eſſet, advocata concione, conſultat, profeſſus ſe ad omnia perpetienda paratum, modo ſibi, fidelibuſque ſuis non deſit. Blaſcus Alagona, ſive quia putabat, Regem non eſſe aperto Marti exponendum, ſive quia ipſe hujus expeditionis laudem affectabat, cenſuit, his novis hoſtibus eſſe omnino occurrendum, deliberandum ſolum, quo duce; quandoquidem tutum nequaquam erat, Regem ab Enna ſe movere; propterea quod, ipſo digreſſo, Robertus, qui magnam regionis a tergo poſitæ partem tenebat, & haud procul ab Enna verſabatur, illum infeſtis ſignis eo inſequi poterat, quo cum ſua acie eſſet Philippus progreſſus, ita ut & a tergo, & a fronte ab hoſtibus circumvento, aut magno ſuo periculo pugnandum foret, aut ignominioſam, ſi tamen facultas daretur, quandoquidem ipſi ad naves receptus, ut hoſti, non pateret, fugam ſibi conſciſcendam. In hanc igitur concluſit ſententiam, ut Rex Ennæ remaneret cum tot copiis, quot ad Roberto, ſi ex hujus parte aliquid interea moveretur, obſiſtendum ſuppeterent, reliquas ſeſe ipſe paratum offert contra Philippum educere, aut mortem occubiturus, aut Deo juſtitiæ vindice bene juvante, detracta Gallis ſigna deportaturus. Ala-

Digitized by Google

gonæ ad unum omnibus aſſenſis, Sancius Eſtada, qui neque conſilio, neque eloquentia, aliquo numerabatur loco, in Regem oculos convertens, nulla habita præfatione, *Inſanum* inquit, *conſilium, o Rex quominus obviam Philippo eas prohiberi. Majores tui regna, quæ illorum tenent poſteri, armis utique non ſubegiſſent, ſi adverſus hoſtes per ſe ipſi arma non tuliſſent. Ego ſane, te præſente, ultima auderem, te abſente, minima quæque perhorreſcerem. Si tu ad hanc non adfueris expeditionem, quis te ignaviæ non arguet? De ſumma rei agitur. Hoſtes in hoc incœpto ſpem ultimam Siciliæ devincendæ repoſitam habent. Et Siculi, qui adhuc nunquam non te ſibi in bello præeuntem viderunt, nunc, quum minus opportune, abs te deſertos ſe dolebunt; deſiderabuntque qui ipſos, & vultu, & voce, & exemplo ad egregia excitet facinora. Deus avertat. Blaſcus ſua virtute confidens, triumphos cogitat; & non animadvertit in quali diſcrimine res verſetur. Si Dei ope hic novus Andegavenſium conatus eis male cedat, res noſtra reſtaurabitur; ſi ſecus deſperata eſt.* His ab Sancio ingenue dictis, Regi cogitanti, ſi hoſtes a bello intactam adhuc Mazarienſem regionem invaderent, ipſum de Siciliæ non ſine ſui nominis gravi infamia poſſeſſione depulſum iri, placet omni contempto periculo, adverſus Philippum continuo proficiſci. Cogit igitur undique, & præſertim ex Panormo, cujus civitatis quot homines militiæ potentes erant, nomen dederunt, quantas poteſt, terreſtres copias. Mandat, ut claſſis ad Lilybæum provehatur. Guilelmo Calcerando idoneum militum numerum relinquit, quo Ennæ præſidio ſit; itemque Roberto, ſi aliquid tentet, occurrat. Secum Blaſcum Alagonam, Joannem Claromontium, Vinciguerram Palicium, Matthæum ab Thermis, Bernardum Queraltum, & Farinatam de Ubertis, alioſque nobiliſſimos viros conducit. Ennenſibus, qui, quotquot tractare arma poterant, ultro ſeſe offerunt, ſua ſigna ſequendi facultatem facit. His, aliiſque rebus ad eam expeditionem a Federico comparatis, Robertus ut ſcivit, fratrem cum ſuis copiis in regionis Mazaræ oram feciſſe exſcenſionem; Federicumque, ut illi obſiſteret, Ennâ profecturum, in conſilium Ludovicum Ducis Suevæ fratrem, Rogerium Lauriam, Comitem Thomam Sanſeverinum Rogerii Patrem, Gualterium Brennæ Comitem (a), Ermiganum Sabranum Co-

(a) *Sive Brabennæ. Sic eum vocant Specialis, Surita, Fazellus, & alii.*

Con-

Comitem Adriani, Gualterium Baucium, alioſque magnæ auctoritatis viros, qui ſibi Catinæ aderant, apud Purpuratum advocavit, ut una quid agendum eſſet deliberarent, an Federicum conſectandum, prohibendumque, ne Philippo occurreret, ſin minus hoc ſuccederet, enitendum, ut ſuæ cum fratris copiis conjungerentur, totumque in Mazaræ regionem bellum intenderetur, an illud, quo loci erant, ſeparatim perſequendum, continentiaque oppida, quæ ob Federici digreſſum prope intuta manerent, invadenda. Omnes in eam diſceſſerunt ſententiam, Philippo ſatis non ad hoſtes modo impugnandos, verum etiam expugnandos, eſſe virium; proinde haud oportere, Robertum, ut fratri ſubſidium, quo non indigebat, ferret, occaſionem univerſæ Neæti regionis occupandæ dimittere; operæ pretium imo fore hoſtem diverſis ex partibus urgere, ut undique preſſus tandem cederet; contraque periculoſum, copiis in unum collatis, unius prælii fortunæ omnes partis vires committere. Lauria vero cenſet, illinc movendum, Federicumque, antequam cum Philippi exercitu ſigna conferret, aſſequendum, quo is a fronte ab Philippo, a tergo ab Roberto appetitus, atque interclusus, quo ſe verteret, non haberet; addit, ſe valde timere, ne Philippus, ſi aliquis ei belli in Sicilia adminiſtrandi rationis expertus, inque ea verſatus, non adſit, quum generoſus ille quidem, ſed fervidi ingenii juvenis, rei militaris imprudens, regioniſque ignarus ſit, a Federico provido, exercitatoque, quam qui maxime, imperatore, ac locorum ſcientiſſimo ad pugnam, aut intempeſtive, aut iniquum in locum pertractus, communem rem, ſeque ipſum funditus perdat. Vicit Rogerii ſententia. Caſtra moveri, vaſa conclamari, exercitum in binas partitum acies, unam per inferiorem Inſulæ partem, alteram per mediam, maximis itineribus, Drepanum verſus contendere decernitur. Dum Catinæ hæc agitantur, Federicus tam mature in expeditionem prodiit, tamque celeriter iter confecit, ut & Roberti profectionem præverterit, & ad Philippum improviſus, inopinatuſque, inſtructa acie, advenerit. Sed eum non amplius caſtra propter litus habentem invenit;

nam

Conſtantius eum dicit Gualterium Brendam Aletii Comitem. Brenna eſt in Galliis oppidum, & comitatus.

nam quum ob adverſum maritimum æſtum, in illa importuoſa ora coortum, claſſem in altum provehi neceſſe fuiſſet, ad Falconariæ (a) inter Drepanum, & Lilybæum ad millia paſſuum duo a litore patentes campos progreſſus jam erat. Id Federico animum addidit, tum quod ſibi copiam inferendi e veſtigio pugnam faciebat; tum quod, ſi vinceret, hoſtibus nullum ad claſſem effugium reliquum foret. Illud etiam Regem ad dimicandum alacriorem reddere potuiſſet, quod Lopis de Yahin, qui ſe divinum venditabat, ei accurrens vaticinatus eſt, ipſum victoriam ſola quinque militum jactura conſequuturum, ſe vero moriturum. At Federicus, cui perſuaſum erat, mortalium ſortes in ſupremi Numinis manu eſſe, hariolo reſpondit. *Tu itaque, dum licet, tuum caſum effuge. Nos ad certamen, Deo tantum auſpice, progrediemur.* Contra ex hoſtium parte Sanſeverinus, in quem ſumma imperii reſpiciebat, ubi citius, quam opinari poterat, Federicum cum non exiguis copiis ad ſe directa acie properare aſpexit, nihil proſperi ſibi, ſuiſque auguratus eſt. Ex hoc enim conjecturam faciebat, ſuorum res ex Roberti parte deteriore eſſe loco; quandoquidem Federicus ex illius conſpectu, ſecum tantum armatorum robur ducens ſeſe ſubtrahere non dubitarat. Volvebat igitur animo, ſi id conſequi poſſet, receptui canere, & ad litus recedere, ſperans jam contrarium æſtum remiſſum, reductaſque in oram naves; ut ſi hoſtis urgeret, impoſitis in ipſas Philippo, & milite, eæ in altum veherentur; quo appellendum, & quid factu opus eſſet, in mari deliberaturus. Huic Sanſeverini conſilio interceſſit juvenis princeps, cui certamen detrectare turpe, terga vertere, hoſte imminente, periculoſum videbatur. Se itaque ad pugnam, ubi ſe hoſtis offerret, naviter parat; & quia cognorat, Siculos ad prælium procedere, partim ſub Alagonæ, partim ſub Joannis Claromontii, Vinciguerræ Palicii, Matthæi ab Thermis, Bernardi Queralti, Farinatæ de Ubertis, & Ennenſium ſignis, Regis vexillo non adhuc ſublato, ſuum exercitum in tres acies inſtruit; quarum pri-

mâ

(a) *In Muratorii annalibus legitur* Formicara *errore forte Typographi: nam omnes* Falconariam, *vel* Falconaram *ſcribunt; nec in ea regione eſt locus cui Formicara ſit nomen. Formicaræ enim ſunt parvæ Inſulæ Drepanitano portui objectæ.*

Digitized by Google

mâ hoſtium peditatui Bonſius, ſecundâ ipſemet Alagonæ, tertiâ cæteris ducibus Sanſeverinus obſiſtat. Hoc quum Rex proſpexiſſet, in tres pariter acies, Alagona auctore, ſuas copias explicat; hunc cum Hiſpanis equitibus (*a*), in cuneum redactis, ſiniſtro cornu, dextero reliquos duces præfecit, ſibi media acie aſſumpta. Sed quum aliquot balteo inſignire inſtituiſſet, reliquas copias progredi jubet, ipſe cum ſua acie continuo ſubſequuturus. Has ſimul atque ad ſe appropinquare Philippus conſpicit, earum non expectat incurſum, ſed juvenili quodam ardore abreptus, ſigno dato, illis ſe obviam objicit. Et quoniam, non perſpecto vexillo Regis, putat ducem prælii Alagonam eſſe, in hunc cum ſuis Provincialibus equitibus irruit. Hi, quum non parum Hiſpanos veteranos equites miſſilibus exagitarent, vulneribuſque afficerent, Alagona Regi, cui præproperus Philippi impetus, ut in tempore ad pugnam accederet, ſpatium non dederat, per trepidum nuncium eam jam commiſſam ſignificat; &, ut confeſtim adſit, rogat. Interim Sanſeverinus in eam, quam oppugnandam ſuſceperat, aciem, irrumpit. Philippus vero Alagonæ agmen, quod turbare quidem, ſed fundere nequiverat, qua per Sanſeverinum patefacta via fuit, præterit. Qua re animadverſa, Alagona ſigna illico convertit; ac ipſum a tergo appetit. Quum huc deducta res eſſet, Federicus ſupervenit. Advenienti quidam ex ſuis proceribus, timore perculſus ob detrimentum ab Alagonæ equitibus in primo concurſu acceptum, anxius occurrit eum ad fugam adhortans. Cui Federicus. *Det, qui velit, ſe in fugam; Patriæ, Principiſque ſui juſtam prodat cauſam. Nos pro ea vitam noſtram devovimus. Hunc unum omnium actionum noſtrarum finem nobis propoſuimus.* Nulla mora, jubet ſigniferum vexillum explicare. Ipſe ſubditis calcaribus equo, ſe cum paucis, qui eum aſſequuti erant, in medios immittit hoſtes. Hinc conflictus recrudeſcit. Inferuntur, accipiunturque viciſſim vulnera. Inundatur ſanguine campus. Circa Regem tamen acrior, infeſtiorque dimicatio eſt. Hoſtes ſumma vi eum petunt, ſui tuentur. Qui in eum incurrunt,

(*a*) *Ii eſt, ut habetur apud Specialem, alioſque illorum temporum æquales Scriptores,* Amulgaveris, *ſive* Almugaveris. *Sic enim vocabantur Hiſpani veterani equites ſtrenuitate præſtantes, de quibus plura apud Cangium in ſuo Gloſſario.*

Digitized by Google

runt, pars clava, pars gladio concidunt, ipſo tamen levibus quamquam in dextra, & in fronte acceptis vulneribus haud incruento. Nec ulla Philippo res ad virtutem defuit. Huc illuc micante enſe curſitat; ſtragemque edit. Adeo pugna conſeritur, ut Alagona animadvertens, equos non ſubſidio, ſed impedimento eſſe, quandoquidem illos pro tempore, & ex uſu flectendi, & in hoſtes intendendi locus non erat, Hiſpanos equites eos cædant hortetur. Hiſpani dicto parent. Non ſolum ſuæ turmæ equis, ſed etiam plurimis ex aliis interemptis, in prælium ſeſe pedites inferunt. Inter hæc Philippus, & Martinus Peris de Ros, alter alteri ignotus caſu inter ſe concurrunt. Martinus clava Philippum appetit, ut proſternat. Philippus eum repetitis ictibus inter mentum, & labium pugione percutit. Ille per extremas caſſidis oras ferrum inferens leviter os Philippi vulnerat. Res revocatur ad manus. Acriter luctantibus, Martino, ut Philippum in terram præcipitem ſecum dejiceret, contigit. Et jam ejus jugulum petebat; quando is probro ſibi ducens ab ignota, ignobilique manu jugulatum iri, Virginis Matris ope implorata ſe, qui ſit, prodit. Martinus, audito nomine, ſeſe continet; dexteramque ab ictu retrahens, Alagonam haud procul decertantem, advocat; eique jacentem Philippum indicat. Alagona duobus Hiſpanis militibus hanc Conradini manibus victimam dare mandat. Et ſane mactata fuiſſet, ni repens emanaſſet rumor, ducentos ex hoſtibus, ad aliquid novi tentandum paratos, proximum inſediſſe eminentem tumulum; nam Alagona reputans, nihil in bello geſtum eſſe, quum aliquid relinquitur gerendum, quia quod relinquitur victoriam ad hoſtes, qui ſane Conradini caſus fuit, convertere poteſt, illuc, omni alia re prætermiſſa, accurrere potius exiſtimavit. Interim ad aures Regis, qui non longe aberat, caſus Philippi pervenit. Rex eum reſervandum denunciat; & ad locum, ubi ille profligatus jacebat, ſe conferens, ipſum amice habet; ac Petro Cuſculiano, aliiſque fidis cuſtodibus, ut ei honorem, ſtudiumque, quod perſonæ par ſit, præſtent, ſedulo commendat. Philippo ne melior ejus, quam Patris fortuna eſſet, captivo facto, & omnes, qui cum ipſo erant, & Rogerius Sanſeverinus cum ſuis, quum nulla alia ſalutis ratio reliqua eſſet, ſeſe dediderunt. Bonſius vero in ſtrage ſuorum, plurimis confoſſus vulneribus in campo extinctus inventus eſt. Ducenti milites de quibus, ut ſupra diximus, rumor pervaſerat in tumulum conveniſ-

niſſe; quique majore ex parte ex iis erant, quos Neapolitana civitas ad bellum contribuerat, in fuga deprehenduntur; inter quos Petrus Salvacoxa; qui ut incolumis dimittatur, ſe mille aureos ſoluturum profitetur; cui Gilettus quidam: *Longum quidem*, infit, *tempus requiri, ut tanta pecunia numeretur: reſervet eam potius ſuis hæredibus: accipiat nunc, quandoquidem ad partes declinarat hoſtium, ſuæ proditionis pretium*. Hæc proloquutus, caput ei amputat. Hoſtium magna pars aut cæſa, aut capta. Quidquid ii ſecum attulerant, victorum facta præda. Inter captivos Comes Thomas Sanſeverinus, Hugo de Viſi, Tinzolinus de Ammidolea, Bartholomæus, & Sergius Siginolphi, aliique complures inſignes nobilitate viri. Robertus, qui cum ſuis copiis viæ ferme dimidium, ut fratri ſe adjungeret, proceſſerat, ubi accepit commiſſum ad Falconariam prælium, fuſum deletumque exercitum, fratrem cæteroſque duces captivos factos, de tam acerbo caſu, fratriſque calamitate dolens, Catinam regreditur; ibique ſe ab Jolanta ſecundo loco nato, nam ex ea jam Carolum Neapoli ſuſceperat, filio Ludovico adauctum reperit.

Hæc tam hoſtibus luctuoſa, quam læta noſtris, clara victoria reportata fuit ſub exitum anni MCCXCIX calendis nempe Decembribus. Ea erit Siculis uſque memorabilis, utpote quæ Siculum Regnum in Federico firmavit; qui ſane ex ejus fundatore originem trahebat; & ex quo Siciliæ juſtorum, glorioſorumque Regum ad hoc uſque tempus certa, legitimaque ſucceſſio deducitur. Statim a parta victoria Rex literas Ægidio Auriæ dat, ut Genuenſes naves, quas ſibi conductas habebat, quibuſque Auria præerat, in altum adverſus hoſtium claſſem, quæ ad Drepani inſulas ſtabat, extemplo provehantur. Literis quoque Panormitanos de ſucceſſu certiores facit, victoriæ locum, tempus, quot cæſi, quot vivi capti deſcribens, eos ad ſecum de re bene geſta omnium bonorum Largitori grates referendas, ſecumque gaudendum invitatos in ſpem erigit, eodem, qui hanc victoriam ipſi dederat, propitio, reliquos, qui in Sicilia ſupererant, hoſtes eadem devictum iri felicitate; eiſque mandat, uti quas ipſis naves imperaverat, confeſtim cum Auriæ navibus jungant, quo adverſariis mari quoque profligatis, gaudia gaudiis cumulentur (*a*). At hoſtes, qui

(*a*) *Vide Monum. num. XXI.*

qui in claſſe erant, poſt adverſum terreſtris pugnæ eventum, ut primum tempeſtas tulit, noctu in naves receptis, qui de ſuis ſoſpites ex ea evaſere, Neapolim triſtes, demiſſique contenderant, tantæ cladis nuncium Regi Carolo afferentes. Tota urbe gemitus, luctuſque excipit. Carolus præcipue filii captivitatem, fatumque familiæ dolet; veritusſque, ne Siculi, eo proventu elati, in ſua maritima oppida impetum faciant, illa muniri, ac in primis Barulii refici, quæ affecta erant, mœnia mandat. Et ne ad novas copias inſtruendas equi deſiderentur, ut nonniſi ſua venia e Regni finibus extrahantur, edicto ſancit. Federicus vero Mazarienſis regionis nobilioribus luſtratis locis, animiſque eorum, qui pro ipſo ſtabant, ex præterito timore, ſeſe eis victorem oſtentans, recreatis, donatiſque, quod in prælio ad Falconariam Joannis Ferri ductu egregiam navarint operam, Lilybætanis ampla vectigalium, tributorumque immunitate, protinus Panormum ſe confert, ſecum quaſi per triumphum captivos ducens, quorum pars major in Palatii carcerem conjicitur. Philippus vero in Cephaledi (a) caſtrum ea, qua virum Principem decebat, ratione, obſervandus, omnique liberali cultu habendus mittitur, eodem ipſo in loco, in quo Carolus Pater aſſervatus fuerat, Cephaleditano caſtro, non tam ſuo, ut ea tempeſtate inexpugnabili ſitu, quam talium Principum cuſtodia perquam nobilitato. Et Comes Rogerius Sanſeverinus in Erycis caſtrum, Bartholomæus, & Sergius Siginolphi, aliique nobiles captivi in alias Regni arces includendi dimittuntur. His conſtitutis rebus, acceptiſque a Panormitanis omnibus firmæ in ipſum fidei, obſervantiæque argumentis, Rex ad perſequendum contra Robertum bellum, connitendumque, ut quemadmodum in Mazaræ regione, ita in reliqua Inſula cum hoſte debelletur, Ennam revertitur; inſignis enim, quam adeptus erat, victoria, & Tarentinorum Princeps, aliique proceres, quos habebat captivos, unde ſuis non parum animi acceſſerat, adverſariis defecerat, ſpem belli perpetrandi haud levem ei injecerant, adeo ut ocium ſibi poſthac ſperans,

quum

(a) *In Chronico apud Martenem habetur* Cephari, *quodam oppidi hujus fato, ut ejus nomen paſſim apud Scriptores, ac etiam in Romanis itinerariis corruptum, varie legatur.*

quum Enna ad æſtatis calores declinandos opportuna videretur, in illa arcem, in qua per hoc anni tempus diverſaretur, excitari juſſerit. At Robertus non ſeſe deſeruit, nec animo concidit. Ut Catinam pervenit, cum aliquot ſuis electis adminiſtris conſilium de ratione recepti a fratre detrimenti reſarciendi habuit. Communis ſententia fuit a Carolo Patre nova ſubſidia expoſcenda; quæ & ad factam jacturam reparandam, & ad Siculos tandem, quibus ob latam victoriam nimium quantum ſpiritus creverint, perdomandos ſufficerent. Ea quo celerius, & ex uſu, obtineantur, Rogerius Lauria ſeſe ad Carolum profecturum offert. Monitis itaque Roberto, cæteriſque, qui in conſilio aſſidebant, ne quid interea aut prædæ ſpe, aut gloriæ tracti illecebra, adverſus Siculos aggrederentur, ne in callidæ gentis inſidias inciderent, Liburnam (a), delecto inſtructam remigio, aſcendit; ac aliis navibus comitatus, clam etiam ſuis, per fretum contento curſu Neapolim feſtinat.

Jam aderat annus trecenteſimus ſupra milleſimum, ex eo inſignis quidem, quod Bonifacius Octavus primum ſacri ſecularis anni religionem, celebritatemque, aut inſtituit, aut inſtauravit. Fertur ad CC. millia hominum tunc Romam ad illa ſacra colenda loca, pleniſſimamque pœnarum omnium veniam obtinendam, confluxiſſe; inter quos venit Carolus Martellus Pannoniæ Rex, Caroli Regis Neapolis natu major filius; qui inde, aut ad Patrem reviſendum, ſalutandumque, aut ad Regnum præoccupandum, quod Patre jam ſene timebat, ne ſe procul abſente, ab aliquo ex fratribus ſibi præriperetur, Neapolim ſeſe deduxit. At quæ ſunt fallaces, inaneſque mortalium cogitationes! Ipſe Neapoli, ubi in vitam venerat, mortem offendit, nec ſine ſuſpicione veneni Roberti fratris conſilio parati. Ut ut autem hæc ſe res habuit, ſi Robertus Neapolitanum Regnum non affectabat, Siciliam certe videbatur ſibi appetere. Tantum erat ſtudium, taliſque

que

(a) *Specialis levem, velocemque navem, qua uſus fuit Lauria,* Tarentinam *appellat, fortaſſe ſic vocatam, quod ejus generis navigium a Tarentinis vel inventum, vel in uſu habitum; ſicut Romani naves levitate, celeritateque præſtantes* Liburnas *nuncuparunt a Liburnis Illyrici populis, qui hujuſmodi navigiis utebantur.*

que ardor, quo ad eam nanciſcendam ferebatur. Non recens ſuorum clades, non Lauriæ monitum, bello, dum ipſe abeſſet, ſuperſedendi, illum ab iis, quæ ad eam rem conducere putaret, retinere potuit. Erat in Federici intimis Montanerius Soſa Catalaunus, ab ipſo Galliani Caſtro, quod antiqua Galaria ponitur, ac in munitioribus ſitu numerabatur Siciliæ locis, præfectus. Ibi incluſus erat Carolus Morolettus, nobili Gallus genere, ex eorum numero, qui in prælio ad Falconariam capti fuerant. Cum hoc Montanerius, quum clementius, quam cum captivo, ac adeo amice egiſſet, ut animum illius, fidemque ſibi conciliarit, occulta ſerit colloquia; ſe religione captum, quod Pontifici maximo non obtemperet, ſeque diris non expediat, ſimulat; ſtatutum propterea cum animo deliberatumque habere, quandoquidem unus ſit pœnitenti portus mutatio conſilii, ſeſe ad Andegavenſium partes convertere; ſi parem ſit a Roberto gratiam, æquamque conditionem relaturus, & caſtrum, & ſe, ſuoſque omnes illi traditurum profitetur. Morolettus Montanerii collaudatum conſilium per literas Roberto ſignificat. Hic ſuos, num oſtentata haud ignobile caſtrum ſine diſcrimine adipiſcendi occaſio arripienda ſit, conſultat. Aliis non adjungendam Catalauno fidem propter illius gentis in Gallos infenſum animum; aliis Catalaunos non odio, aut amore, ſed pretio duci, faſque in quæſtu ponere contendentibus, hi rem aggrediendam, illi contra prætermittendam concludebant. Sabinorum Purpuratus Pontifex Lauriæ monitum, ne quid eo abſente rei gereretur, commemorat, inculcatque. Huic opponitur, bellica incepta non eſſe ſacrorum hominum conſiliis dirigenda; Lauriæque monitum eo pertinere, ut tota belli gloria in ipſum rediret. Quum utrinque diſceptatum fuiſſet, in eam omnes convenere ſententiam, Moroletto, quod ſui non eſſet juris, non eſſe fidem præſtandam; niſi ipſemet Montanerius Catinam veniret; ac quicquid Moroletto ſpoponderat, præſens Roberto cofirmaret. Hoc habitum reſponſum Morolettus cum Montanerio communicat. Et hic poſtquam de eo, quod machinatus erat, Alagonam, tunc Menis conſidentem, certiorem fecit, cauſatus Præfecto ab ſuo caſtro haud licere, flagrante præſertim bello, abſcedere, quemdam fratris ſui filium, ſatis probe de commento inſtructum, nulla alia interpoſita mora, ad Robertum mittit; qui ei benigne excepto fidem plane tribuit; omnia, quæ poſcit, libenter recipit; decernitque ad Gallianum occupandam equitum turmas primo quoque

tem-

tempore expediri. Oritur inter duces contentio, unoquoque hanc expeditionem ſibi expetente. Robertus, ut omnem æmulationem, quæ negotio fraudi eſſe poterat, recidat, pronunciat, ſe cum ipſis omnibus, & univerſa equitum acie ad illam proditurum; quo, ſi aliquid ineſſet inſidiarum, obſiſti aperto Marte hoſtibus poſſet. Hoc Roberti conſilium omnibus arridet. Cuncti ad ejus ſequenda ſigna ſeſe accingunt. Condicitur profectionis dies. Ut hæc adfuit, Gualterius Comes Brehennæ, Comes Vallis Montis, Gotifredus Milius, Joannes Jamvilla, Thomas Prochyta, qui antequam a Rege deſciviſſet, Gallianum in ſua ditione habuerat, reliquique proceres ante lucem in Urſinum caſtrum conveniunt. Robertum adhuc dormientem quum cubicularius excitatum accederet, Jolanta, quæ conſcia rei non erat, ut eſt amor ſolicitus, cauſam hujus intempeſtivi conventus percunctatur. Ubi rem cognoſcit, maritum amplexata, eum orat, obteſtaturque, ut ſi ipſam amet, ab incepto deſiſtat. Lauriæ monitum repetit. Addit abeſſe a perſona Principis pro re haud magni momenti periculis ſe objicere, expeditioniſque ad arcem non armis expugnandam, ſed ex proditione accipiendam, ſe ducem præbere. Robertus uxoris rationibus, vel potius amore permotus, remanet; Brehennæ vero Comite expeditioni præpoſito, in eam proficiſci jubet. Interea Blaſcus Alagona, cui omnia hoſtium conſilia ab Montanerio per exploratores denunciabantur, una cum Guilelmo Calcerando, & idonea equitum, peditumque manu Menis movens, media nocte tacitus in Galliani finibus eminentem locum inſederat; qui ad hoſtem proſpiciendum, adoriendumque aptior apparuerat. Et jam hoſtilis acies Catinâ cum Montanerii fratris filio profecta, majorem viæ partem per juga montium, anfractuſque confecerat; quum Prochyta, inſidias ſuſpicatus, imperatorem præmonet, ut tantiſper iter ſupprimat, quoad loca, qua procedendum erat, ſibi venatus ſtudio cognita, ipſe exploratum pergeret. Monitum ſpernitur. Auctor de ignavia arguitur. Ulterius vel de nocte proceditur. Et jam ad inſidiarum locum prope perventum erat; quum Montanerii fratris filius, veniam, ut Gallorum adventum prænunciatum ad caſtrum præcurrat, petit, id in rem eſſe prætexens, ne ex ſubito in illud incurſu aliquis oriretur tumultus; unde patruo vitæ periculum, rei tanto ſtudio, tantoque ſtructæ conſilio, adverſus crearetur eventus. Is vero non ad caſtrum, ſed ad Alagonam pergit, ut huic hoſtes adventare ſignificet. Et jam ipſi in

con-

Digitized by Google

conſpectu erant, ita ut ex edito, ubi noſtri conſederant, loco, lunæ beneficio, militaria ſigna perſpicerentur. Hinc, quamquam nondum orto ſole, Alagona pugnæ ſignum tubâ dari juſſit, ſive ut terrorem hoſtibus incuteret, ſive ut non ex inſidiis ipſos circumventurus, quod ex ſua gloria non eſſet, ſed cum eis juſtum commiſſurus prælium videretur. Ut primum tubæ clangore ab Andegavenſibus haud in pacata regione ſe verſari intellectum, mox per tubicinem (a) quemdam acceptum fuit, eis Alagonam cum exercitu imminere, plures ex Siculis, qui eorum ſigna ſequebantur, iter confeſtim averterunt. Ipſi vero concilium, quid illo in diſcrimine opus facto eſſet, habuere; in quo Prochyta ſua conſilia ab eis, poſtquam haud temere eſſe, quod ipſe timeret, ſuo experti erant malo, aliquo habenda loco ratus, prior ſuam ſententiam proferre non dubitat. Prædicat itaque prælium cum hoſte inire, & numero & loco ſuperiore, ad hoc peditibus, qui contravenientes per declivia ea loca telis, & lapidibus obruerent, firmato, idem eſſe, ac rem peſſundare; concludit unam ſalutis rationem ſupereſſe, per noctis, quæ reliquæ erant, tenebras ex illo ſe loco recipere; ipſum per devia ſibi nota itinera agmen in tutum deducturum; quod ſi hoſtis ipſos inſequeretur, quoniam nonniſi equitatu aſſequi poſſet, haud iniquam cum illo pugnam conſerturos. Hic Gotifredus Milius, in medium procedens, profitetur, ſe, etſi cæteri recedere inſtituerent, cum ſuis perſtiturum, ſatis ad infamiam ſui nominis eſſe, quod olim ad Catacium, deceptus quamvis, fugam capeſſierit, idem nunc dedecus ſubire nolle. Milio reliqui aſſentiuntur. Sententiam Prochytæ reprobant. Eum, ut nullius animi hominem etiam atque etiam traducunt ſic, ut ipſe hoc unum adjiciens, ſævitiam eſſe morti, quum fruſtra eſſet, ſe objicere, ſalute dicta, diſceſſerit. Brehennæ itaque Comes, ut adeo alacres ad ineundam pugnam duces vidit, ad eam milites adhortatur dictitans, quandoquidem ſua cuique ſtet dies, hoc virtutis opus eſſe, fortiter ge-

(a) *Specialis hunc* mimum *vocat*, *adjungens*, quem vulgo militem ſilveſtrem dicunt. Mimus, *ut habetur ex Cangio*, *in lingua hujus temporis accipiebatur pro tubicine. Ratio porro, cur hic tubicen ſilveſtris miles appellaretur, nos latet; nec Cangio patuit. Forſitan ſic nuncupabatur, quod ſilvas ad venationem cuſtodiret.*

geſtis ſui famam nominis in ævum proferre. Et quoniam jam elucebat, ad hoſtem proficiſcitur. Alagona, ut eum appropinquare ſentit, peditibus in ſuperioribus diſpoſitis locis, ſuam equeſtrem aciem, in duas diviſam turmas, quarum unam in fronte Calcerandus, alteram in medio ipſe dirigeret, ita inſtruit, ut eſſet orienti ſoli obverſa, Hiſpaniſque equitibus ſepta. Habita naturæ loci ratione, optimum ducit, hoſtibus obviam non procedere, ſed expectare, ut hi ſigna in ipſum inferrent. Hoſtes contra, quibus etiam eminentem, idoneumque ad ſe defendendos locum occupandi facultas fuerat, Gallico ardore, qui nondum Italiæ cœlo deferbuerat, eo ſitu relicto, in noſtros præcipites irruunt, invehunturque: nec miſſilibus, lapidibuſque, queis a noſtro peditatu & equi, & equites inceſſebantur, eorum impetus retardatur; pugnam igitur tam acriter ineunt, uti primum eorum incurſum Calcerandus minime ſuſtinere potuerit. At hujus profligato vexillo, turmaque fuſa, ſimul ac noſtræ copiæ in unum ſub Alagonæ ſignis coeunt, tam ſtrenue, feliciterque confligunt, ut hoſtium acies non devicta, ſed cæſa, ac prope deleta fuerit, ingenti non ſolum militum, ſed etiam ducum facta ſtrage. Superfuit cum perpaucis nobilibus, qui ſummam imperii tenebat, Brehennæ Comes. Is quum, re ſua inclinata, ne in ignobilem incideret manum, ſaxum aſcendiſſet, diſtricto gladio naviter pugnavit, quoad accurrenti Alagonæ ſeſe, tradito gladio, in deditionem dederit. Ejus vero ſignifer, qui, quamvis ſaucius, ſuum ducem, ut huic vexillum redderet, per inimicas acies nequicquam perquiſierat, ubi ipſum in manu hoſtium conſpicit, vexillo in ejus caput abjecto, in hoſtes educto enſe irrumpens mortem oppetiit (*a*). Morolettus quoque, ubi tantam inopi-

pi-

(*a*) *Aliquid hujuſmodi de Cæſaris Aquilifero in ejus de bello Civili Commentariis legitur in hæc verba*: In eo prælio, quum gravi vulnere eſſet affectus Aquilifer, & viribus deficeret, conſpicatus equites noſtros, hanc ego, *inquit*, & vivens per multos annos magna diligentia defendi, & nunc moriens eadem fide Cæſari reſtituo. Nolite, obſecro, committere, quod ante in exercitu Cæſaris non accidit, ut rei militaris dedecus admittatur; incolumemque ad eum referte. *Ex quo colligitur, ſpecialem ſemper habitam in bello curam, ne militaria ſigna, ut erat apud Romanos aquila, in manus hoſtium devenirent, ſed ut ſtrenue defenderentur, illæſaque duci redderentur.*

pinatam ſuorum cladem è caſtro ſpectavit, tanto fuit dolore, pudoreque, quod ipſe, innocens licet, ejus auctor, actorque extiterit, percitus, ut caput ad parietem allidendo, ſeſeque cibo abſtinendo, mortem ſibi conſciverit. Et Montanerii odium, quo in Andegavenſes ferebatur, in id exceſſit, ut non contentus malo, quod vivis ſuo dolo, fraudeque conflarat, mortuorum quoque coxerit cadavera; reliquiaſque neceſſariis, conſanguineiſque pretio redimendas expoſuerit. Alagona hac victoria, quæ tanto adverſariis ſanguine, ſibique quinquaginta tantum gregariorum militum jactura ſtetit, parta (*b*), Menas ſecum Brehennæ Comitem captivum ducens regreditur. Comes in Menarum caſtrum cuſtodiæ traditur; reliqui nobiles captivi in alias Regni arces.

Binæ ſuper aliam alia, & eæ inſignes quidem victoriæ ad Falconariam, & ad Gallianum, a Federicianis reportatæ, caſtra illuſtribus captis Andegavenſibus referta, alter ex Regis Caroli filiis & ipſe in poteſtate habitus, ſicut eorum qui a Federico erant, ſpiritus excitarunt, extuleruntque, ita adverſæ partis ſpem Siciliæ ab Andegavenſibus ſubigendæ ſin minus eripuere, certe debilitarunt. Nihilo tamen minus Bonifacius Pontifex maximus, ut erat, quam qui maxime, excelſi, invictique animi, in propoſito illos in Siciliæ poſſeſſionem reſtituendi perſeverabat. Nihil, quod ad hanc rem facere poſſet, quantum in ipſo erat, non molitur. Ab venia, beneficioque ſecularis anni, qui cum Federico faciebant, excludit. Auriæ, & Spinulæ majorum gentium Genuenſibus Patriciis, quod ei ſtuderent, ſacris interdicit. Quia ſibi perſuaſum erat, Siculos ſi Genuenſium auxilio deſtituerentur, faciliore negotio in poteſtatem redactum iri, Philippi Pulchri Galliarum Regis operam implorat, uti ſua auctoritate Genuenſes ab ope Siculis ferenda retrahat. In Aragoniam legatos mittit, qui Jacobum ad redintegrandum fratri bellum inſtigent. Agitabat itidem animo, equites, quorum inſtitutum erat eos, qui

Tem-

(*a*) *Hæc victoria, ut in Chronico apud Martenem legitur, fuit reportata* Carneprivii tempore, *id eſt tempore, quod inter Dominicam Quinquageſimæ, & Quadrageſimæ intercedit. Nam illius ætatis lingua hoc ſane tempus* Carneprivii *vocabulo denotabatur, ut videre licet apud Cangium.*

Templum, aliaque ſacra Jeroſolymitana loca adirent, hoſpitio excipere, atque tutari, in Siciliam ad Siculos expugnandos mittere. Nec deſiſtebat ad idem auxilia, & hominum, & equorum ex Italiæ civitatibus, quæ Guelfæ partis erant, undique corrogare. Et jam a Florentinis quadrigentos obtinuerat milites; iique ſub Raynerii Bondelmontii imperio Reipublicæ illius legati *(a)* Neapoli jam aderant, quum eo Lauria advenit. Hic, quum Carolo perſuaſiſſet, adeo adverſum a Gallis animum Siculos gerere, ut eos, nonniſi vi, in officium redigendi nulla ſpes alia oſtenderetur, nihil Purpuratos in Siciliam a Pontifice maximo legatos, ejuſdem adhortationes, minas, ſacrorum interdictiones, diras, præterquam arma, ad eos pervincendos valere; longe majores, quam ad illam diem ſuffectæ fuerint, vires ad hoc requiri; Carolus milites, quos ex Florentinis acceperat, Lauriæ in Siciliam trajiciendos in præſentia dat, ſubſidii reliquum deinceps ſubmiſſurus. Hos milites, qui Neapoli diſcedentes, Carolo Regi Blaſcum Alagonam aut letho dare, aut captivum deducere, jactanter promittunt, Lauria, propere comparato navigio, in Siciliam deducit, inque amicam Demini regionis oram expoſitos, fido, qui eos Catinam perducat, duci committit; ipſe vero ægro quidem, offenſoque animo, quod Robertus, contemptis indigenarum conſiliis, omnia ad Gallorum, qui non judicio, ſed impetu ducebantur, arbitrium dirigeret; quodque tanta clades, infamiaque ad Gallianum ob ſuum monitum nihil penſi habitum accepta fuiſſet, eadem navi Neapolim ſe protinus refert; ut inde & majores copias ſolicitet, quibus ſuæ partis vires ad Gallianum acciſæ reficiantur; & ſimul commeatus aliquid convehat, cujus difficultate ſuos premi cognorat. Militum porro ſupplementum eo magis impetrari opus erat, quia Etruſcorum, quod advenerat, auxilium ad nihilum recidit. Hi enim glorioſi milites, qui, ut Catinam attigerunt, inveſtigare, ubi Alagona ageret, quo illum adorirentur, non ceſſabant; ut vero ab popularibus virtutem hominis, geſtaque accepere, ab hujuſmodi inve-

ve-

(a) *Specialis Bondelmontium* Vicedominum *vocat*. Vicedominus, *ut habetur ex Cangio, idem eſt, ac Vicarius, ſeu* Locumtenens. *Nos latine legatum expreſſimus. Fazellus, neſcimus qua ratione* Vicedominum *interpretatus eſt*.

veſtigatione deſtiterunt; ac, ut qui nimium ſe jactant, ſibique præfidunt, verbis animoſi, factis inertes plerumque ſunt, nedum quod inaniter polliciti erant, ſed nec quicquam utilitatis aliud præſtiterunt. Qua de cauſa, quum in Siculorum æque, ac Gallorum contemptum, ludibriumque veniſſent, è ſignis dilapſi, huc illuc fuſi diſperſique evanuerunt. Per hoc idem tempus, & aliud Andegavenſi parti indecore, incommodeque accidit. Peregrinus ab Pactis paucis navibus duas ſuper decem Apulorum naves aggreſſus eas in fugam vertit; ac ad Catinæ uſque mœnia inſequutus in conſpectu Roberti Ducis tantam machinis in eaſdem lapidum vim injecit, ut non parum illas afflixerit.

Ob tot detrimenta, quæ adverſarii acceperant, Federicus aut nihil, aut parum ab eis domi timendum ratus, illis negotium incontinenti faceſſere, quod quidem Carolus ſibi præmetuerat, opportunum duxit, cum ut ipſorum arma ab Inſula averteret, tum ut tentaret Siculum Regnum in priſtinum reſtituere, provincias, quæ ad ipſum trans fretum pertinebant, recuperando. Præterea, quia cognoverat, Rogerium Lauriam in Inſulam propediem cum navibus, milite, commeatuque gravibus rediturum, operæ pretium ſe facturum exiſtimavit, ei cum tam valida claſſe occurrere, ut non modo exſcenſione prohiberi, verum etiam & naves, & ipſe apprehendi poſſent. Tam enim tenues in Inſula ſupererant hoſtibus vires, tantumque in Lauria prudentiæ, fortunæque militaris inerat, ut, ſi eis ſubſidia, Lauriaque adimerentur, utique tam diutino, exitioſoque bello finis tandem aliquando imponi poſſe videretur. Claſſem itaque ſeptem, & viginti longarum navium Meſſanam contrahi jubet, cui quinque Genuenſium ex ea factione, quæ Siculis favebat, naves in omnem fortunam ſeſe addixerunt. Summum hujus claſſis imperium Conrado Auriæ mandat, qui, ut ante diximus, Siculæ rei maritimæ Præfectus erat, quique Lauriam, ut primum ſibi occurreret, aggredi, ac profligare Regi receperat. In eam conſcendunt Joannes Claromontius, Palmerius Abbas, Henricus ab Inciſa, Benincaſa Euſtacius, Peregrinus ab Pactis, Rogerius Matina, aliique complures nobiles, expertique belli navalis Siculi duces. Auria, idoneam nactus tempeſtatem, ſolvit; quumque comperiſſet, Lauriam ſe cum ſuis navibus Neapolis portu continere, eo curſum intendit. Uſus ſecundo mari, nam æſtas erat, quod navigationi amicum ut plu-

Digitized by

plurimum anni tempus eſt, ad Neapolitanas oras, nemine obſiſtente, brevi procedit; ac eas depopulatus, explicata contra portum claſſe, Lauriam, quamquam quadraginta bene inſtructas longas naves ſecum habentem, ad pugnam laceſſit. Hic nihilominus, & quia perſpectum habebat, cum Siculis caute, atque conſulte agendum eſſe, & quia Apulas naves, quas Peregrinus ab Pactis fugarat, opperiebatur, ne in vitium, quod in Gallis reprehenderat, cuique ſuperiores ſuorum calamitates acceptas referebat, ipſe incurreret, certamen abnuit. Conradus vero Lauriæ cunctationem formidini aſcribens, claſſem ſuam ad Inſulas Neapoli objacentes hoſtium naves veluti obſeſſurus, ut illum ignominiâ pungat, promovet. Interim non modo Apulorum navibus, quas præſtolabatur, noctis, ac tempeſtatis beneficio, dum Stabiis noſtri ad prædandum intenti erant, ad Lauriam perveniendi facultas fuit, ſed ad ejus claſſem ex inopinato ſeptem Grimaldorum, qui & ipſi ampliſſimi Genuenſes partis Conrado Auriæ adverſæ erant, quique Carolo Regi merebant, naves ſeſe quoque aggregarunt. His ſua claſſe ad numerum undeſexaginta navium adaucta, Lauria impoſito in eam milite, commeatuque, quos in Siculi belli ſubſidium a Carolo exorarat, e portu illam educit animo Siculam claſſem appetendi tanto exploratiore victoriæ ſpe fretus, quanto & navium, & militum, claſſiariorumque numero ſua præpollebat. Quod conſilium, ut hoſti tegat, eique oſtendat, ſe ob virium diffidentiam congreſſum effugere, ac id ſolum ſtudere ſuas naves cum milite, & commeatu incolumes in Siciliam deducere, ad Pontiam inſulam fugientis in ſpeciem curſum avertit. Auria igitur hacce inductus ſpecie cum ſua claſſe, ſuis ad certamen excitatis, inſtructiſque, eum inſequitur. Lauria dedita opera tam lente procedit, ut ſe aſſequi facile ſit. Et quidem ad Pontiam inſulam claſſes in conſpectu fuere, adeo ut alterutra quidnam virium, quodnam propoſitum altera haberet, detegere poſſet. Ut ergo Siculi cognovere, Lauriam, contraquam opinati erant, eſſe ad pugnam paratum, ejuſque naves numero fere dimidio ſuis præſtare, quid faciant, hærent. Concilio in prætoriam coacto, variiſque ſermonibus habitis, Palmerius Abbas, cui ætas, & clara facinora non parum auctoritatis conciliabant, non eſſe tam imparibus viribus cum hoſte in certamen deſcendendum, claſſemque, in qua totæ maritimæ Regis, Regnique fortunæ poſitæ erant,

in tam anceps, iniquumque diſcrimen projiciendam, prodendamque, quin Lauriæ eludendas inſidias, puppes avertendas, Siciliamque confeſtim repetendam cenſet. Silent omnes; nemo, ne pufilli animi videatur, propalam Palmerii approbat ſententiam. Imo Benincaſa de Euſtacio, cui prompta, ac temeraria lingua, ſed non pares ad pugnam manus, animuſque vigebant: *Se non ut delphinorum in morem,* infit, *in mari ante hoſtium oculos colluderent, ſed ut cum eis ad omnem parati eventum confligerent, non ut oſtenderent, ſed ut gererent bellum a Rege miſſos; in eo pugnandum ſalo, in quo iidem hoſtes ſemel, atque iterum a Siculis devicti, nunc ſi quis ſit degeneri metu perterritus, antequam prælium conſeratur, diſcedat, ne, eo commiſſo, ſeſe in fugam conjiciens, aliis ignaviæ exemplum præbeat.* Ad hæc Palmerius, quod homines parvæ, ut ipſe erat, ſtaturæ, iræ impotentes fere ſunt, indignabundus. *Me ne timidum notas, me ne fugiturum ex prælio, Benincaſa, pronuncias? Exitus probabit, quis ex nobis in conflictu conſiſtet, quis diſcedet. Pugnam, inquam, pugnam, o cives, conſueta virtute ineamus.* Hæc ut dicta dedit, e prætoria in ſuam navem proſilit; armaque depoſcit. Ad arma pariter in cæteris conclamatur navibus. Cuncta claſſis ad pugnam paratur, explicaturque. Ejus initium ab appetenda hoſtium prætoria, in qua Caroli ſigna emicabant, cuique Lauria præerat, Auria ſumit, ſpe, ſi hanc ſuperaret, vexillumque Regium deprimeret, victoriæ conſequendæ ductus. Sed ab Lauria hoc callide evitato incurſu, ingenti nautarum clamore, tubarumque ſonitu pugna miſcetur. Vix ea conſerta, Genuenſium naves, quæ auxiliares Siculis venerant, ſeſe ab illa procul promoventes ſubduxere; proinde Siculis ſeptem, & viginti navibus cum novem, & quinquaginta hoſtium concertandum fuit. Nihilo tamen ſecius Benincaſa in primo congreſſu ex hoſtilibus navem, cujus adoriendæ facultas ſibi fuit, devicit, inque ſuam reduxit poteſtatem; & in reliquis navibus anceps exardebat, pertinaxque contentio, cum magna utrinque hominum cæde, aliis ferro peremptis, aliis in undas repulſis, ſubmerſiſque. At ubi hoſtium navibus, quod, quia numero longe ſuperiores erant, facile advenit, noſtras circumvenire datum fuit, Benincaſa quidquid manubiarum, hominumque ex capta nave potuit, rapto, primus e certamine ſe ſubtraxit; eumque concitato remigio ſex aliæ naves ſequuntur. Quæ remanſere, impigre quamquam dimicaſſent, ab hoſtibus tamen undique preſſæ, in eorum poteſtatem

ad

ad unam omnes redactæ fuerunt, paucioribus, ut fere uſu venit, a pluribus victis. Joannes Claromontius, Palmerius Abbas, Peregrinus ab Pactis, Henricus ab Inciſa, Rogerius Matina, aliique complures principes viri, poſt non pauca accepta vulnera, capti ſunt. Una prætoria, in qua Auria imperium exercebat, vexillumque Regium ſublatum erat, invicta non ſine adverſariorum pernicie reſtitit. Nequicquam Lauria plurium navium roſtris eam hinc inde allidere conatus eſt. Eæ enim naves jaculorum a jaculatoribus Genuenſibus emiſſorum vi propulſabantur. Neque Auria prius manus dedit, ſignumque Regis tradidit, quam hoſtes ejus navem alia ratione ſubigere poſſe diffiſi, incendiariam navem ad illam admovere inſtituerunt. Capta prætoria, Lauria, qui non putabat ſe vincere, niſi crudelitatis in victos aliquid exprometet, ſuorum ſtragem, quam inſignes Genuenſes jaculatores pro ea defendenda ediderant, tam atrociter ultus eſt, ut eos manibus, oculiſque orbarit, vitam ipſis morte miſerabiliorem relinquens. His peractis, Neapolim ſe retulit, ut Carolo victoriam venditaret ſuam; captivoſque proceres, qui erat major victoriæ fructus, eidem exhiberet. Hos in ſuam veniſſe poteſtatem perquam lætum Carolo accidit; propterea quod ſperabat eos aut retinendo ad ſuam partem poſſe perlicere, & cum ipſis una eorumdem oppida ſua facere, aut remittendo recuperare, quos ex ſuis, & præſertim Philippum filium captivos Federicus habebat. Sed utraque ſpes falſa fuit; nam nec de captivis permutandis actum; & nobiles in Potienſi prælio captos, quamvis ſeorſum alterum ab altero aſſervari juſſiſſet, & diverſis temporibus acceritos hinc blanditiis, hinc magnificis pollicitationibus, tum terroribus, ut ad ſe deſciſcerent, nequicquam ſolicitavit. Quare eos partim, quos inter Conradum Auriam, Palmerium Abbatem, & Henricum ab Inciſa in Siciliam, dulci patriæ aſpectu eorum conſtantiam forte inflexuro reducendos Lauriæ tradidit, partim per caſtra in vinculis cuſtodiendos amandavit. Lauria itaque in Siciliam cum aliquibus captivorum triumphantis in modum Catinam appulſus revertitur. Ut deſcendit, ei Robertus cum ſuis optimatibus ad litus obviam procedit; ſummo cum honore excipit; & in urbem eum gaudio introducit. Ejus triumpho defuit Palmerius Abbas. Is enim, quod ſuis vulneribus haud idonea medicina facta fuiſſet, in mari animam in Catinæ conſpectu efflavit. Hujus cadaver Robertus, qui virtutem etiam in hoſte ſuſpiciebat, honorifice efferri, & in maximo Catinenſi templo ſepeliri

liri

Digitized by Google

liri juſſit. At, ne ſui Principis quidem, quod cæteroquin magnam vim habet, clementiæ exemplum, Lauriam, quominus aliud immite facinus ederet, retrahere potuit. Quod Francavillam caſtrum, ejus quondam juris, ipſi Auria, qui illo potiebatur, injuſſu Federici tradere recuſabat, eum cibo, potuque interdixit. Quo factum eſt, ut Federicus Auriæ vitam caſtro anteferens, huic ut illud Lauriæ dimitteret, concedere e ſua benignitate eſſe duxerit.

Federici claſſis ad Pontiam everſa, ejus inſigniores duces, iidemque plurium oppidorum domini captivi facti, Lauriæ in Siciliam cum novis copiis regreſſus, Robertum plures ad ſuam adjungendi partem in ſpem erexerunt. Et ſane Aſſori caſtrum, etſi contra Ennam, ubi Rex reſidebat, poſitum, duo ex plebe Jacobus Mataracius, & Joannes Riccius, qui duos milites gladio interemerant, ut ſupplicium effugerent, facta conjuratione, hoſtibus ſilentio noctis per poſticum inductis, prodiderunt. Cæterum hi pœnam, quam ex judicio ſubituri evaſiſſe per proditionem credebant, ipſi ſibi ex alia, quam moliebantur, proditione accerſierunt; namque eâ ab oppidanis detectâ, concitato tumultu, medio foro conciſi fuerunt. Guilelmus quoque Rachaljoannis Dynaſtes a Rege defecit; caſtroque hoſtibus tradito, ſeſe ad Ducem Robertum, præmium proditionis accepturus, contulit. Rex vero, ne ſi caſtrum hoc, in media ſitum Inſula, in hoſtium poteſtate remaneret, defectionis contagio in circumjacentia oppida vulgaretur, agmine facto, illud extemplo petiit, obſidioneque cinxit. Et quoniam obſeſſis Robertus ſubſidium ferre nequivit, quia & per loca, quæ noſtri tenebant, & per vias, quas hiems pluvia ineptas fecerat, proficiſcendum erat, Federicus caſtrum hoc, inter paucorum dierum ſpatium, operibus undique oppugnatum, in deditionem redegit. Nec feliciore imo proditionis auctoribus funeſtiore exitu tentatum fuit hoſtibus Tavis, Deliæque caſtra prodere. In Tavim unus ex ejus cuſtodibus pecunia corruptus hoſtibus aditum pollicetur: at quum hoſtes ingredi pararent, reliquis ad ſtrepitum expergefactis, ac ingreſſum prohibentibus, proditor ab eiſdem hoſtibus, qui per noctis tenebras eum non internoverant, nondum perfidiæ percepto pretio, perimitur. Deliæ duo nequam familiares caſtri Præfecti, quibus ipſe maxime fidebat, Jobus, & Robertus ab Maturana, ut ejus uxoris, filiæque conſtuprandarum, quæ ipſos ceperat, libidinem expleant, illum jugulant, mulieresque violant; & tanti ſceleris impunitatem alio ſcelere

ſibi

ſibi comparare poſſe rati, ad Andegavenſium partes declinant; eiſque caſtrum produnt. Antequam vero ad hoc firmandum idoneum a Roberto præſidium adventaſſet, quidam ex iis, qui in caſtro erant, facinus execratus, Berengarium ab Intenciis, ex Federicianis ducibus, qui non longe ſtativa habebat, clam accitum, in caſtrum noctu per poſticum cum militum manu immittit. Caſtro ſic recepto, defectionis auctores comprehenduntur; ac ad equorum caudas devincti ad furcas tracti, etſi extremo, quocumque tamen tantis, talibuſque flagitiis inferiore ſupplicio, infamem vitam ſuſpendio finierunt.

Jam vero quamvis præter hos paucos, eoſdemque perditos homines, qui a Federici parte & quidem irrita re, & ſummo ipſorum malo deſcivere, in ea etiam poſt inſignem calamitatem ad Pontiam acceptam, Siculos univerſos firmos, conſtanteſque perſtare, Robertus, ſuique comperiſſent, nihilo tamen ſegnius in eis ad defectionem modis omnibus ſolicitandis inſiſtunt. Et quidem Lauria, ac una Purpuratus Sabinorum Pontifex, Catinæ Roberto relicto, cum claſſe Inſulæ maritimam oram legendam ſuſcipiunt, ut locorum ei adjacentium fidem tentent; confiſi, quum poſt navale ad Pontiam prælium, quicquid virium in mari Federico erat, ei defeciſſet, neminem ipſis hacce in navigatione occurſurum. Catina itaque ſolventes curſum dextrorſus petunt; & jam Pantagiæ oſtia, & Auguſtam prætervecti erant, quum Lauriæ in mentem venit, ſibi excidiſſe ſecum Henricum ab Inciſa, qui in prælio ad Pontiam captus Catinæ tenebatur, ducere, ut per hunc Saccam civitatem, cujus Henricus civis erat, & in ea gratia plurimum, & auctoritate valebat, ad ſuas alliceret partes. Celocem igitur Catinam remittit, ut illum ad ſe propere deducat. Celox Catinam contento curſu repetit: & nulla interpoſita mora, Henrico, ac non exiguo pecuniarum numero receptis ab Roberto ad Lauriam advehendis, ad claſſem celeriter renavigat. At incaſſum; nam priuſquam illam aſſequuta ſit, in noſtrorum navem incurrens, commiſſo cum hac certamine, victa capitur. Quo Henricus libertatem ſimul, ac pecuniam ex inopinato adeptus, ſe ſuis liberum, pecunioſumque reddit. Tam infelici hujus Lauriæ expeditionis initio exitus reſpondit. Ad Himerenſes thermas uſque provectus nihil profecit: & quum illuc in terram cum militum cohorte egreſſus, ad ſuburbium inexplorato, cuncta ſuo quodam more deſpiciens, divertiſſet, Comites Manfredus Claromontius, & Hu-

go

go ab Empuriis, qui ſuperiore nocte eodem cum equitum turma ingreſſi erant, clam inſtructis equis in eum, ejuſque milites impetu ex improviſo facto, ex his, queis ad naves perfugiendi poteſtas data non fuit, ad unum omnes aut cædunt, aut capiunt: ipſeque Lauria eumdem ſubiiſſet caſum, ni fortuito hoſtilem impreſſionem tempeſtive præſentiens, ſe in diverſorii angulum abdidiſſet; ac dum ad ſuos inſequendos noſtri intenti erant, hos declinans, ſeſe in naves recepiſſet. Ii, qui è claſſe fugam, clademque ſuorum ſpectarant, de ducis capite anxii, ſolicitique, tanto, quod ipſe incolumis rediiſſet, perfuſi ſunt gaudio, ut nihil de amiſſis ſociis laborarint, nihilque doluerint. Hoc perfunctus Lauria periculo, perniciosum Thermitanum litus continuo relinquens, cœptum curſum perſequitur; & fretum, belle flante borea, tranſgreſſus ad Taurominitanam oram exſcendit. Taurominitani, ut illum ad aggrediendam urbem accedere conſpexerunt, eam etſi loci natura expugnatu difficilem, quia imparati, ac ſubita re perculſi, deſerentes, in caſtrum, quod urbi imminet, cum majore ſuarum rerum parte profugerunt; ita ut Lauria eam defenſoribus nudatam nullo negotio occuparit; & direptis, quæ incolæ exportare non poterant, non opima ſane ſpolia, Catinam reportaverit, de uno, & eo quidem non modo milite, ſed incola vacuo ſine dimicatione occupato loco victoriam oſtentans.

Lauria, ut Catinam rediit, quum didiciſſet loca aliqua, quæ ab ſua parte tenebantur, annonæ anguſtia urgeri, ne ob hanc cauſam aliquis in eis motus fieret, quandoquidem Catinæ horrea exhauſta erant, in Apuliam cum claſſe, ac onerariis navibus ad cibaria comparanda trajecit. Celeriter inde reverſus, frumenti, aliarumque frugum, ac vini quantum opus erat retulit. Aſt, quam ei proclive erat cibaria, propterea quod ſecundum navalem ad Pontiam pugnam in mari Andegavenſes dominabantur, maritimis locis ſuppeditare, tam difficile accidit, eadem, quia per hoſticum importanda erant, in terreſtria oppida immittere. Invecta tamen & in hæc demum fuerunt.

Quamquam conſilium de Inſulæ ora obeunda, quo maritima occuparent loca, hoſtibus contra ſententiam evenerat, nihilo tamen minus illud retentare ex ea quoque cauſa, ut commeatu ſuarum partium obviis caſtris ſubveniant, non dubitant. Robertus itaque cum majore navium numero, quæ in meridiem, Lauria cum reliquis, quæ in ſeptentriones Inſulæ plagam vergit, eodem obituri

con-

conſilio, Catinâ ſolvunt, actuarias annonâ onuſtas convehentes. Primum Robertus Syracuſas attentat; ſed a Syracuſanis loci natura ſubnixis, atque in validioribus ſuperandis oppugnationibus expertis, parvo negotio repellitur. Appetit inde Siclim; & ab eo, licet præ Syracuſis tantum non immunito oppido, irrito pariter diſcedit incepto. Alia ex parte Lauria freti fauces prætergreſſus cibaria caſtris, præter illam oram pro Carolo ſtantibus, ſubminiſtrat. Ipſe ad Tymethi oſtium, Robertus ad Camerinæ litus lætis navigabant ventis, quum repente, quæ eſt rerum maritimarum inconſtantia, eas enim duæ incertiſſimæ res ventus, & æſtus moderantur, fœda utrobique commovetur tempeſtas. Longe vero atrociorem eam ſubiit Robertus; adeo ut duabus & viginti partim fluctibus obrutis, partim ad terram alliſis, fractiſque navibus, prætoria, & reliquæ utique interiiſſent, ni converſo in tempore curſu ad Pachynum afflictæ, ac rimis undique fatiſcentes ægre quamvis ſeſe recepiſſent. Ii ex naufragis, queis caſu, vel natatione, ut terram apprehenderent, evenit, quos inter Guilelmus Gudurius Salernitanus Roberti Scriba, per invia, erroreſque, incerti, quo pergerent, forte tandem Raguſam, quæ in Caroli ditione erat, male affecti, inopeſque pervenerunt. Robertus, ut tempeſtas poſuit, cum diminuta, labefactaque claſſe Catinam triſtis rediit. Lauria vero, quinque tantum amiſſis navibus, cum cæteris navigationem perſequutus eſt. Acceſſit ad Panormitana litora; ſibique a Rege, qui per eos dies ab Enna Panormum tranſierat, poteſtate facta, ac data, acceptaque fide, cum Blaſco Alagona in colloquium venit; in quo de pace inter duas jam defeſſas bello partes concilianda mentio mota, agitataque fuit. Sed nihil tranſactum; quia conditiones non convenere. Ab colloquio ad claſſem Lauria digreſſus, per occaſum pergens, ad oram, ſecundum quam Roberti naves naufragium fecerant, pervenit: quam ut naufragii reliquiis opertam conſpexit, eas legere inſtituit. Et quoniam noverat in navi, quam Gudurius conſcenderat, haud procul a litore ſubmerſa, nummorum non parum, ad illum pertinentium, incluſum, eam omni ſtudio remulco funibuſque abducendam curavit; pecuniaque in eadem inventa ſibi adjudicata, quicquid reliqui ex naufragis navibus, vel uſus, vel pretii, cogi potuit, quaſi hoſtium ſpolia, victoriæque inſignia, fere ovans ſecundo mari Catinam reportavit; ubi Roberti demiſſum erexit animum; eumque ad ea, quæ acciderant, fortiter ferenda cohortatus eſt.

Dum Siculi propter tot irritos hoſtium conatus, continuaque ab his accepta detrimenta, pace, otioque tandem ſe fruituros ſperabant, haud procul abſuit, quin eo, pro quo tam acerbum, diuturnumque toleraverant bellum, orbarentur. Rege Panormi moram trahente, Coda Petri Furnuntini uxor, Regis collactanea, quum nocte quadam virum ſuum immoderate agitatum æſtuantemque in cubili animadvertiſſet, ut eſt muliebre ingenium maxime in maritorum rebus exquirendis curioſum, ex ipſo inſolitæ perturbationis cauſam ſciſcitatur; ac ad illam eliciendam fœmineas blanditias, quo mollius, eo validius tormentum, adhibet. Petrus, quem alioquin rei pœnituerat, aperit ſe, & Gualterium Bellantium, ac Guidonem Filangerium, a Petro Caltagirono, quem hoſtes corruperant, ſeductos, de interficiendo Rege conjuraſſe. Coda, quæ Regem perinde, ac fratrem adamabat, ubi hæc accepit, annuente viro, ad Regiam, intempeſta quamvis nocte, properans percurrit; ac ſibi notis cubiculariis denuncians, ſe ad Regem permagni rem momenti allaturam, aditum exorat. Regi ſe anxiam, & ſolicitam ſiſtens, aliquid, quod ejus maxime interſit, indicare præ ſe fert; dummodo ne viro ſuo futurum noxæ indicium eſſet; & ab Rege, hac fide accepta, rem ordine pandit. Qua intellecta, Rex e veſtigio reos corripi jubet; ex eis vero uno Caltagirono, qui conſpirationis princeps fuerat, capitis damnato, Furnuntinum ſuæ fidei, nulla ab eo exacta pœna, Bellantium, Filangeriumque ſuæ clementiæ condonavit, exilio, quod non ſupplicium, ſed profugium eſt, portuſque ſupplicii, tantum affectos.

Interim aliud, quod plus, quam adverſariorum proditiones, paterno Regis noſtri in ſuos animo moleſtiæ exhiberet, exoritur malum, annonæ nimirum caritas; quæ diutinum maxime, inteſtinumque bellum, incultis, devaſtatiſque agris, impeditoque commercio, plerumque excipit. Hæc quum tota Inſulà, ſed præſertim Meſſanæ, quæ & ipſa agrum ad alia omnia, præterquam ad frumentum, idoneum habet, & a frumentariis locis abeſt, ingraveſceret, Meſſanenſium nonnulli, vel fame preſſi, vel novandarum rerum abrepti libidine ad Robertum perfugiunt, eumque ad illam obſidendam inſtigant, ut commeatu prohibita, urgente fame, neceſſariam ſubeat deditionem. Robertus, cui ad hoc ſtimuli non erant addendi, paratis navibus, & in eas milite impoſito, Catina cum Lauria Meſſanenſe petens litus ad locum, Roccam majorem dictum, prope ab urbe deſcenſionem facit,

ten-

Digitized by Google

tenditque. Meſſanæ obſidio tanta afficit Federicum ſolicitudine, quantum nobilis urbs illa ad Siciliam, partemque Brutiorum, quæ ab ipſo ſtabat, retinendas momenti habebat. Itaque navos viros ad frumentum undique conquirendum, ac Meſſanam importandum confeſtim dimittit; urbique qui præſidio ſit, Blaſcum Alagonam cum quingentis militibus præponit. Qua re cognita, Roberto, Lauriæque non terra, ſed mari, unde de annona affatim provideri poſſet, Meſſanam ex oppoſito Brutii litore obſervare, ſimulque illinc Federicum deturbare magis ex uſu viſum eſt. Reputabant enim frumentum, quod terra Meſſanam convehi poſſet, quum vix ipſis, qui in eam deducebantur, militibus ſufficeret, in civibus famem irritaturum potius, quam levaturum. Caſtra igitur ex Meſſanenſi agro amovent; ac naves conſcendentes Rhegium trajiciunt; eamque obſidere parant. At, quum Hugo ab Empuriis, qui Brutiorum parti, quæ a Federico tenebatur, cum imperio præſidebat, infeſtis ſignis adverſus eos moviſſet; abfuiſſetque parum, quin in inſidias, quas Hugo ipſis inſtructas habebat, ſeſe induiſſent, inde abſcedere conſilium capiunt, & in Columnæ Rheginæ litus, quod Meſſanam ſpectat, ſe conferunt; ibique claſſem, caſtraque locant, utpote in ſitu, ex quo, ſi quæ ex utroque mari navigia ad Meſſanenſem portum adventarent, ſpeculari, atque in ea incurrere facile poſſint. Hoſtibus fretum tranſgreſſis, Alagona Meſſanam, quidquid cibariorum corrogare potuit, nemine impediente, introducit; eamque aliquantum reficit. Verum his brevi abſumptis, caritas, quod hoſtes præviderant, gravior ſentiri cœpit. Jam quod pretioſius quis habebat, ſi commutare vilioribus eſcis poterat, ſecum præclare actum putabat; jamque ad felium (a), aliaſque carnes, a quibus veſcendis homines abhorrent, comedendas ventum erat. Hæc pro ſingulari, quo ſubjectos Federicus amore proſequebatur, perquam ægre ferebat; nullamque Meſſanenſibus ſubveniendi rationem non excogitabat, experiebaturque. Jam, ut in Mazaræ regione duodecim naves commeatu in illorum ſubſidium onerarentur, effecerat. Tantum quem eis ducem præficeret, adhuc non decreverat, quum Rogerius

(a) *Specialis, ut alii hujus ætatis Scriptores, eos* Murilegos *vocat, quaſi qui mures legant.*

rius ab Flores, vel ab Brundiſio, ex equitibus, ut appellabantur, Templariis, qui, quoniam ipſorum familia prope erat, ut diſſolveretur, huc illuc vagabantur, vir rei maritimæ cum primis expertus, & Conradi Auriæ claſſis Siculæ Præfecti vice fungens, ſe Meſſanam has naves tuto transducturum profitetur. Rex annuit. Rogerius naves ſolvit. Syracuſas divertit, ut ibi mare, ventumque ſibi Meſſanam petituro ſecundum, hoſtibus ex Columna Rhegina in ipſum incurſuris adverſum exploraret, expectaretque. Ut hæc ex ſententia nactus eſt, curſum tanta felicitate Meſſanam intendit, ut celerius, quam optare potuiſſet, eo appulerit, hoſtibus quidem proſpectantibus, ſed occurrere, æſtu obſiſtente, nequicquam enixis. Lætitiam, ab Meſſanenſibus hocce ex ſubſidio perceptam, corrupit mors, quam Blaſcus Alagona ex alvi profluvio, quod ex animi angoribus, corporiſque agitatione contraxerat, ibi per eos dies obiit. Et ſane non poterant non dolere, alieniſſimo ipſorum tempore, tanti, ac talis viri jacturam, qui ſua præſentia, virtuteque ipſos ſuſtineret. Nec ſolum apud Meſſanenſes, ſed apud cunctam Siculam gentem Alagona pro ſuis egregiis erga ipſam meritis magnum deſiderium ſui reliquit. Nemini tamen tam acerba, luctuoſaque hæc mors quam Regi fuit. Tantum eam doluit, quantum ſi Meſſana in hoſtium incidiſſet manus, æque non doluiſſet. Dolorem, quem ex illa, ut ſibi nunciata fuit, animo accepit, triſti vultu, mutata veſte, vel lacrumis declaravit. Defunctum in procerum corona collaudavit; ejus fidem, militarem, civilemque prudentiam, res bello, paceque præclare geſtas prædicavit. Id unum fuit Federico in tanto luctu ſolatio, quod ex Alagonæ diſciplina Joannes Vintimillius Hieracis Comes, & Manfredus, ac Joannes Claromontii, qui non minus fidelem, ſtrenuamque domi, militiæque operam navare poſſent, ſupereſſent. Majori vero poſt Alagonæ obitum Meſſana ſollicitudini Regi fuit. Ad illam itaque Nicolaum Palicium, ut ibi eamdem, qua Alagona fungebatur, poteſtatem exerceret, extemplo miſit. Et quum, ut in annonæ difficultate fere fit, frumentum licet omne, quod uberrimus Ætnenſis fert ager, vel in publicis Agrigentinis horreis conditur (a), Meſſanenſibus ſuppeditaretur, ad eo-

rum

(a) *Hoc loquendi modo utitur Specialis; & nos eumdem uſurpare operæ pretium duximus.*

rum explendam famem ſatis non eſſet, Federici cura in eo potiſſimum verſabatur, ut Meſſanæ cibaria continenter ſubmitterentur. Congerit itaque ex Mazarienſi regione fruges quantas in ea, quæ totam Inſulam tum tenebat, caritate, facultas fuit; illaſque Meſſanam terra comportandas non modo curat, verum etiam, ut tuto illuc perveniant, ipſemet eas, quouſque ad amica loca perducantur, cum lecta militum manu, deviis itineribus, & non ſine magno incommodo deducere non gravatur. Quum nocte ad caſtrum Tripis laſſus jam, jejunuſque deveniſſet, qui de ejus victu curam gerebat, nihil quod in epulis apponeret, niſi duos panes hordeaceos penes incolas, & lagunculam vini penes calones forte repertas, habuit; quibus refectus, ſuppoſito capiti clypeo, ad exiguam requievit horam. Et quia, quod ad Meſſanam viæ ſupererat, tam dubium non erat, relicta nihilominus militum parte, quæ ad urbem uſque commeatui præſidio eſſet, cum reliquis eo, unde profectus erat, regreſſus eſt, aliis belli negotiis conſulturus. Cæterum non multo poſt annonæ inopia eo Meſſanæ rediit, ut ejulatibus panem oſtiatim fruſtra clamantium urbs tota diu, noctuque perſonaret; nulla præteriret dies, quin non unus, aut alter fame periret; infantes in ſinu matrum, quod lac ex ſiccis uberibus inaniter ſugerent, expirarent, vel una cum matribus exanimati conciderent; civitas univerſa adeo in luctu, & ſquallore eſſet, ut vel mulieres omne cultus, elegantiæque, quo tantum tenentur, ſtudium depoſuerint.

Federicus, ut hæc accepit, miſericordia tam fidelis populi magis, magiſque commotus, omni alia, vel ſui ipſius poſthabita cura, Meſſanam, ſecum quantum cibariorum undique carptim contrahere potuit, ſupportans, advolat. Præſens, cognito neque quid ipſe commeatus modo attulerat, neque quidquid ſubinde ſubveheretur, tantum eſſe poſſe, ut ad tantam ſuſtentandam plebem ſufficeret, aliquem ejuſdem numerum ad feraciora deducere loca conſilium capit. Facta itaque omnibus ab urbe excedendi facultate, magnum virorum, fœminarum, puerorum, puellarumque fame expulſorum; agmen portis erumpit, tanta aviditate ea contingendi loca, ubi famem depellere, ſeque reficere poſſent, ut arctiorum obliti neceſſitudinum maritus

duximus, ut Catinæ planiciem, quam nos vocamus, priſci vero Ætnenſem agrum, vel Leontinum campum appellarunt, ſemper ut rei frumentariæ caput in Sicilia habitam; Agrigentinaque publica horrea cæteris ampliora, & in queis major reponeretur tritici vis, jam a longo tempore fuiſſe cognoſceretur.

tus conjugem, pater filium non expectaret; omneſque mœrentes quamvis, patriam, quæ ſi aliis cara, Meſſanenſibus cariſſima eſt, relinquere minime cunctarentur. Rex itidem, civitate Nicolai Palicii fidei, virtutique commendata, Meſſanenſibuſque ampla vectigalium, munerumque facta gratia (a), Meſſanâ egreditur, civium, qui in ea manebant, ærumnis illacrymans, iis, qui diſcedere præoptarant, comitem, præſidemque itineris ſemetipſum tam benigne, pieque præſtans, ut quum per ardua montium, anfractuſque incedendum deterrimis itineribus eſſet, infantes de manu feſſarum de via matrum modo hunc, modo illum attollens, nunc in equi, cui ipſe inſidebat, clunibus, nunc etiam in ſuo gremio exciperet; & quoties ad menſam accumberet, parvulis, nullo prohibente, circumvenientibus ſua manu panem frangeret, impertiretque. Nec prius Federicus profugos Meſſanenſes deſeruit, quam in pacata, frugibuſque abundantia loca perduxerit. Hæc forſitan aliquibus, qui Principis majeſtatem in ſupercilio, & faſtu perperam ponunt, vel incredibilia, vel Rege indigna videbuntur; ſed non iis, qui eam in clementia, facilitateque, & erga ſubjectos populos caritate conſiſtere rectius judicant. Quam maxime enim decet, qui cæteris hominibus dignitate præſtant, præſtare quoque humanitate. Dum Federicus, Meſſanâ digreſſus, inter Caſtrumleonem, & Francamvillam Randatium verſus iter haberet, Petrus quidam Enegius, qui, quum pecuniam ex ærario ad Blaſcum Alagonam aſſerret, ab hoſtibus per inſidias interceptus in Caſtrileonis arce cuſtodiebatur, nuncio ad Regem in rogandæ ſtipis ſpeciem miſſo, arcem illam eſſe defenſoribus vacuam ei ſignificavit. Rex nemini de hoc facto verbo, nec ab itinere divertens, primis ſe intendentibus tenebris Randatium contigit; dataque poſt horam omnibus cubitum diſcedendi licentia, & ipſe cubiculum, ac ſi dormiturus eſſet, ingreſſus, poſt nullum, vel puſillum captum ſomnum, de media nocte ſurgens, juſſit, ut milites taciti arma ſumerent, atque ipſum, quocumque pergeret, perſequi feſtinarent. Milites, abreptis confeſtim armis, Regem ignari, quo ducerentur, per noctis reliquum ſequuti, prima luce ſe ad Caſtrumleonem ductos intellexerunt. Nulla mora. Oppidum illud invadere jubentur. Res nullo negotio perficitur; quod incolæ ad primum tumultum oppido inferioreque arce deſertis, ad ſuperiorem confugerant.

(a) *Vide Monum. num. XXII.*

Digitized by Google

rant. Nec aliquid in hanc quoque occupandam operæ inſumptum. Oppidani etenim veriti, ne vi caperentur, Præfectum, præſidiarioſque milites, quos numero, & viribus ſuperabant, ad indecoram deditionem coegerunt.

Rege Meſſanâ digreſſo, adeo conſtans civium in ipſum fides manſit, ſtrenua adeo Nicolai Palicii in civitate eidem conſervanda opera, virtuſque extitit, ut Robertus Meſſanenſes fame ſubigendi eos obſeſſos mari, ne inde cibaria reciperent, tenendo, ſpe abjecta, ab hoc incepto deſiſtere animum induxerit, maxime quod & ipſe commeatus inopia laborare occœperat. Sed quo hujuſmodi receptui ſpecioſam prætenderet cauſam, ſimulque ſibi tempus ad inſtaurandas copias, quæ non parum attenuatæ erant, quæreret, de pace mentionem intulit; uxoremque Jolantam adhibuit, ut inducias ad eam conciliandam a fratre impetraret. Colloquium ad id Jolanta a Federico per Legatos petit. Is, tametſi in hoc Robertum non ex animo, ſed ſimulate agere intelligit, tamen, quod aliquam ſibi, ſuiſque a belli laboribus, curiſque vacationem dari, Meſſanam ab annonæ anguſtiis eripi, bellumque trahi, rationibus ſuis conducere exiſtimat, ſeſe facilem ſorori præbet. Colloquii dies condicitur. Conſtituitur habendum Syracuſis, quo Rex profectus erat. Jolanta itaque cum viro ſuo Roberto Catinâ Syracuſas mari ſe confert. Sola e navi ad Maniacis arcem, ubi frater diverſabatur, deſcendit. Eum, quem præ cæteris fratribus, ſororibuſque ab infantia dilexerat, quemque jampridem non viderat, ſumma voluptate reviſit, amplectiturque; ac benevole ad inducias adhortatur. Ut ad eas Federicum proclivem comperit, poſt longum, dulciſſimumque ſermonem viciſſim habitum, navem repetit. Poſtero die Rex ab arce, Jolanta, & maritus e navi egreſſi in deſtinatum conventui locum ſe conferunt. Inter ſe amiciſſime conſalutant; ac re triduum exagitata, tandem in ſex menſium inducias conveniunt. His pactis, colloquioque comiter dimiſſo, Robertus cum Jolanta Catinam reverſus, claſſis, copiæque, ut e Meſſanæ conſpectu recedant, jubet; ac advocata concione, cui Purpuratus Sabinorum Pontifex aderat, denunciat, ſe ad Patrem reviſendum Neapolim profecturum, indeque brevi tantis cum copiis rediturum, ut omnes contumaces Siculi ſatis ad prædam eis futuri non eſſent. Guilelmum Palloctam, qui vicaria poteſtate, ipſo abſente, res ſuas in Sicilia procuraret, ex Lauriæ ſententia deſignat. Relinquit Catinæ, Catinenſibuſque commendat Jolan-

lantam conjugem, Ludovicumque filium, quem, ut diximus, ibi ex ea ſuſceperat, ut illis, qui pro ipſo faciebant, non animo inceptum deſerendi, ſed majore cum robore redeundi Inſulà excedere oſtentet. Et quum jam claſſis parata eſſet, ipſe, cum Lauria prætoriam conſcendens, per fretum Neapolim contendit; proſperiſque uſus ventis, illuc celeri pervenit curſu, ſummo gaudio, ſummaque pompa à Patre, populoque, quaſi victor, exceptus. Patrem de Siculi belli ſtatu, de locis, quæ ſuæ ditioni ſubjecerat, de reliquorum pertinacia, de annonæ, qua ſui laborabant, caritate, plane edocet. Concludit, quandoquidem omnia labor improbus vincit, ſe de Siculis demum triumphaturum, modo ab eis impugnandis, affligendiſque, idoneis in id collatis viribus, non deſiſteretur. Nec Federicus Syracuſis conſedit; ſed inde non multo poſt diſceſſit, Regnum peragraturus, hoc ſibi datum a bello vacuum ſpatium in arces validioribus præſidiis, idoneoque commeatu muniendas, reſque civiles, quæ vigente bello facile dilabuntur, corrigendas, inſumere optimum factu ducens. Is ubique, veluti triumphum agens, maxima gratulatione, lætitiaque excipitur, quod poſt tam acre bellum, tamque validos hoſtium conatus præter non multa, & ea quidem non armis devicta loca, avitum Regnum ſibi ſartum tectum conſervaſſet. Nam ex tot urbibus, oppidis, pagiſque, quibus Inſula continetur, ab hoſtibus non tenebantur, niſi Catina, Paternio, Adranum, Engium, Acis, Aydonum, Ficarra, Naſus, Licodia, Bidis, Neætus, Raguſa, Rechaljoannes, Claromontium, Palatiolum, Francavilla, Tripis, Petrapertia, Siclis, Taurominium, Sanfratellus, Ferula, Agathyrnum, Mylæ, Monsfortis, Pactæ, Buxema, Maſcalis, Sanctus Petrus ab Pactis, Prizis, & parva Liparis inſula. Quæ quidem, exceptis Catina, in primis nobili ſane urbe, pauciſque aliis, oppida haud magni nominis, pagive erant. Panormus gentis caput, Meſſana, Syracuſæ, Drepanum primariæ urbes, cum cætera Inſula, ac non unum, aut alterum trans fretum oppidum, itemque circumjacentes inſulæ pro Federico ſtabant. Verum enim vero haud diutinum a bello ocium ei fuit. Elapſo induciarum tempore, nec vis hiemis ipſum retardavit, quominus illud redintegraret, Aydomum adortus; quod oppidum adeo obſidione, machiniſque preſſit, ut oppidanos ad deditionem præproperam compulerit. Recepit etiam opera Manfredi Claromontii Raguſam; ubi Riccardo de Paſſaneto, bene de ſe merito, præſertim quod a Guilelmo

Digitized by Google

mo Palloſta ſororis viro ad defectionem ſolicitatus in fide permanſiſſet, Garſiliati agrum vectigalem dedit, Comitiſque honore decoravit. Et profecto reliqua oppida, quæ ab hoſtibus occupabantur, in ſuam redegiſſet poteſtatem, ni novus contra ipſum hoſtis excitatus fuiſſet, novaque mota arma.

Novus hic hoſtis fuit Carolus Valeſius, Andegavenſium Comes, frater Philippi Galliarum Regis, Regiſque Caroli conſanguineus, ac ipſius Federici propinquus. Is primum in matrimonio habuit Clementiam, ejuſdem Caroli filiam. Et hac vita functa, ſecundam uxorem Catharinam Philippi Curtiniacenſis filiam, & Balduini ultimi ex Latinis Orientis Imperatoribus neptem duxit, eamdem, quam, uti docuimus, Bonifacius Pontifex maximus Federico, modo Siciliam Andegavenſibus remitteret, conjugem ſpondebat. Ex his nuptiis Valeſius jus ad Orientis Imperium ſibi vindicans, ut erat dominandi quam qui maxime cupidus, ejus potiundi deſiderio flagrabat. Pontifex maximus, cui juvenis Principis ingenium probe compertum erat, eo opportune in rem ſuam, & maxime ad Andegavenſes in Siciliæ Regnum reducendos, quo nihil antiquius habebat, uti non prætermiſit. Ei itaque non ſolum, ut in poſſeſſionem Orientis Imperii veniret, auctoritatem, operamque ſuam pollicitus eſt, verum etiam eidem ſpem Imperium quoque Occidentis, Alberto Auſtriæ Duce remoto, adjudicandi oſtentavit, modo ut cum exercitu in Italiam auxilio ad ſubigendos Siculos proficiſceretur, cauſam interſerens propter brevem, commodumque ex Sicilia in Orientis provincias trajectum, haud parvo ad illas occupandas momento futurum, ſi in Caroli poteſtatem Sicilia concederet, a quo ſubſidia, commeatuſque ei facile, abundeque ſubminiſtrari poſſent. Hac ſpe, hiſque promiſſis Valeſius illectus anno MCCCI una cum uxore, ſecum complures proceres, & in his Ducis Brabantiæ fratrem, ac quingentos equites adducens, in Italiam tranſit. Pontificem maximum, qui tum Anagniæ habebat, adit. Bonifacius, Purpuratorumque collegium eum honorificentiſſime excipiunt. Anagniam Rex Carolus cum ſuis liberis eumdem ſalutatum, honeſtatumque convenit; ac cum Pontifice maximo, & Valeſio Siculi perſequendi belli rationem init. Re deliberata, Valeſius cum Bonifacio Romam pergit. Carolus cum filiis Neapolim redit. Valeſius cum uxore Romæ Orientis Imperii diadema accipit; ſupremus Pontificiarum copia-

Digitized by Google

rum Imperator, Pontificis in Tuſcia Vicarius, Flaminiæ Comes, & Piceni Dominus renuntiatur. Ad belli tolerandas impenſas ei Bonifacius Galliarum, Italiæ, Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ, & Britanniæ decumas attribuit. Attamen, quod Romæ Senator, æque atque Carolus Primus ejus magnus patruus, creatus, ut ſibi pollicebatur, non fuit, ſe minus honorifice a Pontifice maximo habitum reputantem, ſuæ in Italiam profectionis pœnituiſſe profeſſus eſt. Nihilo tamen ſecius haud abnuit, quin dum ea, quæ contra Siciliam expeditio poſtulabat, apparabantur, Florentiam, quo Bonifacius ipſum ad illos cives, qui partium ſtudio clariſſimam patriam dilacerabant, in concordiam reducendos mittere operæ pretium habuit, ſe conferret; ubi quum nihil profeciſſet, imo rem illam publicam multo perturbatiorem, quam invenerat, reliquiſſet, Neapolim in Siciliam trajecturus procedit: unde ſuis cum Caroli Regis copiis conjunctis, cum claſſe, ut Joannes Villanius tradit, præter parva navigia, plus centum longarum, vectoriarum, onerariarum, aliarumque magnarum navium anno MCCCII Siciliam petit. Cum Valeſio conſcendunt Robertus, & Raymundus Berlingerius, Regis Caroli filii, frater Ducis Brabantiæ, Rogerius Lauria, & complures principes, nobileſque viri, ac florentiſſimus Gallorum, Provincialium, Neapolitanorum, aliarumque gentium exercitus; in quo, ut apud eumdem Villanium proditum eſt, mille, & quingenti equites recenſebantur. De commeatu appoſite proviſum ex Apulia; juſſumque, ut inde duæ, & viginti cibariis onuſtæ naves, claſſem ſequerentur. Ex Lauriæ, cujus potiſſimum conſilio res adminiſtrabatur, ſententia claſſis ad oram Mazaræ regionis dirigitur; utpote quæ non tam, quam cæteræ, bello aſſueta, & ab belli cladibus adhuc integra, aptior Lauriæ viſa fuit, quæ novo hoc belli apparatu perterreretur. Neque hæc opinio Rogerium falſum habuit. Himerenſes enim, ut tantam claſſem ad ſua litora applicare viderunt, tantus cepit metus, ut Simoni Alderiſio in proclivi fuerit, ipſos ad ſeſe hoſtibus ultro dedendos inducere. Valeſiani exſcenſione in Himerenſem oram facta, quamvis oppidum in fidem recepiſſent, apud illud tamen caſtra metati, in agrum populabundi excurrunt, quicquid pecoris ipſis obvium eſt abigentes; ibique, quum eis e veſtigio propinqua Panormus invadenda fuiſſet, plures dies otioſi præter Gallicum morem ſubſiſtunt. Lauria vero cum claſſe Panormum ad alia tentanda mari-

ritima prætervectus loca pergere non cunctatur. Dum Robertus cum Valeſio Himeræ morabatur, eum Catina Jolanta conjux convenit; Himeræque ſe tenet.

Sicut nunquam alias fœdior belli tempeſtas in Federicum incubuerat, ita nec ejus animi præſentia, ac virtus, prudentiaque militaris, queis Conſtantii, aliorumque Neapolitanorum quoque Hiſtoricorum teſtimonio, ipſe omnes ſuæ ætatis Principes ſuperavit, magis alias unquam enituit. Ut accepit hoſtes arma in Mazaræ regionem intuliſſe, confeſtim illo ſe, ſuaſque, quas cogere potuit, copias, convertit; ac Valeſii cunctatione abuſus, loca, quæ illic majoris erant momenti, idoneis præmuniit præſidiis; & viris exploratæ fidei, virtutiſque concredidit; ipſe Politium oppidum natura loci perquam munitum, ac frugiferum, Himeræ propinquum, ſe recepit, continuitque, expectans, ut tempore hoſtium impetus deferveſceret, infringereturque; eorumque minuerentur vires, ſuæ creſcerent. Hanc porro propulſandi belli rationem, qua non in aciem prodiret, ſed arces defenderet, Federicus inſtituit, tum quia Valeſii exercitus robur in equitatu poſitum erat, & equites valent, quum æquo campo res agitur; tum quia hujus milites quanto pugnandi erant cupidi, tanto diſciplina, artibuſque bellicis, ac animi, & corporis patientia, quæ ad arces expugnandas opus ſunt, parum inſtructi. Et ſane Valeſius vix ad Caccabum oppidum, quod quatuor ab Himera millia paſſuum abeſt, exercitu admoto, ubi illud a Joanne Claromontio, eo ab Federico præmiſſo, ſtrenue defendi videt, inde irrita re recedit; atque ad Politium appropinquans Federicum ad pugnam per nuncium provocat. Federico eam detrectante, pedem refert; & una cum Roberto Corilionem tanto impetu petit, ut oppidanis ne portas quidem claudendi ſpatium dederit; parumque abfuerit, quin prius hoſtium manus oppidum intraſſet, quam incolæ hoſtes adeſſe ſenſiſſent. At Hugo ab Empuriis, & Berengarius ab Inteciis, aliique milites ad portam, ad quam hoſtes acceſſerant, in tempore accurrentes, tam fortiter reſtitere, ut non ſolum ipſos propulerint, verum etiam eorumdem non parvam ſtragem fecerint; in quibus frater Ducis Brabantiæ, qui cæteris ferociorem ſe gerebat, lapide, quem mulier e mœnibus intorſit, ictus, inter portarum clauſtra exanimatus concidit. Dimiſſa itaque Corilionem, aliave mediterranea loca oppugnandi cogitatione, Valeſius, & Robertus Saccam, antiquis Selinuntinas

Digitized by Google

thermas, ad cujus litus Lauria, Segeſtani emporii ſine certamine potitus, cum claſſe advenerat, aggredi ſatius arbitrati ſunt, ſibi in animum inducentes terreſtribus cum maritimis conjunctis viribus, rem in litoralibus expugnandis locis ſe melius geſturos. Saccam igitur contendunt; ac caſtris locatis eam obſidione terra, marique cingunt animo ab ea, niſi vel arte, vel vi capta, non diſcedendi. Quo cognito Federicus Politio, aliquot dies in Caſtronovo diverſatus, Calatabellottam, ab Sacca non plus quam decem millia paſſuum diſtans, ſatiſque munitum oppidum, quo hoſtibus propius immineat, proficiſcitur. Dum hæc ab utraque agitantur parte, parti utrique luctuoſus interceſſit caſus, mors nempe, quam Himeræ Jolanta immaturam occubuit ex dolore, creditum, quo belli cauſa, quod maritum inter, & fratrem ita recruduerat, ut ſpes nulla pacis affulgeret, angebatur. Hæc regia mulier magnum ſui reliquit deſiderium, non modo viro, germanoque, verum etiam omnibus, qui eam norant. In egregia enim corporis forma excellentior animi præfulgebat ſpecies. Nec ſolum ſororis, matris quoque per idem hoc tempus Federicus jacturam fecit. E vita Conſtantia deceſſit Barcinone, ſepultaque fuit ad Minorum Fratrum, eorumdem tunica induta. Teſtamento Federico, Infantis tantum nomine nuncupato, aliud non reliquit, niſi Cellas, & Ponſanum, ignobilia in Aragonia loca, & hæc quidem ea ſub lege, ut prius ſe cum Pontifice maximo reconciliaret.

Quamvis matris, ſororiſque interitus non parum Federicum oppreſſerit, nihilo tamen ſegnius bellicis curis intentus erat. Etſi Saccenſes opera Federici ab Inciſa indigenæ, genere, & militia inſignis, qui oppido præerat, ſe naviter defendebant, nihilominus, qui eis ſubſidio eſſent, animumque adjicerent, ex ſuo exercitu ducentos ſubduxit equites, quos in oppidum introducendos Simoni Valguarneræ nobili Catalauno, tradidit; quod ducis virtute, ſagacitateque, quamquam oppidum arcte obſeſſum tenebatur, noctis ſilentio effectum feliciter fuit. Interea in Valeſii caſtra ex nimio cœli calore, canicula enim flagrabat, qui in illa, quæ ad meridiem ſpectat, ora graviſſimus eſt, cujuſque Galli inſolentes erant, peſtilens irrepit morbus; qui in equos primum, deinde in homines vulgatur. Quum lues in dies ingraveſceret, jamque majorem equorum partem, & non parum hominum abſumpſiſſet, Federicus opportunum

hoc

hoc ad debellandum hoſtem tempus arbitratus, quas maximas poteſt copias contrahit paratus hoſtem, ſi ſibi poteſtatem pugnandi non faceret, vel in caſtris adoriri. Hoc, ubi Valeſius animadvertit, reputans in id loci res redactas ſuas eſſe, ut e duobus alterutrum ſubire oporteret, aut obſidione abſiſtere, aut ab hoſtibus in caſtris obſideri, expugnarique, quod utrumvis non ſine ſuo dedecore accideret, ſe inter Federicum, & Robertum, quandoquidem utrumque cognatione attingebat, & ab unoquoque auxilia ad Orientis Imperium recipiendum habere poterat, pacis auctorem, interpretemque gerendi conſilium cepit. Robertum itaque in angulum tabernaculi ſolum ſeducens, oſtendit: *Regnorum vices, Regumque ſucceſſus, ut & cæteros humanos eventus a Deo eſſe præfinitos; proinde ſi Siciliæ Regnum a Deo deſtinatum Federico ſit, hunc eo privare fruſtra contendi; Siculorum pertinaciam, navali prælio quamvis devictorum, eſſe ejuſmodi, ut nec arma, nec fames frangere potuerint; eos obſidiones, machinaſque nullo habere loco; claſſes profligatas, vaſtos agros, incenſas ſegetes, ſuccisas vites, arboreſque, pecus, jumentaque abacta, direptam rem familiarem ſiccis oculis, imperturbatoque animo aſpicere; ipſam vitam nihili facere; tres jam effluxiſſe menſes, ex quo Siciliam ipſi tetigerint, quid tot navibus, tanto milite, tot impenſis profecerint? Quæ præter Himeram loca vel vi capta, vel ſponte dedita? Quid poſthac attritis, attenuatiſque viribus, peſte in equos, & in homines graſſante, milite exanimato ab contumace hoſte, proſperis elato ſucceſſibus, copiis aucto, domi bellum gerente, detrimenti, imo perniciei ipſis non timendum? Jam jam Federicum victoriæ certum acies dirigere, ut ipſos in caſtris appeteret; expugnaretque. Quid tum reliquum? Vel fugiendum turpiter, vel in hoſtium manus incidendum. Commemorat dein damna, quæ multa, ac graviſſima jam inde ab eo tempore, quo a Gallis Siculi defecere, in genus ſuum, & in Gallicam gentem Siciliæ ſubigendæ cauſa profecta erant, hominum ſtragem, illuſtres viros vel captos, vel cæſos, everſas urbes, effuſos theſauros, Philippum Galliarum Regem ſuum patrem in bello pro Sicilia adverſus Aragonienſes ſuſcepto peſtilentia extinctum, Carolum Roberti avum mœrore ob clades, in Sicilia acceptas, vita functum, filios pro eo redimendo obſides datos, Philippum Tarentinorum Principem, Roberti fratrem, Brebennæ Comitem, alioſque proceres in cuſtodiis adhuc conditos. Concludit, quandoquidem nulla alia majoris mali, majoriſque dedecoris declinandi ratio ſupereſſet, Divino cedendum Numini,*

in-

inſerviendumque tempori, de pace cum Federico agendum, conditiones, quæ æquiores obtineri poſſent, amplectendas, tam diutino, infauſtoque bello finem tandem imponendum. Robertus Valeſio, ægre quamvis, patientes præbet aures; & quum nulla refragandi facultas ſibi relinquatur, Valeſio enim a Pontifice maximo, & a Rege Carolo ſummæ rerum arbitrium traditum fuerat, quod recuſare non poterat, probare præ ſe fert. Allegant itaque Theobaldum ab Cippoyo, & Aymerium ab Sus, non minus ſtrenuos milites, quam ſagaces, prudenteſque viros, qui cum Federico de compoſitione agant. Legati Regem ad Caſtrumnovum, quo ſe tranſtulerat, adeunt. Cum his comiter exceptis diſceptatum multum, unum illud tranſactum, ut Rex, & Valeſius in colloquium venirent. Quare Federicus Calatabellottam, qui locus utriuſque congreſſui medius erat, ſe refert, dato Panormitanis mandato, ut equites, peditesque ad ipſum armatos mitterent, ut quo majores ſecum copias haberet, eo meliores pacis conditiones nanciſceretur. Condicta die Rex ab Calatabellotta, Valeſius cum Duce Roberto ab ſuis ad Saccam, caſtris cum ſuo quiſque comitatu, militum centuria, & optimatibus aliquot, procedentes, ſibi in locum, æquo fere ſpatio ab iis oppidis diſtantem, læto vultu occurrunt: ibidem, nullum quamquam tectum, quod ſubirent, præter duo bubulcorum mapalia, circum apparebat, conſiſtunt. Mutuis humanitatis, atque affinitatis officiis habitis, primum Federicus, Valeſius, & Robertus, remotis arbitris, inter ſe conferunt; mox a Roberto Rogerio Lauria, a Federico Vinciguerra Palicio, cæteriſque deinceps utriuſque partis proceribus advocatis, repetitiſque, quæ per legatos ad Caſtrumnovum agitata fuere, in has conditiones pax convenit; Federicus ſcilicet in Sicilia, inſuliſque adjacentibus, pleno, proprioque jure, quoad vita maneret, tuto regnaret: uxorem Heleonoram, Carolo Regi tertio loco natam filiam, duceret: quæ trans fretum oppida occupabat, intra quindecim dies Carolo reſtitueret; ab hoc, quæ in Inſula tenebantur, ipſe intra idem temporis ſpatium reciperet: captivi utrinque remitterentur: Federico, ejuſque filiis Sardinia, ubi a Barbaris recuperaretur, Pontificis maximi auctoritate cederet: Federico, etiam cum liberis vita functo, vel Sardiniæ potito, & eidem, vel ejus hæredibus, Heleonoræ dotis nomine mille trecentis, octoginta novem auri pondo perſolutis, Sicilia ad Carolum rediret; prædia, oppidave vectigalia al-

Digitized by Google

alterutrius partis perduellium, ut eorum poſteri, a proprio Principe deficere quam pernicioſum flagitium ſit, intelligerent, non redderentur, tantum ex una parte Rogerio Lauriæ, cui Acis caſtrum, & ex altera Vinciguerræ Palicio, cui viciſſim Calannam, Mottam, Mori, Meſamque in Brutii ora oppidula retinere indultum, exceptis; quod inter Valeſium, Robertum, & Federicum conventum fuerat, ut Pontifex maximus probatum ratumque haberet, Rex Carolus, & Robertus curarent. Præterea Federicus Valeſio, ubi is in Orientem ad Imperium illud recipiendum transmitteret, ad viginti longas naves, ac ducentos ſtipendiarios equites, ſe ſuis ſumptibus ſubſidio miſſurum, ac per quatuor menſes ſuſtentaturum obſtrinxit, facta inſuper Valeſio facultate & has naves, hoſque equites modo ſibi opus non eſſent, ad alios quatuor menſes, propriis tamen ſtipendiis retinendi, & per ejus legatos decem alias naves in Sicilia ad eamdem expeditionem inſtruendi, adornandique, ac quadringentorum ſtipendiariorum equitum delectum agendi *(a)*.

His conditionibus pace anno MCCCII ad IV Calendas Sextiles firmata, Rex poſtridie eam per literas Panormitanis nunciat. Initium a pacis commendatione ſumit, ejuſque bona prædicat: hanc ita ſe inter, ac Valeſium, & Robertum, compoſitam ſignificat, ut ipſe in Siciliæ poſſeſſione permaneat: eos, ut idcirco Deo Optimo Maximo gratulentur, admonet: jubet, ut hanc concordiam, quod ad ipſos attinet, ſartam tectam habeant: armatoſque, quos ipſis imperarat, ſiquidem uſui amplius non erant, ne mittant *(b)*. Valeſius & Robertus, ſancita pace, ſtatim a tabifico loco caſtra ad proximum litus promovent; ibique per aliquot, ut ſe, ſuoſque aliquantulum mutato cœlo, maritimaque aura recrearent, vireſque reſumerent, morati dies, claſ-

(a) *Tabularum, quibus Federicus ad hæc ſe Valeſio obſtrinxit exemplar, quod in ſua generali Siciliæ hiſtoria Gallice exarata Burigninius, ex Tabulario Carnutenſi a Cangio excerptum teſtatur in Monum. num. XXIII. tranſcribere lectoribus haud ingratum fore exiſtimavimus; quandoquidem nulla hac de re apud noſtros Hiſtoricos mentio habetur.*

(b) *Ex laudati Chronici a Martene editi cap. LXX, hanc Federici ad Panormitanos epiſtolam non abs re in Monum. num. XXIV. deſcribere putavimus, quippe quæ ejus religionem non parum commendat.*

Digitized by Google

claſſem conſcendunt; ac Catinam curſum per Inſulæ plagam, quæ ad meridiem vergit, dirigunt, ut ea in urbe ſe cum Purpurato Pontificis Legato, & ſuis, quos ibi reliquerant, conjungant; Tarentinorumque Principem, & Brehennæ Comitem, alioſque ſuorum a Federico captivos reddendos recipiant; ac viciſſim ipſi Catinam urbem, cæteraque, quæ in Inſula oppida obtinebant, Federico reſignent, citiore cæteris longa nave (*a*), quæ inde Jolantæ cadaver Neapolim exportaret, Himeram præmiſſa. Secundo uſi mari læti Catinam perveniunt, Agrigenti, aliiſque in locis, quo applicuerant, adeo amice, hoſpitaliterque habiti, ut neminem, ſi duces demas, pacis dulcedine, commodiſque deguſtatis, tam laborioſi, ærumnoſique belli non pœnituerit. Federicus vero Calatabellotta diſcedens Tarentinorum Principem e Suteræ arce, in quam ex Cephaledi caſtro translatus fuerat, exemptum, ſecum continuis itineribus Leontinum deduxit. Eo Brehennæ Comes, cæterique nobiles captivi, qui in diverſis Siciliæ caſtris aſſervabantur, ad Regis præſcriptum convenerant. Leontinum itidem, ut illo Federicum adventaſſe cognovit, Robertus ſe contulit; cumque eo tali familiaritate conjungitur, ut non modo in eadem diverſentur Regia villa, ſed & in eodem, ac ſi germani eſſent, lecto cubent.

A Leontinis Rex cum nobilibus, e cuſtodia eductis, Catinam pergit. Urbem medius inter Brutiorum Ducem, & Tarentinorum Principem, triumphantis in modum, omnibus incedens lætitiis ingreditur; & Catinenſes, tametſi ab ipſo jam triennium, quod non ſua, ſed conjuratorum culpa defecerant, in fidem, gratiamque recipit; ac, ut eos ſibi magis devinciat, ab iiſdem civitate donari, atque ſi privatus ſit, non dedignatur; Catinæque ſedem collocat. Catina captivis acceptis, redditiſque locis, quæ ab ipſis in Sicilia occupabantur, ac etiam Lipari inſula, & viciſſim a Federico, quæ oppida in Neapolitano Regno tenebat, dimiſſis, Valeſius, Robertus, & Tarentinorum Princeps cum Purpurato Pontificis Legato, ac Lauria, reliquiſque, qui Andegavenſium partium in Inſula ſupererant, diſcedunt. Robertum, & Tarentinorum Principem, quum Rex a ſe cum bona gra-

gra-

(*a*) *Hanc navem ſcribit Specialis* Angelicam *vocari, forſitan propter ejus celeritatem.*

gratia dimiſit, ut amoris ſtudium, quod in ſponſam ánimo conceperat, palam faceret, verecunde rogavit, ut illam ad ſe quamprimum mitterent. Ii cum aliquibus principibus viris, quod maris nauſeam patiebantur, Regis permiſſu terreſtri itinere, Lauria vero, cæteriſque claſſe Meſſanam petunt, ab Lauria ſacramento pro Acis caſtro prius apud Regem dicto. Federici juſſu Meſſanenſes Valeſio, Roberto, & Tarentinorum Principi obviam togati proceſſerunt; eoſque in urbem magno honore deductos, honorificentiſſime, dum ibi manſerunt, habuere. Valeſius, ut hæc officia grata ſibi fuiſſe oſtenderet, magnifico, ac ſplendido apparato convivio (a), ad illud Meſſanenſes optimates, & præcipue Nicolaum, & Damianum fratres Palicios invitavit. At Nicolaus gnarus novum non eſſe etiam in conviviis ſtrui inſidias, Principeſque a dominandi cupiditate de fide facile deduci, Damianum præmonet, alteruter ab epulo ſe retrahat, ac in arcis præſidio conſiſtat, quo ſi aliquid fraudis erumpat, urbem, nulla neque fratris libertatis, vitæque ratione habita, Regi conſervet. Solus itaque, Damiano in arce ſe continente, Nicolaus convivio intereſt, medius inter Valeſium, & Brutiorum Ducem honoris cauſa accumbere juſſus. Menſa ſublata nugari, ut fit, cœptum. Valeſius, quo ſe convivis comem, hilaremque præberet,

Pa-

(a) *Juvat hic tranſcribere, quæ de hoc convivio apud Nicolaum Specialem habentur, ut illa quoque ætas quam in conviviis celebrandis profuſa fuerit intelligatur.*

Et jam inſtabat hora deſignata convivio, jam nobiles convivæ nullis iterato vocantibus ad atrium Principum convenerunt. Nulla ergo impediente cauſa negotium, nullaque ſegnitie ſtant menſæ candidis amictæ mantilibus, in quibus auro argentoque fulgentia vaſa collucent. Stant famuli decoras induti veſtes ad nutum jubentis architriclini parere longo ordine expectantes. Itaque ſigno dato alii lavandis manibus ex radiantibus vaſis aureis lymphas fundunt, alii quidem aquas in pelves ſuſcipiunt, alii menſas dapibus onerant, alii læta Bacchi munera ſumminiſtrant, ii crateres magnos bacchatos gemmis ſtatuunt, ii pecheria, cuppas, aliaque vaſa regalibus apta in numerum congerunt, quæ poſt relegatam, abjuratamque a parentibus noſtris modeſtiam, cùm luxus & ambitus humanas mentes ſurripere inceperunt, non ſolum Reges, & Principes, ac primates orbis terræ, ſed inferiores quoque populi & ex iis etiam, qui pauperem Chriſtum imitari voverant, ſuis menſis affluenter apponere ſtuduerunt.

Palicium veluti per jocum percontatus, *quid conſilii*, inſit, *egregie miles, dic ſodes, Meſſanenſes capturi fuiſſent, ſi quum obſidebantur, nihil ipſis ad famem depellendam, nullaque ſubſidii ſpes reliqua fuiſſet?* Cui Palicius: *Bona cum tua venia, Princeps, tanto Gallorum nomen apud Siculos, & præſertim apud Meſſanenſes in odio eſt, tantoque juſtum, optimumque Regem noſtrum amore complectimur, ut, ſi nihil aliud ad famem ſedandam nobis ſuppetiiſſet, laniare vel conjugum, liberorumque corpora non horruiſſemus; & ad extremum, prius igne ædibus injecto, in arcem, quæ urbi imminet, vel in Regiam, quæ litori adjacet, confugiſſemus, ibi, modo ne in Gallorum poteſtatem vivi veniſſemus, quodcampue mortis genus libenti animo ſubituri, ut non amplius Sagunti, ſed Meſſanæ caſus in poſterum decantaretur.* Ad hæc Valeſius caput concutiens, & ad Robertum, alioſque nobiles Gallos diſcumbentes ſe convertens: *Audiſtiſne?* inquit, *Siciliæ ſubigendæ ſpes poteſtne aliquem obtentare? Quicquid ad hoc laboris, ſumptuſque, quod quantum fuerit cui non liquet? hactenus collatum, fruſtra fuit; fruſtraque erit quicquid unquam conferetur. Inexpugnabilia hercule ejus ſunt urbes, oppida, caſtra; inexpugnabiliores incolarum animi. Niſi voluntas Siculorum, conſenſuſque accedat, animuſque vincatur, Siciliam vi, quæcumque ea ſit, cuncta licet vincantur, qui ſibi ſubjicere ſperat, falſa quidem ſpe lactatur. Recte itaque ſaluti, exiſtimationique noſtræ proſpeximus, qui quod non habebamus, nec habitum retinere, invitis popularibus, poteramus, per liberalitatis ſpeciem ad tempus conceſſimus.*

Poſtridie ejus diei, quo convivium celebratum fuit, quum ventus belle flaret, eſſetque maris æſtus ſecundus, Robertus poſt quam triennium in Sicilia verſatus erat, cum ſuis fratribus, Valeſius, Purpuratus Pontificis maximi legatus, Andegavenſiſque partis cæteri naves conſcendentes, eorum aliquot in proximiorem Brutii oram expoſiti, terra, reliqui mari recta Neapolim contenderunt. Rex Carolus, ut erat mitis ingenii, ejuſque ætatis, quæ ad otium inclinat, pacem nuptiaſque, cum Federico, Siculiſque conventas, facile ratas habuit. Valeſius, ubi Neapolim advenit, animum, curaſque ſuas omnes ad reparandam claſſem, exercitumque ſupplendum, quibus ſuam in Orientem expeditionem exequeretur, quæque in Sicilia non parum detrimenti acceperant, convertit. Nec Carolus ſubſidia, quæ ipſi ad id receperat, comparare omiſit; eaque Philippi, & Joannis filiorum ductu in Græciam mittere jam conſtituerat. Ve-

rum

rum & in hac evenit quod in magnis, ac in longinquas regiones expeditionibus ſolet, & in iis, quas Galli in Orientem ea tempeſtate ſuſceperant, utique acciderat, ut in ipſo nempe ferme apparatu evaneſcerent. Exorto enim inter Galliarum, & Britanniæ Reges acri bello, expeditionem ſuam dimittere, & ipſe in Galliam redire Valeſius coactus fuit. Abeuntem, multis muneribus donatum, Carolus Rex Capuam uſque deduxit. Italia ceſſit, nulla ſibi quæſita gloria; quin imo illud de eo ſcite proditum fuit, Valeſium Florentiæ, quo conciliandæ pacis gratia venerat, bellum, Siciliæ, quam belli gerendi ergo adierat, pacem reliquiſſe. Ab Italia quoque diſceſſit Rogerius Lauria. Is enim, quamvis ex conditionibus pacis, inter Federicum, & Andegavenſes initæ, Acim oppidum recuperaſſet, nihilo tamen ſecius, ac ſi ſui nulla in hac pace ratio habita fuiſſet, ut erat inconſtantis, & nunquam de ſua ſorte contenti ingenii in Aragoniam ſeceſſit; ibique ambire, quia vivere, deſiit (a). Interea Carolus Rex Petrum Avenionenſium Pontificem ſuum magnum Scribam, & Bartholomæum ab Capua Scribarum magiſtrum, Federicus Comitem Hugonem ab Empuriis, Federicum ab Inciſa Quæſtorem, & Bartholomæum Inſulam Regiæ Curiæ Judicem (b), Legatos ad Pontificem maximum miſere oratum, uti quod inter ipſos compoſitum erat, ratum, probatumque haberet. Bonifacius primo concordiam omnino reprobavit, ac tam contumelioſe de ea cum Valeſio, quum hic in Galliam rediens ipſum ſalutatum adiit, expoſtulavit, ut, ſicuti ab Ferretto proximo memoriæ illorum temporum ſcriptore proditum eſt, parum abfuerit, quin ſacrilegas Valeſius in Bonifacium manus intuliſſet. Dein vero mitigatus, re ad Purpuratorum Collegium rela-

ta,

(a) *Lauria diem ſuum Valentiæ obiit, ibique ſepultus fuit, tumulo hoc inſculpto indice:* Qua jace lo nobile en Roger de Lauria, Amiral delli Regni di Aragona, e di Sicilia per lo Segnor Re d' Aragona; è paſſato da queſta vita ann. Incarnat. Jeſu Chriſti 1304. de le Calende de Febrar. *ut habetur in tom. 2. Siciliæ Nobilis part. 2. lib. 3. pag. 455. Franciſci Emmanuelis Villæ Albæ Dynaſtæ æque genere, ac eruditione illuſtris, deque patria præclare meriti.*

(b) *Alii tradunt, Legatos a Federico ad Pontificem maximum hanc ob cauſam miſſos fuiſſe Guilelmum Calcerandum, Damianum Paliciam, & Cataldum Rubeum. Sed quo ducti teſtimonio neſcimus. Nos Specialem ſequuti ſumus.*

ta, uno Matthæo Rubeo ex Urſina familia intercedente, ſummam quidem pacis approbavit, ſuaque firmavit auctoritate, his tamen adſcriptis conditionibus, ut Federicus Siciliæ Regnum tanquam Romani Pontificis ſtipendiarius poſſideret; proque eo vectigalis nomine quotannis quadraginta unum auri pondo cum beſſe penderet: ut quoties Pontifex auxiliis indigeret, Rex ei ad nutum cum centum armatis equitibus, qui tres ſaltem equos, tres per menſes ære ſuo ſuſtentandos, ſecum ducerent (a), ſubſidio veniret: ſi Pontifex non terreſtria, ſed maritima exigeret auxilia, hæc Rex habita proportione ſubminiſtraret: ut Rex Pontificis amicos in amicorum, hoſtes hoſtium numero haberet; hoſque ad ejus imperium inſectaretur: ut Siciliæ Eccleſiæ, earumque bona eum in ſtatum reſtituerentur, in quo ante exactos Gallos erant: ut Romanis e Sicilia cibaria, ſoluto vectigali, exportare permitteretur: ut Pontifex ſive ad Terræ Sanctæ ſubſidium, ſive ad aliam rem ſuam, e Sicilia ſingulis annis mille frumenti medimnos, nihil portorii nomine rependens, trahere poſſet: ut Federicus non Siciliæ, qui titulus Carolo reſervandus erat, ſed Trinacriæ, ut quondam Sicilia, vel a trianguli, quam exprimit, forma, vel a tribus promontoriis, queis continetur, Græco vocabulo nominabatur, Rex appellaretur; annoſque ſui Regni ab hoc tempore in poſterum numeraret. Sancita a Pontifice maximo pace, Federicus, Siculique diris ab eo per Salernitanorum, Bononienſiumque Pontifices, & Joannem Cameram ad hoc in Siciliam Legatos exſoluti, ſacriſque reſtituti fuere; data ſimul Federico venia, Heleonoram, quacum cognatione conjunctus erat, in matrimonium ducendi. Ex conditionibus, quas inter Valeſium, & Federicum conventis Bonifacius addidit, Siculis probari neutiquam illa poterat, quæ Siciliæ Regnum ſupremo Pontificis Romani dominatui, quem nunquam agnoverant (b), ſubjiciebat. Et ſane Federicus, ſe Siciliæ Regem nun-

(a) *Illa tempeſtate nullus eques fere militabat, quin tres ſaltem equos ſecum haberet, præſtantiorem unum, quo ipſe uteretur, reliquos, quibus ſui armigeri, qui ipſum ſequebantur, quique, quum opus eſſet, & ipſi præliabantur, inſiderent. Conſule diſſertationem Muratorii 26. tom. I.*

(b) *Extat aureus libellus, manu exaratus, cujus nos exemplar habemus, doctiſſimi*

nuncupare, ſui Regni, ut antea, annos recenſere non deſtitit; & quod caput erat, nihil vectigalis nomine unquam Romano Pontifici perſolvit. Neque ut hæc Federicus præſtaret, Bonifacius inſiſtere potuit, quia poſt quinque a pace menſes diem obiit ſupremum. Quin imo, ut Muratorius in ſuis Italiæ annalibus tradit, Bonifacium quoniam, quum ex inſidiis ſibi a Philippo Galliarum Rege paratis, Anagniæ per hoc temporis captivus factus fuerit, ſuppetias ipſi cum navibus Federicus Oſtiam advenit, quod quidem Carolus non præſtitit, ſub vitæ ſuæ finem a Carolo animum avertiſſe, inclinaſſeque ad Federicum, vox fuit. Siculi interim pace fruuntur, eo jucundiore, quod inſperantibus acciderit, & quod tantum gloriæ cariſſimo ipſis Regi apud univerſam Europam pepererit, ut ubique gentium ejus virtus in cœlum efferretur, quod unis fultus Siciliæ viribus contra tot potentiſſimos hoſtes ſe defenderit; tamque diuturnum, graveque bellum ſuſtinuerit *(a)*. Et quamvis conditio, qua Regnum, ipſo vita functo, ad

mi æque, ac nobiliſſimi viri Hieronymi Septimi, Cerratanorum Toparchæ, in quo omnibus firmatur argumentis, Siciliam Inſulam nunquam Pontifici Romano vectigalem fuiſſe.

(a) *Hoc de noſtri Regis virtute excerpſimus ex adverſæ partis Hiſtoricis Neapolitanis, & Gallis. Quorum verba, ne in illius laudes effuſiores, quam hiſtoriæ ſimplicitas fert, videamur, hic tranſcribere haud ſupervacaneum duximus. Ex Angeli Conſtantii hiſt. Regni Neapolis lib. 4. pag. 102. verba:* Queſta pace per tutta Europa ſi giudicò molto vantaggioſa, ed honorata per lo Re Federico, e fino al cielo eſaltarono la virtù ſua, che con deboli forze di un poco Regno ei ſolo eraſi mantenuto, e difeſo da molti avverſarj poderoſi; e quantunque la condizione, ch' egli fuſſe Re in vita, parea honorata per l' altro, nientedimeno, ch' era giudizioſo, mirava, che dopo ſua morte s' avria d' intrare alla eſecuzione della pace piuttoſto con l' armi, che colle carte dei capitoli. Hæc pax Europæ univerſæ judicio utilitati, honorique non parum Federico fuit. Omnes ejus virtutem in cœlum ſullulerunt, quod tenuibus parvi Regni viribus, ipſe Regnum ſibi conſervarit, ſeſeque ſolus a multis, & iis potentibus adverſariis defenderit. Et quamquam conditio, qua conventum fuit, ipſum, dum viveret, Regem futurum, alteri parti honorifica videbatur, nihilo tamen ſecius prudens quiſque animadvertebat, eo defuncto, rem non chartis, ſed armis expediendam fore. *Petrus Giannonius in ſua Hiſtoria Civili ejuſdem Regni lib. 21. pag. 130. eadem verbum verbo, quæ Conſtantius, exprimit: Giannonii enim hiſtoriæ, ſi eam partem excipias, quæ civiles res tractat, non unus aut alter locus eiſdem Conſtantii verbis, ſententiiſque contextus eſt. Burigninius Gallus in ſua generali Siciliæ hiſtoria hæc pag. 243. habet:* Cette paix fit un honneur

Digitized by Google

ad æmulum perventurum ſtatuebatur, non tam honorifica videri potuiſſet; attamen quia Regnorum ſucceſſiones non moderantur pacta tempori accommodata, ſed arma ſuo tempore expedienda, hujuſcemodi conditionem parum ad rei ſummam momenti allaturam nemini perſpectum non fuit; animadverſumque, pacem hanc utraque ex parte non juris aliquid, quod ſibi quiſque vendicabat, remittendi, ſed a bello reſpirandi, vireſque reſumendi, uno verbo tempori obſequendi animo compoſitam fuiſſe.

Ut Pontifex maximus pacem ratam, firmamque habuit, Federicus de ea per Juvencum de Ubertis, & Apparitium Villanovam ſuos Legatos certiorem Jacobum fratrem fecit. Jacobus Jasbertum Caſtrinovi Procomitem, & Andream Macianum in Siciliam legavit, qui ſuis verbis germano de pace congratularentur; ſimulque inter ipſum, & Federicum, quale inter fratres eſſe oporteret, fœdus ſancirent. Hoc fœdus Richardi Paſſaneti Garſiliati Comitis, Vinciguerræ Palicii magni Scribæ, & Conradi Auriæ claſſis Præfecti, quorum conſilio præcipue res Sicula tum gubernabatur, quique Aragonum Regi ſtudebant, opera his conditionibus ictum fuit, ut alteri alterius in Regno naves ſtruendi facultas eſſet; & alter alteri, ſine liberis decedenti, ſuccederet. Federicus cum hoſtibus pace, fœdere cum fratre firmatis, ut erat grati, liberaliſque animi, nihil ſibi antiquius duxit, quam civitates, nobileſque viros, qui in ancipiti belli fortuna ſuam fidem ipſi magis probarint, damnaque ſubierint, beneficiis ornare. Saccenſes itaque ob recens ſtrenue toleratam obſidionem vectigalibus exemit *(a)*. Et quod Meſſanenſes itidem obſeſſi graviora detrimenta acceperint, majoreſque ſuſtinuerint difficultates, præterquamquod, uti diximus, eis amplam tributorum gratiam fecerat, emolumento decus cumulans, juriſdictioni illius Magiſtratus, qui juri dicundo, criminibuſque vindicandis, Meſſanæ ejuſque in pagis præſidebat, qui-

neur infini au Roi Frideric. C' etoit effectivement une choſe preſque incomprenſible qu' avec le ſeul ſecours des Siciliens il ait pu reſiſter a tant d' ennemis, & ſortir ſi glorieuſement de cette guerre. Hæc pax maximo honori Regi Federico fuit. Et profecto minime comprehendi poterat, qui uno Siculorum ſubſidio reſiſtere ipſe tot hoſtibus, ac tam glorioſe ex hoc bello emergere potuiſſet.

(a) *Vide Monum. num. XXV.*

quique Græca voce Strategus dicebatur, Mylarum, & Taurominii juriſdictiones adjunxit *(a)*. Similiter, quoniam in pacis conditionibus, uti docuimus, cautum erat, ut Sicilienſes Eccleſiæ in bonorum, quibus ante pulſos Gallos potiebantur, poſſeſſionem reſtituerentur, Federici decreto Eccleſia Panormitana Platanum, Platanellos, Brucatum, alioſque pagos, ac fundos, jus item in Platani, veteribus Hylici, vel Lyci fluvio, qui anguillis, mugilibuſque abundabat, piſcandi ab iis, qui ea in rebus bello perturbatis, invaſerant, vindicavit *(b)*. Monregalenſis quoque Eccleſia per hoc idem tempus oppida Rachaldeni, & Calatraſi recuperavit *(c)*; & Catinenſium Pontifici nemus de Pineta nuncupatum, inter Maſcalarum fines reſtitutum fuit *(d)*.

In præcipuis bonis, quæ ex pace cum Andegavenſibus facta emanarunt, eſt quidem matrimonium numerandum inter Regem noſtrum, & Heleonoram, Caroli Regis filiam, contractum, conjugem tanto viro corporis venuſtate æque, ac animi pulchritudine dignam. Erat Federicus, quamquam annos natus duo de quadraginta, adhuc cælebs. Et hic, ſi Hiſtorico liceret, quod Apelli laudi datum fuit, Antigoni Regis uno oculo orbi imaginem depicturo, quo vitium conderet, eam obliquam effinxiſſe, ſilentio utique prætermitterem, Regem noſtrum & ante &, quod turpius eſt, poſt ductam uxorem ex nobili fœmina Sybilla ab Sornella filiam Rogerii Lauriæ filio nuptam; & ex aliis tres filios Sanchium, Alphonſum Federicum, & Rolandum, ſive Orlandum habuiſſe. Quo magis, quod jure de noſtris Regibus Philippo, Carolo, Ferdinando glorietur, ætas noſtra habet, in quibus cum cæteris regiis virtutibus conjunctam caſtimoniam, eorumque Regias veluti pudicitiæ domicilium, ſuſpexerunt omnes, ſuſpiciuntque.

Nec mora ulla, quin Heleonora ad ſponſum mari proficiſceretur, interpoſita fuiſſet: at quod & hiems ingrueret, & claſſis reficienda eſ-

(a) *Vide Monum. num. XXVI.*

(b) *Vide hæc Monum. inter Bullas, Privilegia, & Inſtrumenta Panormitanæ Eccleſiæ ab Antonio Mongitore collecta a fol.* 140.

(c) *Conſule Hiſtor. Eccleſ. Monregalenſis a Joanne Ludovico Lello conſcriptam editam Romæ anno* 1596. *fol.* 63.

(d) *Hoc Monumentum refert Jo: Baptiſta de Groſſis in ſua Catana Sacra f.* 150.

Digitized by Google

eſſet, rem in proximum ver differri neceſſe fuit. Appetente autem vere, Carolus veritus, ne filia ſalo, nauſeaque afficeretur, mutato conſilio, eam terra per Brutios uſque Rhegium, unde per fretum Meſſanam trajiceret, proficiſci juſſit. Deſtinavit, qui illam in Siciliam adduceret, Joannem Achajæ Principem ſuum octavo loco natum filium, qui aſſectarentur, Catacii, & Ariani Comites, Rogerium Sanguinetum, compluresque alios primores viros, dato eis mandato, ut ſtatim ac ipſam ſponſo traderent, regrederentur. His, & ſuis comitata ancillis, a parentum complexu ægre divulſa Regia puella Neapoli diſcedit, Neapolitanis matronis ipſam oculis, quam longiſſime potuere, votiſque proſequentibus. Proſpero uſa itinere Rhegium pervenit; ubi claſſis eam Meſſanam trajiciendam oppetiebatur. In prætoriam, Regiis exornatam inſignibus, cum nobili comitatu aſcendens, Meſſanam provehitur; & jam id litoris, quod propter amœnitatem Paradiſum incolæ vocant, claſſis tenebat, quum prævecta cymba Reginæ adventum nunciat. Ad hunc nuncium tota civitas, gaudio exultans, ſeſe in portum eam ſpectatum effundit. E navi per pontem, ad id factum, in terram deſcendens, urbem init, via, qua ad Equitum Jeroſolymitanorum, ejus hoſpitio deſtinatas, ædes itur. Rex ſtudio ſponſæ viſendæ ipſi ad Divæ Mariæ ab Scalis, qua tranſeundum erat, ſimulans alio procedere, vultu, ornatuque ſpectabilis, ac procerum corona cinctus, quaſi fortuito, obviam fit. Regi appropinquanti populus, qui innumerus circa Reginam incedebat, ejus admirans ſpeciem, eique tanquam ſuo Rege dignæ conjugi plaudens, ut ad ipſam accederet, locum dedit. Regina Regem ſe adeuntem ſubmiſſis intuetur oculis: & quum is, ut ipſius manum apprehenderet, dexteram extendiſſet, pudore tacta virgineo, rubore ſolito magis ſuffunditur; manumque a Regis tactu retrahit. Quam Catacii Comes modeſte corrigens, ut dexteram ſponſo porrigat, leniter admonet. Tunc ipſa inter verecundiam, amoremque, trepidam manum ſponſo ſtringendam profert. Ad hoc populus acclamationes ingeminat. Rex voti factus compos, iter, quod ſimularat, lætus pergit; & Regina ad diverſorium deducitur. Illuc poſt biduum præſtituto celebrandis nuptiis die, qui ſolis dies erat, cum proceres, qui undique earum occaſione Meſſanam confluxerant, tum nobiles cives pretioſas induti veſtes Reginam ad templum maximum, in quo celebrandæ erant, aſſectaturi, conveniunt. Adſunt quoque Meſ-

Digitized by Google

Meſſanenſes matronæ cultæ quam maxime, ornatæque, crinibus in ſublime turris inſtar elatis *(a)*. Quum omnia, quæ pompæ illi conveniebant, in promptu eſſent, Regina e diverſorio cum ſuo comitatu egreſſa, amictu, cultuque regali præfulgens, generoſum album equum, nigris diſtinctum maculis, ac ſplendidis ornatum ſtragulis, ab ſuis ſublevata inſcendit; & magna comitante optimatum caterva, populoque plauſibus, votiſque proſequente, inter tubarum clangorem, omniſque organorum generis concentum, per vias roſis, liliis, myrtoque ſtratas, ad templum progreditur, Catacii, & Ariani Toparchis peditibus ſericas habenas *(b)* hinc inde trahentibus, Dynaſtis aliis vel limbo Regii ſyrmatis, vel equi phaleris manus admoventibus, vel equi veſtigiis inhærentibus. Interim Rex, & ipſe magnifice comitatus, templum adiit. Ubi Regina eodem pervenit, præſcriptis verbis, ſtatiſque cæremoniis, coram Meſſanenſium Pontifice ſe menſe Majo anno MCCCIII matrimonio conjungunt. Celebrato connubio Rex, Reginaque duplicata pompa in Regiam ſe recipiunt. Nuptias varia ſpectaculorum, ludorumque genera excepere. Certatum eſt cæſtu, gladiis, haſtis, curſuque. Nobiles aliquot equeſtri dignitate aucti. Bartholomæus, ex præclara Tagliaviarum gente Panormitanus, Caſtriveterani Dynaſtes, Præfectus Reginæ domus creatus. Alii, cum indigenæ, tum exteri, oppidis, prædiiſque vectigalibus, prout cujuſque erant merita, donati; e quorum numero Ro-

(a) *Sic reddere exiſtimavimus, quod Specialis ait, fœminas Meſſanenſes turritis capitibus in hac celebritate ſe oſtentaſſe. Quem capillos componendi, ornandique capitis modum non multum ab illo diſcrepaſſe, quo nunc mulieres crines comunt, caputque ædificant; quemque Romanas mulieres quondam uſurpaſſe apud Montfauconium in ſupplemento ad opus de antiquit. tom: 3. tabul. 4. pag. 11. n. 2. videre eſt, opinamur.*

(b) *Specialis habet:* hinc inde ſericam rhedam trahunt. *Maurolycus interpretatur* ſcabellum, *inani, ut nobis videtur, ſenſu: nam cur rheda, currus genus, idem ſit, quod ſcabellum, per quod in equum Regina aſcenderet, cur illud in pompa a principibus viris traheretur, quomodo denique adjectivum* ſericum *aptari ad ſcabellum poſſit, non intelligimus. Nos reddere* habenas *auſi ſumus, ducti & rei convenientia, & conjectura, quod forſitan, corrupta per illud tempus latina lingua, habena diceretur rheda; unde exortum vulgare* redina.

Digitized by Google

Rogerius ab Brundiſio, cujus antea meminimus, Tripis oppido, Alicatæque caſtro remuneratus fuit. Quo factum eſt, ut non unus, aut alter ex Aragonienſibus præſertim, Catalauniſque advena ſummo apud ſuos genere ſedem, fortunaſque ſuas in Sicilia collocarit. Ludicris peractis, veſtes, quæ ad ea uſui fuere, inter mimos, hiſtrioneſque de more diſtribuuntur. Proceres, aliique illuſtres viri, qui Reginam comitati erant, læto animo, quæ viderant, afferentes ad Regem Carolum redierunt.

Vix Sicilia pacis bona guſtarat, quum, quæ eſt miſera rerum humanarum conditio, ut raro commodi aliquid obtineatur, quod non aliquid conſequatur incommodi, eam infeſtam habere cœperunt plurimi militares homines, qui prædæ aviditate illecti in ipſam belli causà confluxerant, Aragonienſes, Catalauni, aliique. Hi enim, ut externo caruere hoſte, latrociniis, rapinis, violentiis, aliiſque maleficiis, ac jurgiis, quæ inter ſe identidem miſcebant, publicam turbabant tranquillitatem. Regi cogitanti, quonam pacto Regnum ab hac peſte liberaret, perquam opportuna ad id conſequendum occaſio oblata fuit. Rogerius ab Brundiſio Regis permiſſu in Orientem, ut pro Imperatore Andronico bellum adverſus Turcas, qui in Imperii fines excurrebant, duceret, profecturus erat. Rex effecit, ut is hanc inutilium, pernicioſorumque militum manum ſecum in Orientem ſub ſuis militaturam ſignis deduceret. Hi igitur ad numerum mille, & quingentorum equitum, & quatuor mille peditum, inter quos aliquot non ignobiles duces, qui ultro Rogerio ſe adjunxerunt, in vicenas impoſiti longas naves Meſſana Conſtantinopolim anno MCCCIV tranſmiſere. Utilem quidem Andronico operam in bello navarunt. At, ubi a bello ceſſatum, talis, neque ſecus in illa hominum colluvie fieri poterat, iis inceſſit diſſenſio, ut, quo in concordiam, atque in officium redigerentur, Federico Ferdinandum Balearium Regis ſecundo loco natum filium, ſuum fratrem patruelem, qui in Sicilia tum forte verſabatur, ſuum ad illos regendos legatum mittere opus fuerit, fidei ſacramento ab eo accepto, ſibi dicto in omnibus audientem fore, nihilque injuſſu ſuo, ne matrimonium quidem initurum. Interea horum militum tam vehemens Andronicum metus occuparat, ut ipſos, atque in primis Rogerium ab Brundiſio, de medio tollere conſilium inierit. Ex eis itaque non pauci, & Rogerius morti dati fuere. Nihilo tamen ſecius tantum in iis, qui in vita manſerunt,

vi-

virium, animique ſuperfuit, ut commilitonum, duciſque mortem ulciſci, Michaëlemque, Andronici filium, acie profligare potuerint; ſimulque Pontifici maximo, ſi ipſe Orientis Imperium Federico Siciliæ Regi adjudicaret, bellum ſacrum contra Græcum Cæſarem indiceret, legatum in Orientem mitteret, ſe Græciam univerſam ad præſtandam Romano Pontifici obedientiam redacturos polliceri non dubitarint. Et eo tandem confidentiæ pervenere, ut ſibi ex ſua ſententia in ducem Roccafortio cooptato, Ferdinandi, a Federico quamvis miſſi, imperium detrectarint; eumque tam male acceperint, ut is apud illos minime ſe tutum reputans, in Thaſſi inſulam ſeſe recipere neceſſe habuerit. Unde digreſſus, in Chalcidis portu ab Theobaldo, qui decem Venetis navibus pro Valeſio præerat, comprehenſus, ut ille, qui pro Græco Imperatore Valeſii adverſario faciebat, ad Athenarum Ducem, & ab hoc Neapolim in cuſtodiam conjiciendus miſſus fuit.

Neque Federicus aliis ex bello exortis malis, & præcipue, quæ rei religionis officiebant, mederi neglexit. Ut Eccleſiis de Pontificibus, quibus carebant, provideretur, curavit: effecitque, ut æque; ac Eccleſia Panormitana, de qua ſupra diximus, & cætera Sacerdotia ab injuſtis poſſeſſoribus bona recuperarent ſua; ſalſamentique cados aliquot ex thynnariis Cœnobio, Divo Stephano ſacro, ſingulis præſtandos annis per idem tempus decrevit. Agrigentini certas ſibi conſtituerant leges. Federicus eas approbat, confirmatque. Harum legum hæc ſumma capita. Viri, uxoriſque bona omnia, quacumque ex parte eis venerint, ſuſceptis filiis in unum confundantur, ita ut ſi ea conjuges cum filiis dividere velint, pars una patri cedat, altera matri, tertia filiis (a). Patre inteſtato præmortuo, pars ejus libe-

(a) *Tunc temporis matrimonia in Sicilia contrahebantur more Latinorum, id eſt conſuetudine a Normannis inducta, qua ſuſceptis liberis bona uxoris cum viri bonis confundebantur, inter maritum, uxorem, & filios diſpertienda, & non more Græcorum, id eſt ſecundum Romanorum legem, qua dos ſolida mulieri reſervabatur, quaque Siculi, antequam in poteſtatem Normannorum veniſſent, utebantur. Siculi enim, quia Orientis fuerant Imperatoribus ſubjecti, Græcorum numero ponebantur. Contra Normanni, aliique Occidentis populi Latinorum nomine deſignabantur. Matrimonia, quæ olim in Sicilia Latinorum contrahebantur mo-*

liberis accreſcat, teſtato, teſtamento ſtetur, modo in eo ratio filiorum habita fuerit. Præmortua matre, immobiles ejus portionis res filiis obveniant; de moventibus teſtari, ut lubet, patri poteſtas ſit. Si uxor præmortua bona non habebat niſi immobilia, poſſit vir de eorumdem dimidio pretii teſtari. Si maritus, uxore præmortua, vel uxor, præmortuo viro, matrimonium repetierit, natis ex ſecundo conjugio filiis tertia primi viri, vel primæ uxoris pars cum bonis ſecundi viri, vel ſecundæ uxoris permiſceatur; & viro, vel uxore ab inteſtato decedente, cuncta bona in tres dividantur partes, quarum una viro, vel uxori ſuperſtiti accedat, alia filiis primi matrimonii, in tertia tam primi, quam ſecundi matrimonii liberi ſuccedant in capita. Æs alienum tempore primi matrimonii contractum diſſolvatur ex bonis filiorum primi matrimonii, & ex tertia parte, qua pater, vel mater ad ſecundas nuptias tranſivit; factum tempore ſecundi matrimonii exſolvatur ex bonis ejuſdem, & ex tertia parte, quæ cum his bonis confuſa fuit; conflatum denique tempore inter primum, & ſecundum conjugium medio, de communibus perſolvatur bonis. Viro præmortuo, filiis non ſublatis, mulier ſuperſtes dotem, dotariumque, quod dicitur, conſequatur, aſſis reliquum; ſi inteſtatus decedat, ad propinquos, ſi teſtatus, ad hæredes perveniat. Uxore ſine liberis præmortua, dotarium extinguatur; & dos ad dotantem revertatur; ſi vir uxorem ſuo efferri velit ſumptu, lectum, ut prima nuptiarum nocte inſtructum, vel ſi hic non extet, qui domi ornatior inveniatur, percipiat. Mulieri viro ſuperſtite vita functæ de moventibus tantum rebus teſtandi facultas ſit. Parentibus dotis, qua filiam nuptui collocent, ei tribuere, & filiis emancipatis de tertia ſua parte dare quantum velint, liberum ſit arbitrium, ultra portionem ex alia parte, quam cum fratribus, ſororibuſque emancipati habeant, ad eoſdem pertinentem. Parentum alterutro decedente, filiis minoribus cum patre, vel matre remanentibus, & in minore ætate præmortuis, res omnes ſoli, ſi a matre proveniant, ad propin-

more, habebant quid ſimile matrimoniis, quæ apud Romanos coemtione perficiebantur, quum ſcilicet fingendo virum, & fœminam ſe invicem emi, omnia, quæ mulieris, viri, quæ viri, mulieris, bona fiebant, ſibique invicem ſuccedebant.

pinquos matris, ſi a patre, ad propinquos patris redeant; mobilium pars illa, quæ ad eos pertinet, ad patrem, vel matrem ſuperſtitem devolvatur; quæ vero jure paternæ, vel maternæ ſucceſſionis eis obvenerit, ad propinquos patris, vel matris deveniat. Pater, ſi filio majori facto, ut ex ſua familia exeat, permittat, parte, quæ ad ejus matrem pertinebat, ei remiſſa, partis eidem jure proprio debitæ uſumfructum ſibi, quoad in viduitate perſeveret, reſervare poſſit, ubi ſecundam ducat uxorem, hujus uſusfructus dimidio deceſſurus. Conjugum altero ſine liberis inteſtato defuncto, dimidium bonorum, ab ipſo quacumque ratione acquiſitorum, ſuperſtiti, reliquum, detractis funeris ſumptibus, propinquis cedat. Qui aliquid ad certum tempus faciendum conducat, ſi convento tempore non exacto, ab opere ſine juſta cauſa ceſſet, quod mercedis conſequutus ſit, reſtituat. Si inter conductorem operæ, & locatorem quæſtio de mercedis ſumma exoriatur, conductor ſe ſacramento purgare poſſit; eique ad quinque tarenorum *(a)*, qui dicuntur, auri ſummam, fides habenda; contra ſi de tempore conductionis altercetur, ſtandum locatoris ſacramento. Ei qui in vineis, in ſegetibus, in hortis, in agris goſſipio conſitis, in pratis, in locis videlicet, quæ damnum a pecore, jumentiſque pati poſſint, pecus, jumentaque, detrimentum inferentia, deprehendiſſe teſtetur, ſi calumniæ juramentum præſtet, & damnum illatum unius Auguſtalis *(b)* pretium non ſuperet, fides adjungatur; & Præ-

(a) *Moneta aurea, quæ tarenos quatuor cum granis tribus argenteos valebat.*

(b) *Monetæ aureæ ſpecies cudi cœpta tempore Federici Imperatoris, ſic appellata, vel quia quicquid ad Imperatorem pertinet, Auguſtale dicitur, vel quia in adverſa parte hujuſmodi inſcriptionem præferebat:* Cæſar. Auguſt. Imp. Rom. *Valebat tarenos ſeptem & grana decem, ut conſtat ex cap. 55. Regis Jacobi, vel quod idem eſt, quartam partem unciæ, ut apud Richardum de Sancto Germano, Federico æqualem, proditum habemus. Animadvertendum tamen eſt, Auguſtalem valuiſſe tarenos ſeptem, & grana decem, tarenos quidem aureos, qui, ut ſupra notavimus, tarenos quatuor cum granis tribus argenteos fere valebant, ſive, quod ad idem redit, quartam partem unciæ, unciæ ſcilicet non monetæ, quæ hoc fert nomen, quæque triginta tarenorum argenti æſtimationem habet, ſed unciæ auri infecti, cujus quarta pars idem prope valet, ac ſeptem tareni, & grana decem auri. Auguſtalis pondus cum hac a nobis inita ratione ferme congruit. Auguſtalis enim pondus unciæ monetæ pondus non quidem æquat, excedit potius, ut ſummi generis, ſummæque eruditionis Gabriel Lancellottus Caſtellus Turris Mutii Prin-*

ceps,

Digitized by Google

& Prætor ab pecoris, jumentorumque domino exigat in bovem domitum grana, quæ nuncupantur, quinque, in indomitum grana duo, & dimidium, in equum, vel mulum, vel aſinum grana quinque, in ovem granum unum; nec animalia, quæ pauperiem feciſſe dicantur, domino reddantur, quin prius is domino agri noxam reſarciat; ſi vero damnum, quod factum intenditur, majus unius Auguſtalis pretio ſit, niſi duobus graviſſimis teſtibus planum fiat animalia in agro deprehenſa fuiſſe, illorum dominus ad nihilum teneatur. Merces mercatoris famulo, iis recipiendis præpoſito, ad accepti ſchedulam, ſigno mercatoris conſignatam, traditæ habeantur, ac ſi ipſimet domino traditæ fuiſſent. Proxenetæ, ni idoneam duorum auri ponde cum uncia cautionem, & jusjurandum recte ſuum munus exercendi præſtent, in pœnam unius Auguſtalis, Prætori acquirendam, incurrant, & Proxenetarum numero non habeantur. Quum aliqua inter emptorem, & venditorem lis, quæ minus duobus Auguſtalibus æſtimetur, oriatur, ſtetur Proxenetæ ſacramento, ſi pluris, res legitimis diſceptetur probationibus. Si de actis, a Proxeneta confectis, contendatur, & proxeneticum, quod pro eis exigitur, unum Auguſtalem non excedat, Proxenetæ fides tribuatur. Locator domus, qui ex ea conductorem ante præfinitum locationi tempus, niſi ipſe eam incolere, vel vendere, vel pignori obligare neceſſe habeat, expellere velit, id totum, quod locationis nomine receperit, conductori reſtituat. Contra conductor, ſi ante præſtitutum conductioni tempus domo recedere velit, integram totius temporis penſionem locatori perſolvat. Fidejuſſor, contra quam uſus obtinuerat, niſi prius debitore excuſſo, non conveniatur (a).

Gaudium, quod ex pacis bonis Siculi percipiebant, cumulavit Reginæ fœcunditas. Ea enim, quamvis fœminam, cui Conſtantiæ aviæ nomen datum fuit, peperiſſet, viriliſ ſexus Regni hæredem cam-

cept, cui, ut Auguſtalem præ manibus haberet, contigit, obſervavit; cuique, quod de hoc priſco nummo a nobis eſt dictum, ut non pauca alia, accepta lector referto.

(a) *Haud ingratam rem lectoribus facturos exiſtimavimus, diploma, quo Federicus has leges ſua auctoritate firmavit, in hujus Commentarii fine Monum. num. XXVII. tranſcribendo. Cognitione enim digna non pauca, ac præſertim, quæ connubium Latinorum more contractum jure conſequebantur, comprehendis.*

Digitized by Google

eamdem daturam ipſis ſpem fecit: at Regno non multum temporis a belli timore liberum, bellicisſque curis Regi vacuum effluxit. Rex namque Jacobus per legatum auxilia ad Sardiniam recipiendam ab eo expoſcit. Federicus ſe ad id paratum profitetur; recipitque, ubi frater eam expeditionem ſuſciperet, ſe duodecim longarum navium claſſem, probatioreſque ſuos duces Comites Manfredum, & Joannem Claromontios, Richardum Paſſanetum Comitem Garſiliati, Matthæum ab Thermis, Nicolaum, & Damianum Palicios, alioſque ſubſidio miſſurum; modo ne ea expeditio Gibellinorum parti, cui ipſe, Siculique obſtricti erant, fraudi eſſet. Bonifacio VIII. Pontifici maximo ſufficitur Benedictus XI., eximiæ ſanctimoniæ vir. Huic gratulatum, ſalutatumque Rex noſter Conradum Auriam, claſſis Præfectum, legatum miſit. Benedictus cum Conrado, quod Federicus nec annos ſui Regni a pace cum Carolo inita, atque a Bonifacio comprobata, ut erat conventum, numeret, nec vectigal pendat, graviter queritur. Neque remiſſius Rex Carolus Acis caſtrum, quod item ex pacis conditionibus pro oppidis in Brutiis Palicio poſſidendis ab ipſo conceſſis, in Sicilia Lauriæ, uti ſupra docuimus, habendum permiſſum fuerat, hoc mortuo ad ſe pertinere, tributumque Siciliæ Regibus a Tuneti Rege in ſingulos annos pendendum, quia ipſe Siciliæ Regis titulo potiebatur, & ab Carolo Andegavenſi, qui tributum illud impoſuit, originem trahebat, ſibi ſolvendum contendit. Federicus utrumque conſtanter abnuit. Qua de cauſa, & quod cum iis, qui ab Federico trans fretum fecerant, aſpere ab Carolo agebatur, ad arma reditum fuiſſet, ni Rex Jacobus inter ſocerum, & fratrem ſeſe arbitrum harum controverſiarum præbuiſſet. Is enim Bernardum Sarriam, claſſis Præfectum, qui de his componendis ageret, in Italiam legavit. Sarria Meſſanam, ubi Federicus adhuc morabatur, & inde Neapolim profectus, Federico ut oppida, queis Palicius in Brutiis potiebatur, Carolo remitterentur, Carolo, ut viciſſim Acis caſtro cederet, perſuadere conatus eſt. At quum per Sarriam nihil tranſigi potuiſſet, Federicus Agrigentinorum Pontificem, & Bartholomæum ab Inſula, & Carolus ſuos in Aragoniam legatos miſerunt, qui cauſam ſui quiſque Regis Jacobo probarent, ejuſque ſententiam, arbitriumque expectarent. His auditis, Jacobus rem in hanc rationem componendam arbitratus eſt, ut Brutii oppida, quæ a Palicio poſſidebantur, Carolus, Acis caſtrum, quod Lauriæ

ju-

juris erat, Federicus haberet, tributumque a Tuneti Rege Carolo penderetur, facta Federico poteſtate Regi illi bellum movendi, pacemque iis, quas vellet, conditionibus dandi, irrogata concordiæ violatori ſeptingentorum quinquaginta duorum cum triente auri pondo multa. Et quoniam Federicus animum inducere non poterat, quominus Siciliæ Rex appellaretur, Jacobus, quo omnis diſſenſionis materies removeretur, obtinere a ſocero ſtuduit, ut fratri Siciliæ inſulæ Regis titulo uti poſſe permitteretur. Cautum quoque, ut ii, qui pro Federico in provinciis trans fretum ſteterant, clementer haberentur. Nec contentus Jacobus hæc cum legatis conſtituiſſe, Jacobum Guilelmum ab Ceria Neapolim, & in Siciliam legavit, qui Carolo, & Federico mentem judiciumque ſuum declararet, probaretque.

Dum hæc in Aragonia agitabantur, Federicus cum uxore Panormum ſe conferens, Panormitanis, quibus in ſuburbanis finitimiſque ad quemlibet vel ad Eccleſias, vel ad ipſum Regem pertinentibus, & præſertim Goderani, Chaſacæ, Bachariæ, Partenici, & Hyccaræ nemoribus lignandi facultatem attribuerat, beneficia eiſdem ab Federico Imperatore, a Conrado, & a Manfredo impertita, confirmat; ac ex integro, ut terra marique mercaturas faciant, merceſque ſuas libere importent, exportentque, literis anno MCCCV datis concedit (a). Quæ literæ eumdem nunquam non uſurpatum, titulum, ſcilicet: *Federicus Dei gratia, Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ*, præ ſe ferunt. Hoc anno pridie Idus Julii, quæ erat Mercurii dies, apud Regium ſuburbanum, Parcum novum dictum (b), in Panormitano agro, ubi animi cauſa Rex tum morabatur, Regina in lucem filium edidit, qui ſacris in maximo Panormitano templo IX Calendas Sextiles initiatus fuit; eique inclyti

(a) *Has literas videre eſt inter Privilegia Urbis Panormi edita a Michaele de Vio f.* 29.

(b) *In laudato apud Martenem Chronico, unde hæc accepimus, legitur apud* Partum novum, *ſcripturæ, ut opinamur, mendo pro* Parcum novum. *In agro Panormitano locum extare, vel extitiſſe,* Partum novum *nuncupatum, nullum habetur indicium. Contra jam inde ab eo tempore extare loca,* Parcum novum, & Parcum veterem *dicta, certo conſtat.*

Digitized by Google

ti avi Petri factum nomen. Quanta lætitia, quantiſque lætitiæ ſignificationibus Siculi hujus Principis, qui Regni poſſeſſionem in Federici progenie firmabat, natalem celebrarint, cuicumque, qui quanto ſtudio, quantoque amore Siculi in Federicum ferebantur, ex hactenus narratis cogitatione comprehenderit, facile conjicere erit. Federicus, qui nunquam non fuit in rem ſacram largus, per hoc pacis tempus liberalitatis in eamdem eo proceſſit, ut Regiam Villam, cujus antea meminimus, quæque venationum frequentia, aquarumque copia maxime ipſi in deliciis erat, in Ciſtercienſis familiæ cœnobium converterit, illudque diti cenſu donarit. Poſtquam Monſregalis ex ſuburbano rure, ubi Reges ruſticabantur, venatuque animum relaxabant, a Guilelmo II. in Benedictinæ familiæ cœnobium commutatus fuit, idem Guilelmus aliam Regiam Villam, aliudque vivarium in loco, ab Panormo ſex paſſuum millia remoto, & in Panormitano agro, ſed in ſacra Monregalenſi juriſdictione, excitavit; cui villæ, vivarioque Parci barbara voce, quæ idem quod vivarium valet, Novi nomen fuit impoſitum, ut ab veteri vivario, quod non tam inde procul Rex Rogerius condiderat, diſtingueretur. At idem, quod de priſca Regia Montiſregalis Villa Guilelmus, de hac nova fecit Federicus. Conſtrui quidem in ea templum Divæ dicandum Matri, juſſit; eique cœnobium Ciſtercienſis familiæ alumnis ab Barcinonenſi Sanctarum Crucium, quod vocabatur, ac ubi ſuorum majorum cineres jacebant, cœnobio evocatis attributum, ac eidem Barcinonenſi cœnobio ſubjectum, adjunxit. Templo, cœnobioque ex ſitus altitudine, uberrimoque ibi ſcatente fonte, Sanctæ Mariæ ab Altofonte inditum nomen fuit. Die, Virgini ab cœleſti nuncio ſalutatæ ſacro, anno MCCCVI templum Rex ipſe, cœnobiumque adiens, coram Eccleſiæ Panormitanæ Canonicis, nobilibus compluribus, ac cœnobii Sancti Spiritus Præſule, utrumque Deo Optimo Maximo, Divæque Matri ſumma celebritate, ac ſingulari religione obtulit, dedicavitque; ac ſimul utroque Parco, Partinici agro cum facultate ibi pagum ædificandi, aliiſque prædiis, juribus, immunitatibuſque prolixe, cumulateque donavit, literis, non minus magnificentia, quam religione affluentibus, in id IV Calendas Julii anno MCCCVII ſcriptis *(a)*. Heleonora viri religionem æmulata per idem tempus En-

(*a*) *Vide has literas in parte III. lib. IV. Siciliæ Sacræ ab D. Vito Maria*

Ennæ, quam cum Rege præſertim æſtate frequentabat, princeps templum de ſuo inſtaurandum, ornandumque curavit. Rex certum Panormi piſtrinis, balneiſque vectigal exigebat. Ex pecunia, quæ inde redibat, aliquid Pontifici, Canoniciſque Panormitanis penſitabatur. Qui hoc vectigal a Rege donatum habebat, numerare quod ex eo Pontifici, Canoniciſque Panormitanis debebatur, recuſabat, Rex id perſolvendum decrevit *(a)*.

Inter hæc præclara pacis opera, Federicus a belli timore haud vacabat; ſed non tam proxime illud erupturum duæ præſertim res ipſius ſpem alebant, Clementis V., qui in Benedicti cooptatus locum, Avenione in Galliis ſedem ſibi conſtituerat, ab Italia abſentia, & Caroli mite, ac ad pacem propenſum magis, quam ad bellum ingenium; quum hic maximis, clariſſimiſque ornatus virtutibus Princeps, ac, ut Villanius tradit, ob magnanimitatem alter Alexander dictus, anno MCCCIX mortem cum vita commutavit. Ejus ſucceſſor a Pontifice maximo præſens Avenione, quo ſe mortuo patre contulerat, renunciatur Robertus, quinquaginta millibus auri pondo, quam pecuniam Carolo Patri Bonifacius VIII. in Siculi belli ſumptus crediderat, ei a Clemente remiſſis, munerique datis. Roberto, cui tantum inerat virtutis, ut Avi, Patriſque gloriæ non ſuſtinendæ modo, ſed & augendæ par eſſet, haud æque, ac Patri pacifica inerat indoles. Et ſane jam inde ab ſui Regni initio alienum a ſervanda pace inter Patrem, & Federicum, nequaquam ex ſua ſententia compoſita, animum tam aperte tulit, ut Aragonum Rex, quominus acrius inter Principes ſibi maxime neceſſarios bellum reſurgeret, impedire ſuas eſſe partes putaverit. Tum forte apud ipſum ab Clemente miſſus agebat Arnaldus ab Villanova. Is, quum propter doctrinæ famam in gratia apud Pontificem, inque honore apud omnes eſſet Principes, Aragonum Regi ad pacem inter Robertum, & Federicum auctoritate Pontificis maximi interpoſita firmandam, maxime aptus, appoſituſque viſus eſt. Arnaldum itaque, ut illum qui tum magni Scribæ vice in Aragonia fungebatur, Ave-

ria Amico conſcripta notit. X. fol. 61. edit. Catin. ann. 1733.

(a) *Hoc Monumentum edidit Antoninus Mongitorius inter Privilegia Panormitanæ Eccleſiæ f. 159.*

Digitized by Google

Avenionem, ubi Robertus adhuc morabatur, ad rem gerendam legavit. Arnaldo, cui negotium præcipue concreditum erat, in morbum per viam implicito, legatus alter Avenionem progreſſus, Clemente, qui, ſe ab Italia abſente, illinc bellum abeſſe ſua referre exiſtimabat, ſequeſtro, hanc concordiæ conditionem proponit, ſi Robertus Federico titulum Regis Jeroſolymæ, juſque ad illud vindicandum Regnum concederet, ac pecuniam Heleonoræ doti dictam, repræſentaret, Federicum, ubi in Jeroſolymitani Regni poſſeſſionem veniret, Roberto Siciliam permiſſurum. His ab Roberto vix auribus admiſſis, advenit Villanova. Eadem hic, ſed ſtudio majore, retentans, illud a Roberto ferre reſponſi potuit, ſe titulum Regis Jeroſolymæ, ne dum jus quod in illud Regnum certum habebat, nemini unquam ceſſurum; ſi Federicus alio ipſi comparando Regno contentus foret, Sardiniam deſignat, ſe non ſolum præſenti numerata, quæ doti dicta fuerat, pecunia, ſed omnibus ſuis viribus ei opitulaturum, modo ſibi Siciliæ pars, quæ Pharo adjacet, aſtutum dimitteretur; & reliquæ Inſulæ caſtris homines ipſi minime ſuſpecti, infenſique præficerentur. Utcumque hæ conditiones Villanovæ iniquæ viſæ fuerint, attamen in Siciliam ſe contulit, ut de iis præſenti ſermone cum Federico communicaret; eumque ad aliquid cum Roberto compoſitionis reduceret. At quum nihil cum Federico conſtitui potuiſſet, re infecta e Sicilia Avenionem ad Pontificem renavigavit; inque Liguſtico mari naufragus periit *(a)*. Tantum per hoc temporis, ut conditionibus pacis cum Carolo Rege compoſitæ ſtare videretur, Regis Siciliæ titulo Federicus ſe abſtinuit. Interim alius intervenit caſus, qui quam male animatus in Regem no-

(a) Sic rem Surita narrat. Alii, ſed ut mihi videtur parum probabiliter, ferunt, Arnaldum propter ipſius contra Religionem errores a Doctoribus Pariſienſibus exagitatum in Siciliam ad Federicum refugiſſe, ab eoque benigne exceptum, cultumque, ac legatum ad Pontificem Maximum Avenionem miſſum, naufragium in Liguſtico mari feciſſe. Quid enim tam parum veriſimile excogitari poteſt, quam Federicum Legatum ad Pontificem miſiſſe hominem de religione ſuſpectum, ac hacce de cauſa profugum? Non negamus, hunc doctum alioquin medicum, quod ſuo abuſus ingenio ſe rerum divinarum ſcientia immiſcuerit, in varios contra ſacra dogmata incidiſſe errores, eoſque poſt ipſius mortem notatos fuiſſe. Aſt non ob moleſtiam, quæ propter hos errores ei vivo exhibita fuerit, ſed cauſa ſtabiliendæ inter Robertum, & Federicum pacis in Siciliam veniſſe, propius vero exiſtimamus.

Digitized by Google

noſtrum eſſet, ac nihil pacifici, amicique de eo Robertus cogitaret, etiam, atque etiam declaravit. Ferdinandus, Balearium Regis filius, ita uti ſupra demonſtratum eſt, captivus Neapoli cuſtodiebatur. Hunc a Federico pro ſanguinis, quam cum ipſo habebat, neceſſitudine viſurus, ac eidem ſolatii aliquid, ſubſidiique allaturus Raymundus Montanerius miſſus fuit. Montanerium Robertus, prætendens ab eo ſeditionem Neapoli conflatam, in carcerem arreptum exquiſitis tormentis affecit; nec prius e carceris ſqualore exemit, quam Bernardus Sarria Regis Aragonum Legatus, qui Neapoli conſiſtebat, ſui Regis nomine illi veniam, & ægre quidem exorarit. Quum igitur nullus reſtaret dubitandi locus, quin Robertus in Federicum, ſuoſque nihil non hoſtile in pectore volveret, Federicus in id magnopere incubuit, ut ſe ad bellum pararet, claſſem ornando, præmuniendo caſtra, delectum habendo, copias exercendo. In quo populi ſtudium ei minime defuit: namque amor, quo ipſum complectebatur, eo in dies creſcebat, quo in ipſum benefacta ab eodem congerebantur, Regiaque domus ſobole augebatur. Per hos enim annos Rex Manfredum, Guilelmum, & Joannem filios, Iſabellam, Catharinam, & Margaritam filias ſuſtulerat; & Vinciguerra Palicio demortuo, in ejus locum magnum Scribam militem Federicum ab Inciſa crearat.

Ut ut autem Robertus, quo Siciliam in ſuam redigeret poteſtatem, bellum Federico inſtaurare animatus erat, tamen primis ſui Regni annis, quo, perluſtratis ſuæ ditionis regionibus, res ſuas componeret, ab eo ſuſcipiendo ſe continere operæ pretium exiſtimavit, adeo ut Federico, qui omne id temporis, quod ſibi ab defendendo armis Regno vacuum interveniebat, eidem bonis temperando legibus impertiebatur, datum fuerit, gentis conventum Meſſanæ cogere, ut in eo leges proponerentur, ſancirenturque, quibus luxuriæ omnium temporum, non ſolius noſtræ ætatis malo modus imponeretur. Regem ſapientiſſimum, quam utiles populis ſumptuariæ eſſent leges, & Siculæ genti eo magis neceſſariæ, quo minus ipſa, ut cæteræ fere pinguem, feracemque ſortitæ agrum gentes, ad parſimoniam facta eſſet, non præteribat. Satis Syracuſanorum in omnem vitæ cultum effuſio, menſa Syracuſana pro lauta, & opipara, dapes Siculæ pro exquiſitioribus tritum vetuſtate proverbium, ab Syracuſis illatum Romam elegantiarum omnium, & præſertim ſignorum ſtudium, Agrigentinos lecythis, & ſiſtris argenteis, ac lecticis ex ebore totis uſos, & alia hujuſmodi de-

Si-

Digitized by Google

Siculorum magnificentia pervulgata erant. Luxuria porro non tam parvi momenti malum eſt, quod publici boni tam ſtudioſi Regis curam effugere potuiſſet. Ea enim non unum, aut alterum procreat ſocietati malum, avaritiamque ipſam, cui adverſari videtur, irritat, ac fovet. Quum enim luxuria, niſi pecunia ſuſtentari nequeat, eadem pecuniæ vehementem appetitionem, ac hujus quacumque ratione ſive juſta, ſive injuſta comparandæ ſolicitudinem, in quo quidem avaritia conſiſtit, pariat, ſimulque beneficentiam, ac in egenos liberalitatem extinguat, neceſſe eſt. Nimia itidem exterior pompa æmulationem inter cives excitat, nutritque, quod divites ea habere velint, quæ nullus alius poſſit, pauperes, ne ob hoc ipſum contemnantur, ſupra vires ſe extendant: & cum æmulatione invidiam accendit, alitque, quod queis anguſta res familiaris eſt, non poſſint inter ſuas ſordes, obſcuritatemque tantam lautitiam, ſpeciemque copioſis non invidere. Nec in minoribus, quæ ab luxuria proficiſcuntur, incommodis, illud numerandum eſt, quod non in animi ornamentis, præclariſque geſtis, ſed in externo ornatu, apparatuque, hominis decus, gloriaque reponatur. In quod porro diſcrimen mulierum pudicitiam, præcipuum ſcilicet ſexus, & ſine quo in mulieribus cætera ſordent, deformanturque, ornamentum, mundioris juſto cultus ſtudium adducere poſſit, quis non videt? Ad hæc, quum luxuria peregrinis mercibus, exteriſque munditiis, potiſſimum capiatur, pecuniâ, quæ civilis velut ſanguis eſt, civitates, regioneſque exhaurit. His igitur de cauſis in conventu, a Rege noſtro Meſſanæ habito, hæ, quæ luxuriæ, ſumptibuſque modum facerent, leges latæ, juſſæque fuerunt. Ne quis ſcilicet veſtes ſuas margaritis, auro, vel ſericis tæniis, ni aureorum quindecim multam committere vellet, exornaret. Qui, præter cingulo militari decoratos, Jureconſultos, & Medicos, calcaribus, freno, ephippio, ſtapiis inauratis, uterentur, ea amitterent. Muricum Ponticorum pelles ſoli Juriſperiti, & Medici induerent, cæteris honeſtis civibus, & mercatoribus, eas cucullo, & pileo tantum ſubſuere liceret. Qui ad militarem honorem aſpirarent, caligis coccinei panni, & equitandi inſtrumentis auro obductis abſtinerent. Mulier etſi nobilis, quæ veſtem, cujus fimbria palmorum quatuor modum ſuperaret, gereret, in aureorum quindecim, & ſartor qui eam confecerit, in aureorum ſeptem cum ſemiſſe pœnam incurreret. Ne veſtem aureæ fibulæ pluſquam ſeptem, & eæ nec pretii majoris, quam aurei unius cum dex-

tan-

tante, nec majoris ponderis, quam unius unciæ ſubnecterent; neque ab aurificibus majoris æſtimationis, & ponderis conflarentur: ſi contra fieret, & ei qui iis uteretur, & aurifici cuique auri pondo pœna eſſet. Ne cujuſque conditionibus mulieri in equitando ephippio, in quo auri, argenti, margaritarum, vel æris facti aliquid ineſſet, ac ſtragulo, pallioque, præterquam laneis, uti, neque artificibus ea conſtruere, integrum eſſet, muliere, quæ in hoc delinqueret, aureis triginta, artifice aureis quindecim multandis. Fibulas majoris pretii, & ponderis, ac ephippium, ſtragulum, & pallium vetitæ materiæ artifices ne advenis quidem, niſi petita a Magiſtratu venia, & ab advena dato ſacramento ea uſui ſibi futura, conficerent. Quælibet mulier, quæ pileum margaritis, vel encauſto ornatum gereret, pœnam triginta aureorum ſubiret, exceptis militum uxoribus, quæ ſertum, quod calanticæ genus erat, margaritis, gemmis, aurove diſtinctum, modo ne ultra menſuram digitorum duorum latum eſſet, nec pinnas haberet, adhibere poſſent. Quæ cujuſcumque generis mulier inaures majoris aureis decem ſeptem cum ſemiſſe pretii gereret, aureorum decem ſeptem cum ſemiſſe pœnam dependeret. His de mulierum cultu finiendo legibus nec virgines, nec novæ per annum nuptæ tenerentur. Vetitis, quas quis haberet, veſtibus, modo auro, margaritiſve diſtinctæ non eſſent, mulieres ad biennium, viri ad annum uti poſſent. Qui ni ſponſum, vel ſponſam quarto gradu contingeret, ſi ad nuptias in loco, ab eo, in quo ipſe habitat, amplius triginta millium paſſuum diſtante, concelebrandas conveniret, aureorum decem pœnam contraheret. Ne ſub eadem pœna in nuptiarum celebritate veſtimenta hiſtrionibus dono darentur; neque eorum cuique plus, quam bini aurei cum ſemiſſe impertirentur. Nuptiæ interdiu celebrarentur. Noctu nemo nuptiarum domum adiret, niſi matrimonio conjungenda eſſet vidua, quam de noctu ad templum, & a templo domum proſequi cum cereis liceret, modo cerei non eſſent pluſquam duodecim, ſex ſponſo, totidemque ſponſæ præferendi; iidemque, ubi ad domum nuptiarum perventum eſſet, extinguerentur, ſub pœna aureorum quindecim, permiſſa iis, qui ad ſponſam viduam comitandam convocati eſſent, domum nuptiarum poteſtate petendi, & inde domum repetendi ſuam, ſi proceres, & optimates, cum ſex cereis, ſi inferioris ordinis, cum quatuor. Ne in nuptiis convivia inirentur publica; ſed tantum ad

ea

ea ſponſo, & ſponſæ genere proximi, & ii, qui pro nuptiis honeſtandis aliunde veniſſent, adhiberentur: neque plura, ſed unum tantum nuptiale appararetur epulum ſub pœna aureorum decem. Ne annuli, aliave munera, quibus poſtridie ejus diei, quo nuptiæ actæ fuerant, donari ſponſas in honore poſitum erat, in poſterum nec illo die, nec alio donarentur, donantibus aureorum decem pœnam ſubituris. In ejus ædes, qui poſtridie militari cingulo decorandus eſſet, noctu quoque conveniendi cuique copia eſſet, eumque ad templum deducendi, proceribus, optimatibuſque cum ſex cereis, aliis cum quatuor, ponderis quoquo tamen infra uncias centum octoginta, ni multam aureorum decem committere vellent.

Quoniam in re, in qua locum luxum, ambitionemque minus habere oporteret, locum quoque luxus, & ambitio ſibi ſatis, ſuperque vendicant, in funere nimirum, & luctu, ideo in hoc Meſſanenſi conventu funerum quoque apparatus, ac mœroris argumenta, quæ non tam ad pietatem erga defunctos ſignificandam, quam ad pompam, & ſpeciem quandam pertinent, temperare deliberatum fuit. Quia mos obtinuerat, uxorem quoque, filiaſque mariti, parentumque funus comitari, caput nudas, paſſiſque crinibus, omnes propterea mulieres, utcumque cum defuncto conjunctæ, ab exequiis proſequendis ſub pœna aureorum decem prohibitæ. Eadem pœna cautum, ut cadavera ad ſepulturam cooperta efferrentur; ut in funeribus nec præficæ, nec neniæ adhiberentur, neque aliquod pulſaretur lugubre organum, præficis, ſi adeo pauperes eſſent, ut noxam luere pecunia nequirent, fuſte multandis; ut ne mulieres quidem mortuo propiores eum ploratum feſtis, aliiſve diebus ſepulcrum adirent; ut nemo conſanguineus, vel affinis ob cujuſque obitum ultra octo dies barbam promitteret, præter filios, & fratres, quibus per menſem barbam, & lugubres veſtes gerere permiſſum; ut uxores tantum, & filiæ in morte conjugum, & genitorum, lugubria induerent, aliis propinquis, qui veſtes mutarent, aureorum quindecim pœnâ propoſitâ.

Qui genere diſtinguuntur, ſe a plebejis gloria majorum, & ſuis virtutibus, non exteriori cultu diſtingui, militeſque armorum potius, quam veſtium pulchritudini indulgere quum deceat, recte pariter proceribus, & militibus ſumptuum modus hiſce legibus, in eodem concilio certis pœnis ſancitis, præſcriptus fuit, ne veſtibus panni, qui

in

Digitized by Google

in ulnam pluris, quam aureo uno cum ſemiſſe valeret, uterentur: veſtimenta bis tantum anno inſtaurarent: ſi legati extra Regnum mitterentur, quamvis bis per annum ſe nova veſte induiſſent, aliam ſibi, ejuſdem tamen generis, legationis gratia ſibi comparare poſſent: tres tantum amictus, & inſuper unam domeſticam ſine manicis veſtem, unam item ad equitandum accommodatam, unum pallium cucullatum, & caligas coccinei panni haberent: ne ſuos familiares panno majoris, quam unius aurei cum uncia pretii veſtirent: ne convivia, in quæ quod impendendum eſſet, quotidianum ſumptum plus triente ſuperaret, extra locum, in quo commorantur, agerent: tantum quum armis ſe accingerent, iis tunicam coccinei panni, pallium ſerico inſutum panno, ac pileum, & hæc ſericis, vel auro intextis tæniis ornata, adhibere fas eſſet.

Interea dum a Federico hæc e re Siculá conſtituebantur, milites, qui ab Sicilia in Orientem tranſierant, a Roccafortio, quem, ut ante dictum eſt, ſibi ducem aſciverant, ad Brehennæ Comitem, Achajæ Principem, & Athenarum Ducem, defecerant. Et huic, eos, non perſoluto ſtipendio, dimittere inſtituenti, adeo præfracte obſtiterant, ut contra ipſos in aciem cum ſuis copiis deſcendere coactus fuerit, commiſſoque certamine, collectitii quamvis ii milites, & numero inferiores, tanta virtute conflixerant, ut hoſtibus cum ipſo Comite occidione occiſis, quum nemo, qui eis reſiſteret, ſupereſſet, in ſuam poteſtatem univerſam Achajam, Athenaſque levi negotio redegerint. Diffiſi autem eas provincias ſuis tantum viribus tueri poſſe, qui Federicum orarent, legaverant, ut ipſis aliquem ex liberis ſuis, qui eos deduceret, ac in Achaja, Atheniſque dominaretur, concederet. Federicus Achajæ, Athenarumque filio Manfredo Principe deſignato, primum Bernardum Eſtagnolum ex primoribus ſuis familiaribus cum quinque longis navibus, poſtea Alphonſum ſuum nothum cum decem navium claſſe, & idoneo Catalaunorum, & Siculorum militum numero, qui provinciis illis, quoad Manfredus per ſe poſſet, hujus nomine vicaria poteſtate præeſſet, delegavit (*a*). Ex claſſibus, copiiſque, quas Federicus in Orientem hu-

(*a*) *Inter Epiſtolas recens editas Antonii Auguſtini Tarraconenſis Pontificis extat Epi-*

Digitized by Google

hujus expeditionis cauſa miſerat, magna regiones, quibus Veneti illis in partibus potiebantur, damna ceperant. Ad hæc reſarcienda ſic cum Joanne Superantio, Venetorum Duce, rem Marco Juſtiniano ab Republica ad Regem legato agente, tranſactum fuit, ut Veneti, qui in Siciliam appellerent, portorii nomine dimidium tantum, quoad ex altero dimidio ſumma aureorum duodecim millium ducentorum viginti octo, quanti accepta ab ipſis damna æſtimata fuerant, conficeretur, penderent (a). Quod Achaja, Athenæque tam nobiles regiones ſub æmulæ gentis ditionem cecidiſſent, Robertus æquo animo ferre haud potuit. Hanc itaque priſcis, quas adverſus Federicum Pontifici maximo inculcabat, querelis addidit, ita ut fama pervaſerit ſacrum tunc indictum bellum eo præcipue ſpectaſſe, ut a poſſeſſione Achajæ, & Athenarum Federici progenies detraheretur; omneſque ſibi perſuaſerint, Robertum haud diutius cunctaturum, quin contra Federicum arma reſumeret. Hinc factum eſt, ut quo propius bellum adeſſe videretur, eo Federicus terreſtres, maritimaſque copias in dies augeret. Ad harum aliquam interim exercendam partem Maurorum Girbæ incolarum adverſus Chriſtianos, qui Inſulæ pro Rugerone Lauriæ nepote præſidio erant, ſeditio commodum interceſſit. Chriſtianis ſubſidio confeſtim Jacobum Caſellium cum quatuor longis navibus, ac ubi Caſellio a Rugeronis matre arcem, quæ Chriſtianis manebat, traditam cognovit, Peregrinum ab Pactis cum duodevinginti longarum navium claſſe, & idonea militum manu, in Girbam Federicus miſit. Peregrinus exſcenſione, nemine obſiſtente, facta, intro progreſſus, rebelles ad ſe defendendos ita paratos offendit, ut in ipſos inſtructa acie incurrere opus habuerit; commiſſoque prælio eos adeo valentes nactus eſt, ut, non paucis ex ſuis interfectis, ipſe in eorum manus inciderit. Nihilo tamen ſecius, qui ſuperfuere, Raymundi Montanerii, qui Peregrino capto, ipſorum imperium aſſumpſit, conſilio, ac virtute tamdiu perduellium impetus ſuſtinuerunt, quoad in eorumdem auxilium a Fede-

Epiſtola ad Fulvium Urſinium XII, de qua in hac expeditione mentio fit, deque Achaja, & Athenis in ſuam redactis ditionem.

(a) *Vide Monum. num. XXVIII.*

Digitized by Google

derico miſſus cum viginti longis navibus, & militum bis mille ducentis, Conradus Lancea in Inſulam applicuit, qui Barbaris ſubactis, illam in Federici ditionem redegit. Unde haud parva ærario acceſſio facta eſt. Navigia enim fere omnia, quæ Alexandriam, celeberrimum tunc temporis emporium, navigabant, Girbam inſulam tenebant; ab eiſque haud exiguum ſtationis nomine vectigal exigebatur. Præterea Tuneti Rex, ne ex hac inſula, ſuo Regno tam proxima, negotii aliquid ſibi exhiberetur, novum tributum, Siciliæ Regi pendendum, ſibi imponi paſſus eſt. Recepta inſula, Lancea Siciliam repetiit. Montanerius vero in ea manſit, a Federico ad procurandam, quam conſervarat, delectus.

Dum Robertus renovandi adverſus Federicum bellum opportunum captabat tempus, Federico Robertum præoccupandi perquam idonea oblata fuit occaſio. Alberto Occidentis Imperatore demortuo, ſublectus Imperator Henricus VII. fuerat. Is, a Gibellinis inſtinctus, in Italiam armatus ad jura Imperii recuperanda deſcenderat. Clemens Pontifex maximus, ſe ab Italia abſente, rebus ſuis, ſuorumque Guelforum, præmetuens, ſuum in Italia pro Pontificia ditione, Guelforumque partibus ab Henrico tuendis, Vicarium Robertum creavit. Federicus, qui in occaſionem ſe contra Robertum præmuniendi imminebat, primum Galvanum Lanceam Genuam, ubi Cæſar tum conſidebat, ut eum ſuis verbis ſalutaret, munera donante, donandoque digna præberet, animumque nudaret, dein Manfredum Claromontium, qui cum ipſo fœdus iniret, Legatos miſit. Henricus, Legatis honorifice acceptis, libenter cum Federico anno MCCCXIII fœdus pepigit; eumque Romani Imperii ſupremum claſſis, maritimarumque regionum præfectum, unaque, qui gubernaret quidquid Genuenſes, Piſanique Gibellinæ factionis navalium copiarum ad bellum contribuerent, eumdem ducem conſtituit, ita ut terra ab Imperatore, mari ab Federico bellum adminiſtraretur. In hoc itidem fœdere Beatrix, Henrici filia, Petro Federici filio, puero licet, deſponſa fuit. Interea Henricus Piſas, quæ civitas Gibellinorum veluti arx tunc temporis ponebatur, progreſſus, conventum in ea habuit; in quo conventu auctoritate, quam Imperatores Occidentis in univerſam Italiam tunc ſibi arrogabant, Robertum tamquam Imperii vectigalem per præconem ad cauſam dicendam citavit; qui quum intra præfinitum tempus nec per ſe, nec per alium, judicio ſe ſtitiſſet, quaſi contuma-

cem, perduellionis reum, & publicum Imperii hoſtem, omni dignitate, honore, poteſtate, ditione privatum, eidem ſubjectos fidei ſacramento ſolutos, ipſumque capite damnatum pronunciavit. Egit quoque, ut Piſani ſuam claſſem, quæ Federici mandatis præſto eſſet, in Siciliam tranſmitterent.

Ut fœderis a Federico cum Henrico percuſſi fama ad aures Jacobi Aragonum Regis accidit, quod ſua intererat fratrem, Robertumque bello vacare, ut ſibi ad obtinendam Sardiniam, quam aggredi in animo fixum habebat, auxilio eſſent, primum Conſalvum Eſquerretium, deinceps Beltrandum Cannellam oratores, qui Federicum a bello adverſus Robertum capeſſendo ſuis verbis averterent, in Siciliam miſit; ſed irrito conatu; nam oratores, nullo certo ab Federico ablato reſponſo, in Aragoniam reverſi ſunt. Nec Federicus moratus eſt bellum contra Robertum ſuſcipere, illudque edicere, ut mercatores, nautæque Siculi ab Neapolitanis piratis ſibi caverent; ipſique noſſent, ſibi piraticam in Neapolitanos facere viciſſim permiſſum. Meſſana itaque cum Sicula, Piſanaque, quæ jam eo advenerat, claſſe, ac valido exercitu ſolvens, in Brutium trajecit. In Rhegii litus expoſito milite, urbem circumſedit, & intra paucos dies in ſuam redegit poteſtatem; arcem vero adeo tormentis quaſſavit, adeoque præſidiarios milites jaculis preſſit, ut ii, quum jam noſtri ſcalis admotis, explicatis ſignis, tubiſque canentibus, in muros evaderent, ſeſe dedere coacti fuerint. Neque ſolum armis, verum etiam pecunia, non minus ad bellum neceſſaria, Federicus Henricum juvabat, ad eum aureis quinquaginta millibus muneri miſſis. Quod ſubſidium Cæſari perquam opportunum advenit, quum ipſe Neapolitanum cum maximis, quas cogere ex Germania, & Italia poterat, copiis Regnum invadere accingebatur; & Manfredum Claromontium ad Federicum remiſerat, ut ei, quam citiſſime poſſet, ſignificaret; quandoquidem jam ipſe in expeditionem adverſus Neapolitanum Regnum proficiſcebatur, oportere & eum Brutiis dimiſſis, cum ſua claſſe, militeque, ac Piſanorum navibus Cajetam, quo Lamba Auria cum Genuenſium navibus convenire quoque debebat, quamprimum contendere, ut conjunctis viribus communem hoſtem facilius debellarent. Itaque, etſi oppidis Rhegio finitimis vel vi captis, vel in deditionem acceptis, Calannæ caſtro ſitu, & opere quamvis valido, nec reſiſtere auſo, eo loci in Brutiis res erat, ut parum abeſſet, quin metu perculſa provincia tota, non

V 2 ex-

expectatis belli eventibus, ultro in Federici poteſtatem concederet: nihilo tamen ſecius is morem Imperatori gerere ſui eſſe duxit officii. E Brutiis igitur diſcedens Mylas ſe tranſtulit; & inde cum claſſe, præter Piſanas, quinquaginta navium, vela Cajetam verſus dedit. Claſſis ad Strongylem unam ex Æoliis, feliciter navigabat, quum ei Piſanorum occurrit ſpeculatoria, qua ad prætoriæ navis puppim accedente, Palaſſinus Truſellus, qui a Piſanorum communi ad hoc miſſus fuerat nuncius, mœrorem vultu, & habitu præſeferens Federico Imperatorem vitam finiviſſe renunciavit. Interiit Henricus, vix aſſumpto imperio, & quum aliud quicquam, victorias nempe, Guelfos perdomitos, univerſam ſubactam Italiam, jura Imperii vindicata, triumphos, ſempiternam ſuo nomini partam gloriam, quam mortem, ut ſunt vanæ mortalium cogitationes, humanarumque rerum eventus incerti, cogitabat. Mortuus eſt in Bonconventi exiguo Senenſis agri oppido; & quod miſerabilius fuit, non neceſſitate naturæ ex morbo, ſed hominum opera, ut rumor fuit, ex veneno. Ei juſta concelebrata Piſis maximo luctu fuere; ejuſque corpus ibidem in Æde principe conditum fuit.

Henrici morte nihil Roberto ſecundum magis, Federico nihil magis adverſum cadere poterat. Roberto, quæ belli terra, marique immanis impendebat, procellam, ut ipſum eam non expectaturum, ſed in Provinciam ſeſe recepturum fama fuerit, una Henrici mors diſpulit. Eadem Federicum bello, quod ob fœdus cum Henrico percuſſum a ſuo Regno dejeciſſe credebat, eo magis implicuit, quo magis Robertum ob idem, in ejus perniciem compoſitum, fœdus offenderat. Nihilo tamen ſecius Federicus, ut ille, qui adverſam æque, ac ſecundam pulcherrime ferebat fortunam, animo nihil cecidit. Sed quum ſuos, quid factu opus eſſet, conſultaſſet, quamquam non pauci illico Siciliam repetendam exiſtimabant, ipſe tamen Piſas petere decrevit, ut ibi quænam rerum commutatio ob Cæſaris obitum facta, qualis Gibellinis mens, quinam animus, quantum virium ſupereſſet, num incepta perſequendi locus daretur, exploraret. Eo igitur curſum inimica, quæ occurrunt, litora populabundus dirigit. Quum navigaret, in Genuenſium ad Cajetam tendentem incurrit claſſem; de morte Imperatoris Auriam docet; pertrahitque in ſuam de Piſis adeundis ſententiam. In Piſanum portum appulſus Piſas pergit. Piſani cives, ac quotquot Germani Piſis remanebant, ei obviam prodeuntes ſub um-

Digitized by Google

umbella (*a*), quod Regiæ dignitati conveniebat, ipſum in urbem deduxerunt. Ad Federici conſpectum refricato dolore, quem ipſi ex Henrici deceſſu magnum acceperant, ad luctum, complorationemque reditum Piſis fuit non ſine ipſius Federici animi commotione, qui ſpeciem quoque, & veſtes, ut ex officio erat, ad mœſtitiam, qua & ipſe hunc ob caſum afficiebatur, accommodavit. Germani, Piſanique in Federici fidem, arbitriumque ſeſe committere animum induxerant; & Piſani civitatis imperium ei inſuper obtulerunt. Is vero, quod maximam Germanorum partem, Cæſare extincto, abiiſſe, Piſanoſque non ſatis firmos cognovit, ac ne ſuos, ut alienis præſidio eſſet, deſtitueret, quod ab Germanis, Piſaniſque ſibi offerebatur vel prorſus renuit, vel, ut Villanius tradit, tam arduas dedita opera propoſuit conditiones, ut in eas conveniri nequaquam potuerit. Illos itaque blande conſolatus, illud Virgilii: *Quo fata trahunt, retrahuntque, ſequamur*, repetendo, adhortatuſque tempori parere, ac omne ſuum ſtudium, operamque ipſis pollicitus, ad Piſanum portum ſe retulit, inde primo quoque tempore Siciliam verſus claſſem ſoluturus. Ut primum itaque commodum nactus fuit mare, claſſem in altum vela dare juſſit. Hanc feliciter ad Sardiniam provectam adverſi venti ibi aliquot detinuere dies. Favonio ſurgente curſum perſequuta, jam in Auguſtæ conſpectum pervenerat; quum, ſubſolano erumpente, vis tam atrox, tamque pertinax tempeſtatis eam adorta eſt, ut ipſi non alia ſalutis ratio, quam Sardiniam, & quidem non ſine periculo, repetendi conſtiterit; ibique unum ſupra quadraginta dies in ſumma cibariorum inopia perſtare neceſſe habuerit. Ubi tempeſtas exſæviit, hinc ſolvens, quam hactenus incommoda, tam ſecunda deinceps uſus navigatione, brevi, ac proſpere Drepanum appulit.

Fe-

(*a*) *Specialis habet:* Pallium, quod dignitati Regiæ congruit, proferentes. *Hoc in loco* Pallium, *vel* Palium, *idem valet, quod vulgari lingua* Baldacchino, *& latine* Umbella. *Veteres Etruſci Scriptores, ut Matthæus Villanius*; *pro* Baldacchino *voce* palio *utuntur*. *En Villanii locum* 9. 42. I Fiorentini per onorare il Capitano gli mandarono incontro alla porta un ricco palio d'oro, levato in alla con grandi drappelloni pendenti alla reale, ſotto il quale vollero, ch' egli entraſſe nella terra. *Hæc pallii, ſeu palii ſignificatio in ſuo Gloſſario ad Scriptores mediæ, & infimæ Latinitatis Cangium præteriit.*

Federici reditus gaudio totum perfudit Regnum. Siculi, qui amore in eum flagrabant, quique in eodem fortunas ſuas omnes repoſitas habebant, quemadmodum non eſſe de ipſius abſentia triſtes, ſollicitique, ita quod idem ſoſpes, incolumiſque rediiſſet, non gaudere non poterant. Tantum enim abfuit, ut inopinatus, quem Federicus ſubierat, adverſus caſus, Siculorum in eum animum, vel minimum immutaverit, ut Regni communium Oratores, acto Meſſanæ conventu, Petrum ejus filium Regem, ipſo vita functo, ſalutandum, ac habendum, ſacramento firmarint, quo Roberto ſpem omnem, ſe ab fide, ac ſtudio in Federicum, ejuſque progeniem diſtrahi unquam poſſe præciderent. Federicus pariter, ut oſtenderet & ſe ob hoc infortunium animum nequaquam demiſiſſe, Siciliæ Regis titulum, quem, uti docuimus, dimiſerat, reſumpſit, datis Ennæ, quo ſe contulerat, Panormitanis Magiſtratibus literis, quibus literis, propterea quod Robertus bellum contra ipſum moliebatur, ut Regis Siciliæ titulus ſibi, ut antea, attribueretur, juſſit *(a)*. Ipſum vero hoc titulo, quum ad fratrem Aragonum Regem ſcribebat, ſe etiam poſthac abſtinuiſſe ex ipſius literis pro Iſabella ab Empuriis in matrimonium cum Othone Montecateno, quem conſanguineum ſuum dicit, collocanda, ad Jacobum ſcriptis, ſatis conſtat *(b)*. Et quidem Robertus, cui alioquin deliberatum erat adverſus Federicum bellum renovare, eidem, quod rupta pace in ipſius exitium cum Henrico conſpiraviſſet, quam qui maxime iratus, ſtimulos non ſolum, quo jampridem Siciliæ inhiabat obtinendæ, verum etiam recentis ulciſcendæ injuriæ ſtudio admovente, copias ad Henrici vim propulſandam comparatas in Federicum vertere feſtinabat. Non potuit tamen hanc expeditionem ita maturare, quin in Federici auxilium Ferdinandus Balearium Regis filius, cum plurimis nobilibus, atque lecta militum manu ex Hiſpaniis, quo Neapoli, ubi captivus detinebatur, redierat, in Siciliam trajeciſſet. Hic cum Roberto affinitate licet conjunctus, Robertus namque, mortua Jolanta, Sanciam Ferdinandi ſororem uxorem duxerat, affinitati conſanguinitatem, vel potius amicitiam, quæ vetus inter

ter

(a) *Vide Monum. num. XXIX.*
(b) *Vide Monum. num. XXX.*

Digitized by Google

ter ipſum, & Federicum intercedebat, anteponendam hoc maxime neceſſario amici tempore duxit. Nec Federicus gratum ſe amico præbere cunctatus eſt. Ei enim, ut Siciliam attigit, Catinam urbem, quoad viveret, & inſuper aureos quinque mille, quotannis ex ærario pendendos, dono dedit. Per idem tempus, & ex Hiſpaniis itidem, Federici ſigna ſequuturi, in Siciliam tranſierunt Bernardus Sarria, relicto, quo in Aragonia, ut diximus, fungebatur, Præfecti claſſis munere, & pro itineris expenſis bonis ſuis pignori obligatis, cum tercentis equitibus, ac mille peditum, Catalaunorum, & Aragonienſium, itemque Dalmas ab Caſtronovo cum centum equitum, & ducentis peditibus, aliique non pauci illuſtres viri. His auxiliis acceptis Federicus, qui Ennæ, ut inde, quo vis belli incumberet, occurreret, ipſe conſiſtere in rem eſſe duxerat, curavit, ut Sarria cum ſuis militibus Panormi conſideret, Dalmas in Brutios trajiceret, quo oppida ibi capta tutaretur.

Dum hæc a Federico in ſui præſidium diſponebantur, Roberto ad bellum adverſus illum capeſſendum, ſi hujuſcemodi quicquam de Rege haud vani ingenii credendum ſit, animum addiderat reſponſum a divinis, quos aliqui ex ſuis Purpuratis de hujus expeditionis exitu conſuluerant, redditum, ipſum nempe Siciliam capturum, ab eaque ſpolia reportaturum. Alacri itaque animo adornata viginti ſupra centum longarum navium, partim Neapolitanarum, partim Provincialium, & Genuenſium Guelfæ factionis, præter naves onerarias, claſſe, ipſe cum matre, conjuge, ac fratribus prætoriam conſcendens, anno MCCCXIV Quinctili menſe, in Siciliam contendit, ſecum quater mille equitum, & magnam peditum vim, ac plurimos ſui Regni proceres, nec paucos nobiles Guelfæ partis alienigenas adducens. Appulit ad litus, quod Hyccaram inter, & Segeſtanorum emporium, haud procul Panormo, jacet; ibique e navibus educti milites, nulla mora, in circumjacentes populabundi ſeſe effundunt agros. Dum hac illac excurrunt, in ipſos quædam Alcamenſis muliercula incidit, pannoſa quidem, quæ cum ſuis ſarcinulis in montana trepida profugiebat. Hanc correptam ad Robertum, tamquam primum belli munus, adducunt. Is rerum Sicularum ſtatum noſcendi cupidus eam prius de nomine percontatur. Quæ, quum reſpondiſſet, ſe Siciliam nuncupari, Robertus, ne quod hariolі vaticinati erant, ipſum nempe Siciliam capturum, hac capta muliere impletum eſſet, vereri cœpit. Nihilo tamen

men

men ſegnius bellum ab Segeſtani emporii caſtro aggrediendo exorſus eſt. Præerat huic caſtro Raymundus Blancus. Hic ab Roberto operâ Berengarii Carrocii pollicitationibus non modo, ſed & præſenti pecunia, quæ maximam vim habet, & ſemper virtuti inimica extitit, corruptus, caſtrum per deditionis ſpeciem prodidit. Quo facto, eo progreſſus eſt audaciæ, ut ratus ſuam perfidiam Federicum latere, ei ſe perfricta fronte obtulerit, qui ipſum tamquam proditionis reum cum tribus flagitii conſciis extemplo ſecuri percuti juſſit. Hujus hunc ad modum caſtri Robertus potitus, eique præſidio Genuenſibus, qui ſecum erant, relictis, cum claſſe, & exercitu ad propinquam Drepanum urbem progreſſus, illam terra, marique obſidere inſtituit. Drepanum natura, & manu prope inexpugnabile, & quod propter circumjacentia minus ſalubria loca ſine morborum contrahendorum periculo diu obſideri non poterat, Federicus milite, commeatuque egregie inſtruxerat. Ei Simonem Valguarneram, cujus antea meminimus, virtute, ac ſcientia, uſuque bellicarum rerum excellentem, & Berengarium Villaraputium ſtrenuum & ipſum ducem, præfecerat. Cives extrema experiri potius, quam in Roberti ditionem venire animo parati erant, ita ut non deſint, qui tradant, Robertum non ex ſua ſententia Drepanum appetiiſſe, ſed Federici artificio, qui rationem iniit, qua Roberto hanc urbem non aliter, ac caſtrum emporii Segeſtani ſibi proditum iri falſo perſuaſum fuit, idque Federicum eo molitum fuiſſe conſilio, ut hoſtium in ea obſidenda vires frangerentur, diſſiparenturque. Ut ut autem hæc res ſeſe habuerit, & ut ut Drepanum validum, munitumque eſſet, ubi ad illud Federicus hoſtem acceſſiſſe cognovit, Enna ad Caſtrinovi oppidum movit, eoque Regni proceres, militareſque viros convocavit, ut & obſeſſæ urbi auxilium ferret, & hoſtes ab excurſionibus prohiberet. Mandat ergo Ferdinando Balearium Regis filio, ut ducta equitum, & veteranorum manu, ac ſe cum Bernardo Sarria, qui Panormi conſiſtebat, copiiſque, quibus is imperabat, conjungens, ad Erycem, qui magni quondam nominis locus Drepano inſidet, ſe conferat, ut inde, qua hoſtes evagarentur, obſervaret, eiſque obviam tempore iret. Quo factum eſt, ut obſeſſores & ipſi quaſi obſeſſi diſcurrere ſine diſcrimine non poſſent, commeatibuſque excluderentur, atque icciirco urbem vehementius oppugnarent. Erat in Roberti exercitu Galeacius, Gallus quidam ſingularis virtutis miles. Hic armis inſignis ſolus mœnibus ſuccedens, præſi-

Digitized by Google

ſidiarios milites ad certamen provocat. In certamen ſex exeunt clypeati viri, qui quum eum miſſilibus incaſſum appetiiſſent, diſtrictis gladiis adoriuntur. Galeacius ictus declinat, clavamque rotans, alium hinc proſternit, alium illinc repellit. His totidem alii, eiſque alii ſuccedunt, & omnes eumdem ſubeunt caſum. Creſcit numerus pugnantium; ſed Galeacio nec animus, nec robur deficit. Quotquot ei ſeſe offerunt, aut profligantur, aut propulſantur, ipſo incruento, intactoque. Obſeſſi, quos tam admirandæ pugnæ ſpectaculum ad mœnia frequentes pertraxerat, quem expugnari armis diffidebant, ingenio ſuperare inſtituunt, machinâ inſtar unci e muris injectâ eum ſublimem arreptum tali impetu dejiciunt, totum ut conquaſſari neceſſe fuerit. Sic affectum, ſemianimemque, quem modo, qui contra eum in pugnam prodierant, ne minimum quidem vulnerare potuerant, tot, tantiſque confodiunt plagis, ut Roberto, ejus cadaver quoquo pretio redimere volenti, remittere abnuerint, ne illud tam fœdatum videns majorem in ipſos iram conciperet.

Roberti navibus, quæ mari Drepanum obſidebant, excurrere ad prædas agendas prohibitum, ut terreſtribus copiis, non erat. Barcinonenſem onerariam navem aſſequutæ, eam prædantur. Senatus, populuſque Barcinonenſis de hac injuria popularibus ſuis illata, datis ad Robertum literis, conqueritur; inſtatque, ut illis navis reſtituatur, damnumque reſarciatur. Robertus Senatui, populoque Barcinonenſi reſcribit, quoniam Aragonienſes, Catalaunique per ſpeciem mercaturæ faciundæ homines, armaque Federico, Siculiſque ſuis hoſtibus ſubmittunt, ac ab Sicilia frumentum, aliaſve merces exportant, unde pecuniæ in eam, qua bellum contra ipſum alitur, plurimum emanat, jure Barcinonenſem navem, ut gentis, quæ auxilio, adjumentoque hoſtibus eſt, ab ſuis fuiſſe navibus captam; nihilo eo ſecius, quo Aragonum Regi gratificetur, eam reddi, litemque æſtimari juſſiſſe, non dubitans Barcinonenſem Senatum curaturum, ut in poſterum nihil opis, emolumentive Federico, Siculiſque ſui populares ulla ratione ferrent. His in literis Robertus Federicum injuſtum Regni poſſeſſorem, fœdifragum, Siculos rebelles, eos, eorumque bona proſcripta prædicat. Federicus, ut de hac epiſtola certior factus eſt, eidem Senatui, populoque Barcinonenſi ſcribere itidem ipſe operæ pretium exiſtimavit, quo ſibi, Siculiſque ab Roberto objecta refelleret; ſe mirari, Robertum, virum doctri-

na, æquitateque præditum, talia contra ſe & proferre, & agere; ſe juſtum Siciliæ Regem, utpote ejus Regni auctore prognatum, a nemine, qui recte judicet, in dubium revocari poſſe; ſe pacem cum Rege Carolo compoſitam nequaquam fregiſſe, Roberti conſilid eam quamprimum frangendi tantum antevertiſſe, ſuis cum Cæſaris, a quo Robertus rebellarat, armis conſociatis; Sicolos fidem ergi ſuos juſtos Reges contra Andegavenſium conatus præſtitiſſe; quam injuſta Roberti ſit cauſa, ab difficili loco comprobari, in quem Deo, injuſtitiæ vindice, cum tantis terreſtribus, maritimiſque, queis Siciliam invaſurus venerat, copiis, res ejus ad Drepanum deductæ ſint *(a)*.

Neque Federicus rem exagerabat: mala enim quæ exercitibus maxima accidere poſſunt, annonæ nempe difficultas, & caſtrenſes morbi, ea ambo in Roberti exercitum, qui quatuor jam menſes Drepanum fruſtra obſidebat, eo facilius inceſſerant, quod excurſionibus, unde cibaria ſibi comparare poſſet, ut dictum eſt, prohiberetur, & caſtra in gravi loco poſita eſſent, nec militibus de tecto, unde ab æſtu, qui anno illo vehementer, & præter morem exarſerat, pluvia, ventis, nocturno rore, frigore defenderentur, ſatis proviſum. Quæ mala per æſtatis tempus tolerabilia, autumno invaleſcente, eo uſque invaluerunt, ut ipſorum non paucis vita, omnibus vigor animi, corporiſque in dies deficeret. Res quum ita ſeſe haberent, Federicus huic tam opportuno expugnandi hoſtem tempori non defuit; & quoniam ipſum non præteribat, belli ſummam in Sicilia, ut in inſula, maritimis in copiis præcipue verti, hoſtium caſtra ſimul, & claſſem appetendas e re duxit, eo maxime, quod claſſis non tam probe inſtructa erat, & in ipſam quoque lues irrepſerat, ac per eos dies quadraginta ex illa naves ſubductæ fuerant, profectæque ſub Berengarii Carrocii imperio, ut in Girbam inſulam, quam, ut ſupra docuimus, in ſuam Federicus redegerat poteſtatem, impetum facerent. Federicus itaque quas Panormi, Meſſanæ, Syracuſis, & alibi naves habebat, adornari, ac omnes Panormum convenire juſſit; unaque quas plurimas po-

(a) *Vide has Roberti, & Federici literas in Chronico a Martene edito cap. LXXX. & LXXXI.*

Digitized by Google

potuit terreſtres copias ex Regno contraxit; mandavitque urbi Panormi Præfecto, ut Panormitanos quot equites poſſet, ac quatuor peditum millia in procinctu haberet *(a)*. His rebus mandatis, ab Caſtronovo Corilconem, & inde Panormum VIII. Calendas Novembris proceſſit. Eo quum jam claſſis univerſa conveniſſet, Rex in campum ad Divi Georgii eos, quibus terra, marique in expeditionem proficiſcendum erat, ad concionem vocatos, paucis, ſed dignitate, auctoritateque plenis verbis ad eam alacri, fortique animo capeſſendam adhortatus eſt, ipſos & de opportunitate rei bene gerendæ, hoſtium fame, morboque attenuatis viribus, & de gloria, quæ, ſi Deo bene juvante tantam terreſtris, maritimique belli molem uno concurſu everterent, Siculæ genti acceſſura eſſet, admonens. Dimiſſa concione, & imperio claſſis Joanni Claromontio commiſſo, eoque juſſo, ubi opportunam nactus eſſet tempeſtatem, recta Drepanum petere, Rex ipſe exercitum Erycem verſus magnis itineribus ducit, ut cum copiis, quas ibi Ferdinandus Balearium Regis filius habebat, ſuis conjunctis, hoſtem eodem tempore, quo mari claſſe, terra acie aggrediatur.

Nec Robertus, ut cognovit Federicum ad ſe impugnandum terra, marique properare, quicquam, quod ad hoſti reſiſtendum pertineret, reliqui fecit. Naves, quas, uti dictum eſt, ad Girbam invadendam miſerat, revocavit; cæteras, quas potuit, unum in locum coegit; terreſtres copias ad litus, cui claſſis applicita erat, admovit, ſublicio ponte confecto, quo exercitus claſſi, in qua omnis ſui, ſuorumque ſalutis ſpes poſita erat, labanti, integro ſubmiſſo milite, ſubſidio eſſet. Interim Sicula claſſis, quam Bernardus Sarria, Pontius Caſtellarius, aliique non pauci Catalauni, Siculique conſcenderant electi viri, ad longarum navium quinque ſupra ſexaginta, præter minora navigia, numerum, hoſtili tamen claſſe numero longe inferior, Panormo X. Calendas Decembris Drepanum verſus proſpere ſolvit. Navigarat ſecundo mari, ſuiſque ventis inter incondita nauticæ turbæ carmina; proſperoque flatu Divi Viti promontorio ſuperato, jam in Bonagiæ ſinum

(a) *Hoc Monumentum habetur inter Privilegia Urbis Panormi ab laudato de Vio edita f. 51., & in Chronico apud Martenem cap. LXXXII.*

Digitized by Google

num flectebat, ita ut hoſtem perſpiceret, perſpiceretur ab hoſte; & eodem tempore Federicus ab Eryce cum exercitu, inſtructa acie, deſcendebat, quando repentina, noto conſurgente, tam adverſa tempeſtas extitit, ut navium magiſtri, quamvis, ut curſum tenerent, omnes nervos contenderint, proras vertere, ac unde diſceſſerant, redire coacti fuerint. Claſſis itaque incolumis quidem Panormum IV. nonas Decembris repetiit, ſed brevi a nautis, claſſiariiſque ob commeatus inopiam deſerta. Federicus quoque, claſſis inſpecto caſu, Erycem cum exercitu receſſit; ubi quoque non parum annonæ difficultate laboratum eſt.

Tempeſtas hæc Federico haud modica peperit incommoda, victoriamque ex ejus eripuit manibus; at longe graviorem Roberto cladem attulit: nam hujus naves, quippequæ ad litus applicitæ, ingens ex eadem accepere detrimentum; ex eis non paucis, qua ad terram allifis, qua non ſine magna hominum jactura a fluctibus abſorptis. Robertum itaque, & Federicum incertæ belli fortunæ pariter pertæſos, ejuſdemque inopinatis fractos caſibus, Reginis matri, & uxori Roberti, ſocrui, & conſobrinæ Federici, quæ, ut diximus, cum Roberto verſabantur, ut bello ſuperſederent, Ferdinando Balearium Regis filio reconciliatore inducere, quod utrique in rem erat, facile factu fuit. Ultro, citroque internunciis miſſis, etſi ſui conſiliarii Federico bellum urgere ſuadebant, quandoquidem hoſtis vires adeo attritæ erant, ut certam ab eo victoriam conſequi poſſet; ipſe tamen ab armis ceſſandum ſatius arbitratus eſt, eo contentus, quod irrito conatu ſine ſui, ſuorumque diſcrimine ex ſuis finibus hoſtis decederet; tantuſque belli turbo nullo ſibi, ſuiſque inſigni illato damno, evaneſceret. Hinc Comite Riccardo Paſſaneto Federici, Thoma Marzano Scylacæi Comite Roberti internunciis, Ferdinando Balearium Regis filio auctore, induciæ XVI. Calendas Januarii anno MCCCXIV in Martium menſem (a) anni MCCCXVI pactæ fuerunt ſervandæ a Ro-

(a) *Sic habent literæ Federici ad Panormitanos de his induciis ſcriptæ, quæ in laudato apud Martenem Chronico extant, quæque & in fine hujus commentarii Monum. n. XXXI. legi poſſunt. Apud Specialem legitur, eas in tres annos, & menſes duos cum dimidio, & apud Villanium, in tres tantum annos conventas fuiſſe. Nobis Spe-*

Digitized by Google

Roberto in Sicilia, & adjacentibus, ac etiam Girbæ, & Carchis inſulis, ac in Rhegii civitate, aliiſque caſtris, & oppidulis, quæ in Brutio a Federico obtinebantur, & a Federico in Neapolitano Regno, in Provincia, in ſubalpinis, in foro Calcario, in foro Alieni, in Flaminia, in Tuſcia, in Gallia Ciſalpina, in Romæ urbe, territorioque, in Campania, & in Emporii Segeſtani caſtro, quod nuper Robertus occuparat, ſic ut per induciarum tempus his in regionibus alteri ab altero in eo, quod quiſque poſſideret, negotium non exhiberetur; res eo, in quo eſſent, loci manerent: populi utriuſque amice utrimque haberentur. De his induciis Federicus, literis ab Eryce eodem die, quo eæ compoſitæ fuere, datis, Senatum, populumque Panormitanum certiorem fecit, Dei beneficio adſcribens, quod non præliis, cædibus, populorum clade, ſed induciis, quæ pacis prænuntiæ ſunt, & his ab hoſte expetitis, bello tantâ irâ, tantiſque viribus ſuſcepto, impoſitus finis fuerit *(a)*. Induciis firmatis, ac poſtquam, ut aliqui Scriptores memoriæ prodiderunt, in Roberti caſtris Robertus, & Federicus Petro filio comitatus ſeſe viſerunt, conſalutaveruntque, Robertus cum triginta navibus, quas ipſi tempeſtas ad navigandum aptas reliquas fecerat, ex Drepanitano litore Neapolim III. Calendas Januarii ſolvit, infauſtum, ut cætera, nactus reditum; namque in eo Gerardum, Coriliani Comitem, quem cum primis carum habebat, deſideravit. Ex Roberti hominibus, quamvis non paucos morbi & tempeſtas abſumpſiſſent, & multi ad Federicum tranſiviſſent, quum nihilominus reliquis recipiendis naves, quæ ſupererant, neutiquam ſuffeciſſent, horum complures Federici permiſſu pedibus Meſſanam contenderunt, inde in Brutium trajecturi, in Sicilia affectis navigiis, magnoque equorum numero, qui venum deinceps ierunt, relictis.

Eodem die, quo Robertus a Sicilia receſſit, Eryce Federicus, exercitu copioſiora in loca traducto, Panormum regreditur, Urbem per Divi Georgii portam iniens; ac ad Regiam uſque ſub um-

Specialis, & Villanii auctoritas præ literarum Regiarum teſtimonio levior, quam ut illam potius ſequeremur, viſa eſt.

(a) *Vide hoc Monumentum inter laudata Privilegia Urbis Panormi ab de Vio collecta f. 315. & in Chronico apud Martenem cap. LXXXII.*

Digitized by Google

umbella incedens *(a)*. Ubi Panormum venit, claſſem, quæ, uti docuimus, eo ſe receperat, quia a bello ceſſatum erat, diſſolvi, naveſque ſubduci juſſit, animo ad eos, qui in tam difficili ſuo tempore, fidelem, utilemque operam ipſi præbuerant, vel incommodi quicquam ſubierant, remunerandos converſo. Lilybætanos, qui, nobili viro Joanne Ferro duce, ſuppetias ad Drepanum obſidione ſubtrahendam tulerant, tributorum vacatione donavit. Drepanitanos, quod obſidionem firmo tolerarant animo, beneficiorum, quibus Meſſanenſes, & Syracuſani fruebantur, participes fecit *(b)*. Erycinos, propterea quod in eorum finibus conſederat, tributis quoque, ac portoriis exſolvit *(c)*. Panormitanis, qui cum equitatu, peditatuque ſibi ſubſidio venerant, immunitates, quas habebant, ſartas tectas præſtitit. Rheginos item, incolaſque oppidorum, quibus in Brutiis potiebatur, quod tempore, quo in Robertum ſe inclinaſſe fortuna videbatur, hujus intra Regni fines in fide perſtiterint, portoriis pro invehendis Meſſanam, indeque exportandis mercibus exemit *(d)*. Cetariorum, quæ Panormo circumjacent, conductoribus integram thynnorum decumam Pontifici, Canonicisque Panormitanis præſtandam inculcavit *(e)*. Per hoc idem tempus occaſio oblata Federico fuit, ſe quoque Ferdinando Balearium Regis filio, pro hujus in ipſum cumulatis in dies meritis, magis, ac magis gratum præbendi, ſimulque ſuæ ſoboli Achajæ, Athenarumque principatum ſtabiliendi. Contendebatur de Peloponneſi principatus ſucceſſione inter Allobrogum ducis uxorem, & hujus ſororis filiam Iſabellam innuptam puellam, utpote ab Burgundiorum Ducis, qui illum acquiſierat, ſtirpe prognatas. Iſabellam mater Ferdinando Balearium Regis filio, collocare conſilium iniit, confiſa cum ipſius Ferdinandi vir-

(a) *In laudato Chronico ſic legitur*: Rex Federicus veniens de dicto monte intravit Panormum per portam S. Georgii, vadens ſub pallio uſque ad Palatium. *Hic quoque pallii vox pro* Baldacchino, *quod dicitur, ut eamdem alio in loco interpretandam demonſtravimus, accipitur.*

(b) *Vide Monum. num. XXXII.*

(c) *Vide Monum. num. XXXIII.*

(d) *Vide Monum. num. XXXIV.*

(e) *Hoc Monumentum vide inter Privil. Eccleſ. Panormitanæ ab laudato Mongitore edita f. 164.*

virtute, tum auxiliis, quæ idem a Federico habere poſſet, filiam in principatus poſſeſſionem venturam. Pactis Federico interprete nuptiis, Iſabella, & mater Meſſanam ſe contulerunt, ubi ſumma pompa concelebrato conjugio, Ferdinandus cum ſponſa, & ſocru Catinam perrexit, ut inde primo quoque tempore cum quingentis equitibus, & majore peditum vi in Sicilia conſcriptorum, in Peloponneſum tranſiret. Sed hanc expeditionem primum Iſabella, quod ventrem ferret, dein ejuſdem poſt maris partum ſummo viri, qui eam deperibat, dolore, mors remorata fuit. Tam vero acerbus caſus Ferdinandum neutiquam diſtinuit, quin Peloponneſum peteret, & tum ſuis copiis, tum ſubſidiis ab Catalaunis, qui, ſicut ſuo ſcripſimus loco, in Achaja conſidebant, acceptis, univerſam regionem ſub ſuam poteſtatem brevi ſubjungeret. Verum enim vero, vix duobus, ex quo Peloponneſum attigerat, elapſis menſibus, lethali tentatus morbo, in ætatis gloriæque ſuæ flore, maximo omnium, & in primis Regis noſtri luctu mortem obiit.

Sub idem tempus, quum reipublicæ nummos non adulterari, nec plus valere, quam argentum, aurumque, ex quo conſtent, valet, permagni intereſſet, Rex noſter, ut in re nummaria moderanda ſua cura deſideraretur, non commiſit. In uſu quidem argentei erant nummi Perreales (a) dicti. Hi nummi quum, haud novum quod ſubeat ſignata pecunia malum, mutilati, attonſique fuiſſent, Rex, datis Meſſanæ, quo per hos dies Panormo demigrarat, literis, edixit, ne ii amplius nomine, & numero, ſed pondere æſtimarentur; neque veteres denarii, niſi qui in Meſſanenſi moneta percuſſi eſſent, quandoquidem cæteri improbi, ſolvi, vel exigi poſſent. *Ducatul*, *Floreno*, *Genoyno*, aureis, qui appellabantur, primo Veneto, alteri Florentino, tertio Byzantino, nummis pretium conſtituit (b). Dum ipſe Meſſanæ ha-

(a) *Nummi primum aurei, poſtea argentei genus, quod ſub Petri I. Aragonienſis Regno cudi cœptum, Perrealis, ſive Pierrealis, ideſt Petrus regalis, dictum. Appellabatur etiam ex eadem cauſa Raonenſis, ſive Aragonienſis. De hoc nummo conſule Parutam, Leonardum Auguſtinum, & Lamium in notitiis literariis anni* 1754.

(b) *Hæc Monumenta inter Urbis Panormi Privilegia edidit laudatus de Vio f.* 57. & 59.

habebat, appulit Panormum cum quatuor longis navibus Maria, ſoror Henrici Regis Cypri, quæ Famæ Auguſtæ Pontifice, aliiſque principibus comitata viris e Cypro profecta, Hiſpanias petebat, & Jacobo Aragonum Regi, qui Blancam primam uxorem per hos annos amiſerat, nuberet. Ea ex prætoria deſcendens, ad caſtrum, quod mare adjacet, triduum diverſatur, a Panormitanorum communi exquiſitis laute donata xeniis.

Inter hæc, vita Clemente V. functo, creatus Pontifex maximus fuerat Joannes vulgo XXII. aliis XXI. revera XX.; induciarumque cum Roberto pactarum dies exierat. Quo factum eſt, ut Federicus nihil faciundum moræ ratus, quominus hoſtes omnino ab Regno ſummoverentur, Bernardo Sarriæ juſſit, ut ad recipiendum Emporii Segeſtanorum caſtrum, quod ab hoſtibus teneri demonſtravimus, cum idonea militum manu extemplo proficiſceretur, machinis ad caſtri oppugnationem partim Drepano, partim Panormo tranſportandis, ac caſtro recepto, Panormum remittendis, Panormitanorum communi imperatis (*a*). Educti in hanc expeditionem a Sarria fuere omnes equites, quos e Panormo, aliiſque Mazarienſis regionis locis cogendi facultas fuit, & mille quingenti pedites Panormitani, præter trecenos jaculatores, Panormitanos itidem cives, quos ad eamdem expeditionem Panormi civitas de publico alendos ſubminiſtravit. Navis, qua machinæ Drepano ad Segeſtanorum Emporium tranſvehebantur, eo appulſa non potuit illas prius in terram cunctas exponere, quam tres Neapolitanæ longæ naves, quæ forte ſupervenerant, ipſam deprehenderint, deprehenſamque cum machinis in ea reliquis combuſſerint. Quo cognito, Panormitani imperatas ſibi machinas, & turrim, quam ipſi in maritimo campo ejuſdem caſtri oppugnationis ergo contabularant, quinque longarum navium ductu, præſidioque illo tranſmittendas curarunt. Ut exercitus, & machinæ ad Segeſtanorum Emporium pervenerunt, nulla interjecta mora, caſtrum obſidione cingitur; foſſa impletur; admoventur muris machinæ; propugnacula disjiciuntur; caſtrum intra biduum nullo obſidentium detrimento capitur, funditusque

que

(*a*) *Vide hoc Monumentum apud Michaelem de Vio inter Urbis Panormi Privilegia f.* 63.

que evertitur, ex obſeſſis plus viginti interemptis, reliquis ad centum octoginta captivis factis. Et quoniam in hujus caſtri expugnatione Panormitanorum egregia extitit opera, Rex horum gratia, ne in poſterum ex ora Segeſtanorum Emporii cibaria extra, vel intra Inſulam efferrentur, prohibuit. Ex eo enim, quod in hanc oram cibaria ex proximis Panormo locis importabantur, & ab illa alio tranſvehebantur, annonæ vel inopia, vel caritate Panormi ſæpenumero laborabatur, indeque commercium diſtrahebatur (a).

Ubi ad Robertum allatum fuit Emporii Segeſtani caſtrum obſideri, ratus illud non tam brevi expugnari poſſe, confeſtim Rogerium ab Caſtrocucco cum triginta duabus longis navibus ei ſubſidio miſit. Sed haud in tempore; nam Rogerius, ubi adverſo vento ad oram, quæ Mylas inter excurrit, & Oliverium, rejectus, Emporii Segeſtani caſtrum jam captum comperit, hominibus, quot ſecundum id litoris potuit, prædatis, Neapolim continuo ſe retulit. Id vero tantum abfuit, ut Robertum ab conſilio Federico, Siculiſque bellum redintegrandi revocarit, ut ad illud quam primum, & omnibus viribus capeſſendum etiam, atque etiam incenderit, ita & ne ſtudio quidem, a quo Aragonum Rex nunquam deſtiterat, ut quod per hoc quoque tempus declaravit, levirum cum fratre pacificandi, locum reliquerit. Jacobus namque, ut bellum inter illos renovatum percepit, virum principem, qui ipſos ſuis verbis in concordiam reduceret, legarat. Sed fruſtra; nam ne illud quidem, ut induciarum tempus produceretur, impetrare potuit; quin etiam, nulla interpoſita mora, Robertus ſeptuaginta longarum navium claſſem adornat; mille quingentos conſcribit equites, longeque majorem peditum numerum; hujus expeditionis imperatorem Thomam Marzanum Scylacæi Comitem dicit; eique mandat, ut, ſtatim ac opportunam nanciſcatur tempeſtatem, in Siciliam trajiciat. Marzanus nihil cunctatur; ſolvit; curſum ad eam Inſulæ oram, quæ Auſtrum ſpectat, intendit: & exſcenſione in Lilybætanum litus facta, Lilybæum urbem terra, marique adoritur. Sed irrito conatu. Nam Fran-

(a) *Inter Urbis Panormitanæ Privilegia laudatus de Vio refert hoc Monumentum f. 68.*

Franciſcus Vintimillius Hieracis Comes, & Gilibertus Abatellus, qui, quum nec procul abeſſent, ut in Lilybæi oram hoſtes excendiſſe cognorant, citato gradu profecti, noctis ſilentio ſeſe in urbem intulerant, ſtrenue Marzano reſtitere, ut is inde aut nulla, aut levi incolis allata noxa recedere coactus fuerit. A Lilybæo claſſe ad Segeſtanorum Emporii oram, ut interea ibi ad anchoras conſiſteret, dimiſſa, de Thomæ ab Leontino, & Thomæ Prochitæ, principum ſecundum ipſum expeditionis ducum, ſententia infeſtis in continentem ſignis pergere inſtituit. Salemi oppidum ipſi primum occurrit; quod, quum vi expugnari haud poſſe comperiſſet, quibus abundabat, felices arbores, vites, vel virgulta devaſtavit: piſtrina diruit, pecus abegit; ſegetemque, quæ matureſcere incipiebat, igne corrupit. Inde ad Caſtriveterani oppidum progreſſus, quamquam ab incolis derelictum, annona tamen non exhauſtum, diripuit; agrumque fœde haud ſecus, quam Salemitanum, depopulatus eſt. Interea ex ejus peditibus mille, qui, quum Lilybæo profecti a via, quam reliquus exercitus ingreſſus erat, deerraſſent, rati eamdem inſiſtere, ad Mazaræ pontem pervenerant. Hacce re Mazaram perlata, Bartholomæus Siginalfus, Bartholomæus itidem ab Monteaperto, qui Mazaræ præſidio erant, centum, quos ſecum habebant, equites adverſus hanc hoſtium cohortem eduxere; ac talem, tamque inopinatum in eam impetum fecerunt, ut ipſa, relictis impedimentis, armiſque gravibus abjectis, ſe in fugam converterit. Attamen ex hac cohorte ne unus quidem è noſtrorum manibus evaſiſſet, ſi hi inſequuti fugientes fuiſſent; commiſſoque acri inter ſe pro præda certamine, majori illorum parti per anfractus elabendi, ac ſe ſuis reddendi interea facultatem non feciſſent. His vero elapſis alteram eorumdem manum ſine ullo diſcrimine capiundam noſtris caſus obtulit. Hæc enim, quum noctuabunda a populando, præda gravis, & aliquot captivos ſecum trahens, rediret, in eum offendit locum, in quo illi, ſedato tumultu, adhuc ſubſiſtebant, ſic ut, quum nullum ſibi patere conſpexiſſet effugium, vinculis captivis ſolutis, manubiiſque traditis in ipſorum arbitrium, fidemque ſe ultro dimiſerit, verita, ne, ſi in aliam noſtrorum equitum turmam incidiſſet, durius haberetur. A Caſtroveterano Marzanus movens Burgetti turrim, quæ dicebatur, hocce inter oppidum, & Saccam poſitam, aggreditur. Qui in arcis hujus præſidio erant, exigui licet numero, magna virtute re-

repugnant. Marzanus indignatus, ſibique dedecori ducens, in eam, quæ ne primum quidem impetum ſuſtinere poſſe videbatur, oppugnando plus temporis terere, cum omnibus copiis ad Segeſtanorum Emporium recta contendit, ut eis in claſſem, quam ibi in anchoris ſtare docuimus, reductis, mari bellum perſequeretur, hoc ſibi melius, quam terreſtre ceſſurum ſperans. Ut ad Segeſtanorum Emporium pervenit, impoſito in naves exercitu, ſtatim inde Panormum curſum intendit. Copiis eam in oram, quæ ad meridiem vergit, expoſitis, ac claſſe ad Solœnti promontorium præmiſſa, Panormitanum agrum longe lateque, vel uſque ad mœnia, portaſque Thermarum, & Græcorum, vaſtavit; turrimque, quæ Jardina Sayda dicebatur, in urbis conſpectu ſitam incendit; ne palmis quidem parcens, quæ Orethi ripas ad pontem, Admirati appellatum, obumbrabant, quaſque ſingulari agri Panormitani ornamento, vel Idumæas proceritate viciſſe Specialis affirmare non dubitavit. Et quum in agro Panormitano amplius non haberet, in quod vaſtitatem inferret, terrâ exercitu ad Solœnti litus, in quo ipſum claſſis opperiebatur, progreditur; & ibi cum cuncto milite naves conſcendens, eas Meſſanam, Inſulæ maritimam oram, quæ ad ſeptentriones ſpectat, lecturus, & ubi poteſtas daretur, depopulaturus, dirigit. In Meſſanenſe litus exſcendens, nihilo mitius Meſſanenſem agrum habet. Dies, quot in eo conſedit, diripiendo, incidendo, comburendo, ex parte maxime vici Divi Marci, arbores, vineta, villas, ruſticaſque cæteras opes peſſundando, omnes impenſi.

Inter tot, tantaſque clades, Federicus, Siculique nequaquam deſeruerant ſeſe, vel elanguerant. Claſſem, quæ adverſariæ par eſſe poſſet, jam Meſſanæ, ubi Rex ſe continebat, compararant; eamque jam probe inſtructam, paratamque, dum hoſtes Meſſanenſem divexabant agrum, ex portu contra hoſtilem educendam habebant. Quod ut Marzanus præſenſit, nolens ſuam claſſem, aſſiduâ defeſſam navigatione, cum Sicula integra in diſcrimen committere, raptim, copiis in naves impoſitis, Sicillâ ceſſit; ac ad Rhegii declinans oram, Neapolim contendit. Hinc apparet, quam parum veriſimile ſit, quod aliqui ſcribunt, Marzanum nempe, ſi bello non deſtitiſſet, Siciliam ſubigere potuiſſe; quandoquidem Siculi agrorum, in quibus gentis fortunæ ſunt repoſitæ, depopulatione afflicti, marique excluſi, jam ad rebellandum ſpectabant: nam Siculos nullo vitæ, nedum bo-

norum detrimento, a fide in Federicum removeri potuiſſe ex hactenus expoſitis in dubium revocari nequit; unumque, in tam ambiguo, perturbatoque rerum ſtatu, Pactarum Pontificem cum ſuis Canonicis ad Robertum deſciviſſe, ac propterea in exilium pulſos, ſed non multo poſt reſtitutos, memoriæ proditum eſt: Marzanus vero qui prudentis, ſtrenuique imperatoris laude ſua tempeſtate floruit, qua ratione bello excelſerit, jam vidimus. Ut ut autem ſeſe res habuerit, illud certo conſtat, Regnum hoſtibus liberatum fuiſſe, indeque factum, ut Rex naves, maxime quod hiems appetebat, ſubduci juſſerit. At, quo hoſti, ſi vere primo ad Inſulam infeſtam faciendam rediret, tempeſtive occurri poſſet, ſic ut appulſu, excurſionibuſque prohiberetur, Panormum venit; ac ibi concilio habito, cui Petrus, & Manfredus filii, itemque Dynaſtæ, & communium nuncii adfuere, id egit, ut antequam hiems præcipitaret, claſſis octoginta longarum navium, cui ipſemet præſſet, in promptu haberetur; ex eis triginta Franciſco Vintimillio, & aliis Mazarienſis provinciæ Dynaſtis ære ſuo ſe contributuros profeſſis. Re perfecta, Federicus Meſſanam ſe retulit, vicaria Petro filio, quam Simonis Valguarneræ ejus educatoris *(a)* conſilio, & opera adjutus Panormi exerceret, Regia poteſtate demandata; Panormitanos de portoriis in oppido Calataſimis, aliiſque, quæ juris Comitis Guilelmi Calcerandi fuerant, ſolvendis vindicavit; ac majora per annum Drepani, Cephaledi, Himeræ, Alcami, Hyccaræque portoria exigi, ac quodque æris ex eis redigeretur, in Panormi urbis mœnia conſtruenda, inſtaurandaque erogari imperavit *(b)*.

Inſequenti anno MCCCXVII hoſtes claſſe, quod timebatur, ad moleſtiam, pauperiemque noſtræ genti populationibus exhibendam haud rediere, ſed ipſam hunc quoque annum detrimento vacuum tranſ-

(a) *In laudato Chronico apud Martenem Simonem Valguarneram, cujus alio in loco meminimus, Petri, & Manfredi filiorum Regis alumnum, ſive nutricium, educatorem, vel gubernatorem fuiſſe ſcribitur. Alumnum enim ab latinis Scriptoribus, vel ab Tullio, & pro educato, & pro educatore accipi ſatis notum eſt.*

(b) *[illegible] hec Monumenta Michael de Vio inter Privilegia Urbis Panormitanæ [illegible] 69, & 70.*

tranſigere paſſi non ſunt: nam novem longis navibus ſecundum litus procurrentes, retia ad thynnos in cetariis capiendos parata, primum Panormi, inde in Segeſtanorum Emporio, poſtea Drepani prærumpendo, hunc piſcatum, ex quo noſtri magnos quæſtus faciunt, quam maxime diſturbarunt. Neque a reliquis cetariis, quæ Inſulæ circumjacent, vexandis, ſeſe continuiſſent, ni in eos in cetarium, Divi Georgii dictum, ad reſtituta, reconcinnataque retia recidenda reverſos, Panormitani tribus ſuis longis navibus, ac aliquot ſpeculatoriis Meſſanenſium procurriſſent, ipſique, ne in diſcrimen devenirent, profugiſſent, non tamen ſine maleficio ipſa in fuga perpetrato: per Liparim namque tranſeuntes, eo in agro nihil, quod frugiferum eſſet, intactum ſuo more reliquerunt. Quamquam hoſtem hoc anno nihil aliud moliturum apparebat, Rex tamen noſter in Meſſanenſi portu trium & viginti longarum navium claſſem, qua illi, ſi aliquid ultra moveret, Roſcii Auriæ ductu occurreretur, expeditam habebat. Atque, ne per hoc quidem tempus aliqua ad Panormitanorum rem publicam emendandam jubere omittens, conſuetudinem, qua venditor, vel emptor arrhabones duplices reddendo ab conventa venditione, vel emptione, retrahere ſe, majore haud præſtito damno, poterat, abolevit. Judices annonæ procurationi Juratis, qui dicebantur, demandatæ ſeſe interponere vetuit. Scribas eamdem pro actis conficiendis mercedem, quam Meſſanæ, ni aliter communi videretur, percipere ſtatuit. Qui diſtrahendis controverſiis, maleficiiſque puniendis præpoſiti erant, Bajulum, qui appellabatur, & duos Judices non juris rudes, ſed peritos, civium ſuffragio legi; ab eis judiciales formulas, quæ in Regia Curia uſurpabantur, ſervari, ipſiſque mercedis nomine aureos viginti quinque quotannis perſolvi conſtituit. Panormitanis, ut Judicem, & hunc quoque Jureconſultum, ad quem provocare poſſent, ſibi eadem ratione deligerent, eique eadem aureorum viginti quinque merces attribueretur, conceſſit. Ne niſi triennio exacto Judices, aliive, qui publica munia exercuiſſent, ad idem munus eligi poſſent, decrevit (a).

Quod

(a) *Vide hæc Monumenta apud de Vio inter Urbis Panormitanæ Privilegia, f. 616.*

Digitized by Google

Quod autem Robertus hoc anno Siculum bellum intermiſerit, id quidem cauſæ fuit, quod Rex Aragonum, quum ſuam auctoritatem parum ad levirum, fratremque pacificandos valere comperiſſet, ad hanc rem, cui ſummopere ſtudebat, obtinendam Pontificis maximi auctoritatem implorare operæ pretium duxit. Nonnulli tradunt, Siculos, ubi Pontifex maximus Joannes renuntiatus fuit, ad eum principes Viros gratulatum, unaque obſecratum, ut pacem inter Federicum, & Robertum conciliaret, legaſſe. Sed errant tota re; etenim non ab Siculis, ſed a Rege Jacobo Pontius Barcinonenſium Pontifex, & Vitalis ab Villanova, qui id ab Joanne impetrarent, Avenionem miſſi fuerunt. Multa de ratione pacificationis hujus ineundæ, qua ab Jacobi Legatis, qua a Pontifice maximo in medium prolata fuere. Repetitum, quod alias jactatum fuerat, de acquirenda Federico, quo Siciliam Roberto dimitteret, Roberti opera, opibuſque alia vel in Aſia, vel in Africa ditione, & nominatim Peloponneſo, quam poſt Ferdinandi Balearium Regis filii interitum Dyrrachii Dux occuparat. Aſt, quum nemo eſſet, qui hocce conſilium quam excogitatu facile, tam effectu difficile non intelligeret, propoſitum fuit relinquendam quidem Federico, ejuſque hæredibus Siciliam, ſed Roberto, ejuſque hæredibus vectigalem, & ea conditione, ut Federicus non amplius Rex, ſed Dux Siciliæ nuncuparetur. Verum enim vero, quum hoc eſſet deputare ſecum rationes, nihil aliud concludi potuit, quam ut a Pontifice maximo, & ab Rege Jacobo pro hac pace utriuſque auctoritate componenda, & ad Robertum, & ad Federicum legati una mitterentur. Ad hanc obeundam legationem a Pontifice maximo Trecenſium Pontifex, Stephanus Divi Maximiani Antiſtes, & Petrus Textor, ab Aragonum Rege Arnaldus de Torrellis, ſpectatæ prudentiæ viri delecti fuere. Iſabella Luſitaniæ Regina, cui ſummopere tam acerbum, diuturnumque inter tam ſibi conjunctos Reges bellum diſplicebat, Berengarium Monrochium Xativæ Archidiaconum, qui ſuis etiam verbis eos ad concordiam induceret, comitem addidit. Hi Legati, Avenione profecti, primum Neapolim Robertum adeunt, & cum eo in has conceſſum eſt conditiones, ſi Federicus Roberto mediam Inſulam, quæ Neapolitano Regno adjacet, trans Ennam uſque, in præſens permitteret, Robertus Federico, quoad viveret, alterius mediæ, quæ ad Occidentem vergit, poſſeſſionem, Regiſque Siciliæ titulum relinqueret, jus in Tuneti Regnum in perpetuum cederet, ac Sardiniam

ſuis

ſuis auxiliis eidem compararet; pro jure, quod in Sardiniam Aragonum Rex habebat, huic mille tercenta octoginta octo auri pondo cum dextante ſolvere, & ab Pontifice maximo obtinere, ut eidem bona, quæ Templarii in Aragoniæ provinciis poſſidebant, adjudicarentur, ſi id impetrari non poſſet, duo millia octoginta tria auri pondo cum triente numerare in ſe reciperet. Deliberatum quoque fuit, ſin minus Legatis ſuccederet, quæ a Roberto proponebantur, Federico probare, inducias ſaltem in aliquot annos ea conditione, ut interim Rhegium, aliaque loca, quæ Federicus in Brutiis tenebat, apud Pontificem maximum deponerentur, cum eo paciſcendas curarent. Ad quod Robertus deſcendebat, quia ſub hoc tempus a Genuenſibus Guelfæ partis accitus fuerat, ut eos ab obſidione, qua a Gibellinis, Marco Vicecomite duce, terra premebantur, liberaret; unde in ſpem florentiſſimæ, ſed tunc temporis factionibus, ſeditionibuſque, quibus ipſemet, ut Villanius perhibet, facem addiderat, dilaceratæ urbis dominationis potiundæ venerat; & eo arma vertere non poterat, ni a Sicilienſi bello per aliquid temporis vacaret, ſuumque Regnum a Siculorum incurſionibus tutum relinqueret, ratus, quo ſuæ, & præſertim maritimæ, urbe illa in ſuam redacta poteſtatem, vires augerentur, eo facilius Siciliam tandem ſubacturum. Et profecto, quoniam nec Robertus ab Sicilia obtinenda, nec Federicus ab eadem ſibi retinenda, animum nunquam remiſerant, non pacis ſtudio, ſed vel tempori ſerviendi, vel imminendi occaſioni, vel vires recolligendi cauſa bello ſuperſedebant; eoque bellum non gerebant, quo acrius pararent.

Hunc in modum re cum Roberto tranſacta, Pontificis maximi, Aragonum Regis, & Luſitaniæ Reginæ Legati, quibus Robertus ſuos, qui ipſius quoque nomine rem agerent, adjunxit, Meſſanam, ubi Federicus commorabatur, tranſmittunt. Federicus eos honorificentiſſime excepit, tractavitque. Ipſi vero, ubi præſentes animadverterunt, nec Federicum Siciliæ minimum quidquam certa re, nedum ſpe, commutaturum unquam, nec unquam Siculos Andegavenſium dominatui ſeſe ſubjecturos, tantummodo ad inducias ſub conditione a Roberto præſcripta, obtinendas animum adjecerunt. Itaque, quum Regem in Regia, ex qua deſpectus in mare erat, conveniſſent, ex eis quemdam, qui eloquentia excellebat, ab ſui exordio inter Robertum, & Federicum belli cauſas repetentem, ac modo unum, modo alterum culpantem, Federicus interpellans, ſe belli cauſam unquam fuiſſe negavit;

Digitized by Google

vit; quin pacem cum omnibus Chriſtianis Principibus nunquam non exoptaſſe teſtatus eſt. *Sed quam*, inquit, *pacem Pontifex maximus dare nobis cogitat?* Legati fretum oſtendentes, *Deus Optimus Maximus*, reſpondent, *qui nihil fruſtra, nihilque temere operatus eſt, hoc, quod Siciliam ab Italia ſeparet, quaſi limitem impoſuit. Sint ergo veſtrorum Regnorum fines iidem, quos inter ea providus naturæ auctor conſtituit. Et quoniam Pontifex maximus hac ratione vos ad concordiam adducere cogitat, & ad hanc componendam temporis aliquid requiritur, trium annorum induciæ inter vos ea conditione firmentur, ut loca, quæ tu trans fretum occupas, Pontificio interim præſidio teneantur; ambo Pontificem ad certam diem conveniatis, quo ejus judicio, auctoritateque, Deo bene juvante, perpetua inter vos pax ſtabiliatur.* Ad hæc, ſecundis auribus, hilarique vultu accepta nihil Rex reſpondit; ſed legatis bona cum gratia dimiſſis, ſuos advocavit conſiliarios, ut cum eis, quid factu opus eſſet, deliberaret. Ex his aliis Pontifici maximo obſequendum, aliis, & præſertim Damiano Palicio, nihil de eo, quod in Brutiis tenebatur, remittendum, opinantibus, magna orta eſt altercatio. At inſtantibus Aragonum Regis, ac Reginæ Luſitaniæ Legatis, Federicus eorum, qui Pontifici obtemperandum ſuſtinebant, ſententiam, num ſatis prudenter, & e re ſua, Lectoris ſit judicium, probavit; loca enim, quæ in Brutiis tenebat, erant veluti quoddam Inſulæ munimentum, itemque antiquæ in eas provincias Siciliæ Regum dominationis veſtigium. Firmatæ itaque induciæ fuerunt XI. Calendas Quinctiles anno MCCCXVII, duraturæ ab hac die ad VIII. Calendas Januarii, & per tres deinceps continuos annos *(a)*; ſtatutumque in eis fuit, Rhegium, aliaque loca, quibus Federicus in Brutiis potiebatur, de his Pontifice, quidquid juris fuerit, cognituro, Pontificis Legatis traderentur. Hæ induciæ non ſolum per literas *(b)* Senatui populoque Pa-

(a) *In his induciis commemorandis aliqui harum rerum Scriptores in eo publicis documentis erraſſe convincuntur, quod has inducias cum illis, quas, an. MCCCXIV conventas ſuo loco meminimus, confundentes, non in tres annos, & ſex menſes, ſed in quinquennium conſtitutas fuiſſe aſſeverant.*

(b) *Has literas, quæ & in laudato apud Martenem Chronico leguntur, & in tabulario Panormitani Senatus aſſervantur, in hujus commentarii fine exſcriptas Mon. numero XXXV. invenies.*

Panormitano ſignificatæ a Rege fuerunt; verum etiam ad præconis vocem in principe urbe Regis juſſu promulgatæ. Induciis conſtitutis, Legati Regis Aragonum, & Reginæ Luſitaniæ Sicilia exceſſerunt; Legati vero Pontificis in Brutium ad Rhegium, cæteraque, quæ ibi Federicus detinebat, loca, ita uti conventum fuerat, recipienda, trajecere; quandoquidem Rex eodem ad eadem tradenda Peregrinum de Pactis Meſſanenſem Mazarienſium Pontificem, & Damianum Palicium, qui ægre quidem, utpote qui contrariæ ſententiæ in conſilio fuerat, hoc munus ſuſcepit, miſerat. Hi quum Rhegii ſimul cum Legatis in eadem diverſarentur domo, accidit, ut Manfridus Lardea Meſſanenſis, Palicii familiaris, chartæ fragmenta in cubiculi angulum diſperſa deprehenderit. Ea clanculum colligens, ac belle, curioſeque componens, reperit eam eſſe ab Roberto Pontificis Legatis ſcriptam epiſtolam, qua eos rogabat, ut Rhegium, reliquaque loca ab Federicianis in ipſorum manus deponenda, quibuſdam ſuis militaribus hominibus, quos ipſe ſubmitteret, tranſderentur. Manfridus, quod detexerat, confeſtim Palicio indicat, Palicius Regi, ei ipſam, ut redintegrata erat, epiſtolam tranſmittens, ſuamque de eo, quod in Brutiis tenebatur, non remittendo ſententiam inculcans. Res Federicum aliquantum commovit: ſed ut generoſi animi erat, Palicio reſcripſit, promiſſorum religioni deſit, qui velit; ſe ullo pacto nolle. Depoſitis itaque Rhegio, cæteriſque locis, quæ in Brutiis ſub Federici ditione erant, in manus Pontificis maximi legatorum, Peregrinus, & Palicius Meſſanam remearunt: Legati vero, ubi non multo poſt, & nemine refragante, eadem Roberti adminiſtris tradidere, iter pedibus per Brutium ingreſſi ad Pontificem maximum reverſi ſunt. Ex hactenus narratis, quæ in hoc componendæ inter Robertum, & Federicum pacis negotio nihil non ex ſententia, reque Roberti, Joannem XXII., ejuſque Legatos egiſſe declarant, ſatis liquet, quantum a vero diſtet, quod Giannettaſius non tam diligens, quam elegans Scriptor, probabiliorque Poeta, quam hiſtoricus, ſcribit; Robertum nempe, qui novum Pontificem, Gallum genere, auxilia ſibi ad bellum contra Siculos ſubminiſtraturum arbitrabatur, ſpem fefelliſſe: *Nam*, ſunt Giannettaſii verba, *non ſolum propitium Pontificem non habuit, ſed per eum ſtetit, quin Sicilia caperetur, quam tradere ipſe ſuo jure, non armis acquiri volebat.*

Per hæc tempora diſſidium inter fratres, qui Minores dicuntur,

Digitized by Google

natum erat: Aliqui ex eis per ſeverioris paupertatis tuendæ ſpeciem ſe ab reliqua familia ſeparantes, viliori aſſumpto amictu, ac decurtatis cucullis, ſine ſuorum Præſulum commeatu, huc illuc vagabantur; ac ſimplicitatis, quam affectabant, fuco popello imponebant; inque credulum vulgus errores diſſeminabant. Ex his male feriatis hominibus, quum non pauci ex Tuſcia in Siciliam tranſmigraſſent, Pontifex maximus Regi noſtro ſcripſit, ut Ordinis Præſulibus ad hos transfugas in officium deducendos, ac, ſi opus fuerit, etiam corripiendos, puniendoſque, opem, auctoritatemque ſuam commodaret. Caruſus, Regem, nihil penſi Pontificis literis habitis, his fraterculis erronibus ne minimum quidem negotium faceſſiſſe, quin etiam eos in ſuam recepiſſe fidem, nullo teſtimonio, nullaque veriſimilitudine, ſcribit; nam Federicum Joannis eo tempore, quo is ſuarum fortunarum arbiter, judexque ſedebat, animum, ejuſdem auctoritatem in re, alioquin juſta, & cui ex Regis officio ipſe conſulere debebat, tam inſigniter contemnendo offendere voluiſſe, tam parum veriſimile videtur, ut nihil minus.

Jam Rex quarto loco ex Heleonora Joannem ſuſceperat, & Conſtantiam nuptum Henrico Cypri Regi dederat; quas nuptias conciliarat Maria Henrici ſoror, quum, ut ſupra cognitum eſt, in Siciliam appulit; firmaruntque Limiſſi Pontifex, & Bartholomæus Monſolympius, ad id in Siciliam a Cypri Rege Legati. Anno vero MCCCXVIII Rex cum Regina Mazaræ degens alio auctus eſt Rogerii nomine filio, ibi in æde maxima ſacris luſtralibus aquis abluto. Hujus natalis & lætitiæ, & emolumento Mazarienſibus fuit; nam hac occaſione Rex merces, quæ ad nundinas diebus feſtis, Servatori ſacris, celebrari Mazaræ ſolitas, comportarentur, de portoriis exemit; & Mazarienſi Eccleſiæ jus ex thynnaria piſcatione in cetariis Bonagiæ, Cophani, Sancti Nicolai, Favognanæ, & Segeſtanorum Emporii decumam exigendi comprobavit (a); Saccenſibus quoque portoria remiſit (b); & Arnaldo Raſſachio Catalauno, Monregalenſium Pontifici, jus thynnos in Fimi inſula, quæ in ditione Monregalenſis Eccleſiæ erat, piſcandi; una-

(a) Vide Monum. num. XXXVI.
(b) Vide Monum. num. XXXVII.

unaque cætera eidem Eccleſiæ jura, ac beneficia, a ſuperioribus Regibus conceſſa, rata habuit *(a)*. Quo cenſu, quibus beneficiis, ipſe Ciſtercienſis familiæ in Parco cœnobium condiderit, ornaveritque ſupra prodidimus. Attamen ſub hoc tempus, benefacta cumulando, eidem jus arcem in Partinico extruendi conceſſit; ejus procuratoribus, familiaribuſque arma deferendi veniam dedit; ipſumque ab omnibus vectigalibus, tributis, portoriiſque immune fecit *(b)*. Inter hæc, quoniam dies, quo ex Pontificis maximi edicto Federicus, & Robertus apud ipſum ad firmandam pacem convenire debebant, inſtabat, Federicus ſuos conſulit, quidnam magis expediret, ipſum ne ad Pontificem ire, an alios legare. Communis ſententia fuit Legatos mittendos, tum quod fama increbuerat, Robertum non affuturum, tum quod Regis caput caſibus, qui per tot maris, terræque diſcrimina plurimi accidere poterant, permittendum nullo pacto erat. Delecti igitur, qui ad Pontificem, Regis vice functuri, proficiſcerentur, Franciſcus Antiochenus Panormitanorum Pontifex, ſanguine Regi non alienus, & Franciſcus Vintimillius Hjeracis Comes ſummæ nobilitatis, ſummæ fidei, ſolertiæque viri; eiſque omnis ad rem ipſis commiſſam explicandam tributa auctoritas; datumque in mandatis, ut Pontifici offerrent, ſi ipſe Roberto Picenum, vel Flaminiam, Neapolitano Regno finitimas regiones, concederet, & hic una ex his contentus, pacificam Siciliæ poſſeſſionem Federico permitteret, Federicum annuum quinquaginta quinque auri pondo cum ſemiſſe, quantum ex quaque earum regionum redibat, vectigal præſtiturum; unde, Pontificio ærario nihil imminuto, Roberti Regni fines amplificarentur. Legati mente Regis accepta, Meſſana quinque longis navibus ſolventes ad Provinciæ litora deſcenderunt; ac inde Avenionem profecti, Pontifici maximo ſui Regis nomine eum ſalutaturi, ac de pace cum Roberto ſtabilienda, ut erat cum ejus Legatis conventum, acturi, ſeſe ſtiterunt. Quibus Pontifex vel Roberti, vel ejuſdem Legatorum, ut de hac re ſermo inſtitueretur, adventum ad præſtitutam, quæ nondum ceſſarat, diem

(a) *Ludovicus Lellus refert hoc Monumentum in laudata hiſtoria Eccleſiæ Montregalenſis fol.* 71.

(b) *Has Federici literas edidit D. Vitus de Amico in parte III. lib. IV. Siciliæ Sacræ notitia X. fol.* 64.

Digitized by Google

diem præſtolari oportere reſpondit. Interim Vintimillius tantam apud Pontificem maximum gratiam iniit, ut cum ipſo Pontifex frequentes, familiareſque ſermones ſereret. In his ſermonibus Vintimillius ſui Regis cauſam agere non omiſit, Regis progenitorum in rem Chriſtianam ob labores, periculaque, quæ ingentia pro Sicilia a Barbaris liberanda exhauſerint, merita commemorando, jus, quod ex certa ſucceſſione in Siciliæ Regnum Federico inerat, propugnando, &, quum Pontifex hanc ſucceſſionem in Federico Cæſare, cui Siciliæ Regnum Pontificis maximi ſententia abrogatum fuit, interruptam opponeret, libere reſpondendo, illam Pontificiam ſententiam Dei ſententia irritam factam; quandoquidem, etſi tot Pontifices, Regeſque potentiſſimi nihil ſibi reliqui fecerunt, ut Federici Cæſaris hæredes Siciliæ poſſeſſione deturbarent, & operam, & oleum perdiderunt. Incaſſum pariter ab Vintimillio laboratum fuit, ut Pontificem maximum in pace cum Roberto componenda æquum ſuo Regi arbitrum præpararet; namque Robertus nec per ſe, nec per legatos dicta die convenit; nec conveniendi ulla ſpes oſtentabatur; ac proinde Vintimillius cum collega, ipſi abeundi copia a Pontifice facta, Barcinonem tranſiit, ut de ſuæ legationis eventu, deque aliis rebus, ad fratrem pertinentibus, ad Aragonum Regem referret; ac inde in Siciliam renavigavit. Interea Aragonum Rex, qui pro ſtudio, quo tenebatur, pacis inter Federicum, & Robertum ſanciendæ ſibi propoſuerat, ſi hi Pontificem maximum conveniſſent, & ipſum, ut operam ſuam ad eam conciliandam conferret, conventurum, ubi reſciverat fratrem ad Pontificem non profecturum, & ipſe legatos, qui ſuo nomine apud illum rem agerent, miſerat, eis mandans, ut ſi pax componi non poſſet, inducias prorogandas curarent, ea tamen conditione, ut Rhegium, aliaque Brutii loca, ut conſtitutum fuerat, Pontificio præſidio tenerentur, idem poſtulaturis, ſi nec pax confici poſſet, nec induciarum tempus protrahi. Mandatum quoque eis dederat, ut coram Pontifice, & Purpuratorum Collegio, ne quid, quod germano dedecori, fraudique eſſet, agi, vel dici paterentur. At hi Avenionem profecti, quum nec Robertum eo conventurum, & Federici Legatos inde diſceſſiſſe comperiſſent, & ipſi, ſui Regis declarata voluntate, Roberto, ſi pacem Federico, Siculiſque daret, jus, quod in Sardiniam, & Corſicam habebat, modo ipſi a Pontifice par pari referretur, concedendi, domum rediere; Jacobus enim

ſe

Digitized by Google

ſe ad cauſam fratris inclinarat; conſtitueratque omnem navaturum operam, ne injuria ei inferretur. Sub hoc fere tempus Federicus & Manfredum, cui, ut diximus, Achajæ, & Athenarum ditionem aſſignarat, ruente equo præcipitem in terram datum, & Rogerium morbo oppreſſum filios amiſit.

Robertus, ubi cum Federico in triennium induciis firmatis, Rhegioque, ac cæteris locis, quæ in Brutiis ab illo tenebantur, receptis, ſuum Regnum ab hoſtilibus impreſſionibus tutum reddidit, totus in eo, quod ſibi propoſuerat, fuit, ut quamprimum, & quam maximis poſſet copiis, ad Genuam obſidione, qua laborabat, maxime propter aquæ, ejus ductu ab hoſtibus corrupto, penuriam, eximendam contenderet. Neapoli itaque, Carolo filio, Brutiorum Duce, cum vicaria poteſtate ad Regni procurationem relicto, cum claſſe viginti ſeptem longarum navium, ac quadraginta onerariarum, commeatu onuſtarum, in quas mille ducenti equites, & ſex mille pedites impoſiti fuere, ac ſecum Philippum, & Joannem ſuos germanos, alioſque proceres adducens, vela faciens, Genuam XIII. Calendas Quinctiles anno MCCCXVIII appulit. Fuit a Genuenſibus ſummo honore, ſummoque plauſu, non ut ſocius tantum, ſed quaſi dominus, & liberator receptus; fuitque ei, ac Pontifici maximo ex Senatus conſulto urbis imperium ad decennium traditum. In gratiarum actione pro delato imperio ad Patres habita, ab ſe, quo Genuenſibus opem afferret, cum Federico, quem de injuſta Siciliæ poſſeſſione dejicere facile erat, alienas initas inducias magnifice oſtentavit. Cæterum Roberti adventu Gibellini nequaquam ab obſidione urbis exceſſerunt; quin etiam acrius eam operibus, irruptionibuſque divexabant. Et quamvis Robertus viribus ſuperior eſſet, maxime poſt auxilia ab Tuſciæ Guelfis accepta, nihilo tamen ſecius, quia hoſtes arte, vel natura valida circumjacentia inſidebant loca, ipſe erumpere ſine diſcrimine ex urbe nequibat. Clauſus itaque mœnibus, quum non ſine ſuæ gloriæ jactura ſic otioſus maneret, adeo animum deſpondit, ut ab Philippo Galliarum Rege, nullo non adhibito ad ſui, ſuarumque rerum miſericordiam commovendam apto argumento, auxilium omnibus precibus implorarit. Aſt ei interim in mentem conſilium venit, quod ex anguſtiis, quibus tenebatur, ipſum eduxit. Ut ex arduis, perruptiſque locis, quæ Genuæ adjacent, hoſtes eliceret, quatuordecim militum millibus in naves impo-

po-

poſitis, eos in Sexti oram, qua planities magis pateret, exſcenſionem facere juſſit, ratus hoſtes, ut eam impedirent, ab munitis locis in litus inſtructa acie proceſſuros ſic, ut cum ipſis collato pede pugna conſeri poſſet. Id, quod providerat, evenit. Gibellini, ubi navium appulſum perſpexere, quo ab exſcenſione Robertianos arcerent, ſe ad litus moverunt; & quum hanc impedire nequiſſent, cum illis in pugnam deſcendere coacti ſunt. In qua adeo fuſi, fugatique fuere, ut Vicecomes, tum quod ſibi tantæ vires non ſuppeterent, ut hoſtibus reſiſtere æquo loco poſſet, tum quod de fide exulum Genuenſium dubitare cœpiſſet, motis raptim caſtris, ac parte armorum, impedimentorumque relicta, citato gradu Gavium ſe receperit. Sic Genua ab obſidione liberata, Robertus rei eventu lætus, Riccardo Gambateſa cum vicaria poteſtate ad Genuæ adminiſtrationem, ac præſidium relicto, cum ſeptem navibus in vicinam Provinciam navigavit, ac Maſſiliam appulſus, Avenionem Pontificem maximum ſalutatum ſe contulit, ut inde Aquas Sextias res Provinciæ compoſiturus tranſiret.

Dum hæc ad Genuam geruntur, bellum de Tuneti Regno inter duos barbaros Principes exoritur. Rex noſter modo uni, modo alteri auxilia, commeatumque pretio ſuppeditans nongentorum millium, ſi Villanio fides adjungenda eſt, aureorum brevi tempore quæſtum fecit. Et quoniam propter continuas hoſtium incurſiones urbes, & ex his præſertim principem munitas fore oportebat; pacíſque tempore ſe quemque præmunire ad belli tempus opus eſt, Panormi mœnia, pecunia ex portoriis in aliquibus exigenda locis, ædificari, inſtaurarique Federicum decreviſſe ſupra meminimus. Atque, ut hocce tam neceſſarium opus eo perficeretur tempore, quo otium ab armis erat, datis Mazaræ, ubi Meſſana profectus tunc verſabatur, literis conſtituit, ut vectigalia lanienis, pellibus, coriis, & lignis olim impoſita, ſed jam antiquata, iterum imponerentur; impoſita per annum locarentur; & quicquid ex eorum redemptione pecuniæ rediret, & alterum tantum, quod ærarium ſufficeret, in opus illud impenderetur, ei militibus Guilelmo Tagliavia, & Rainaldo Jaconia, ac Judicibus Roberto de Laurentio, & Gerardo Cavalcante præpoſitis. Permiſit quoque, ut Panormi vectigalia pro carbone, ſervis, & ancillis pendenda inſtituerentur, ut ex pecunia, inde quotannis percipienda, idonea Bajulo, qui dicebatur, & Judicibus ci-

Digitized by Google

civitatis merces ea conſtitueretur lege, ut hi nihil ullo nomine a litigatoribus exigerent (a). Verum ad arma Regi mox redeundum fuit. Genua, quæ Roberto cauſam dedit bello ſuperſedendi, eadem illud movendi Federico anſam præbuit. Genuenſes Gibellinæ factionis, imprimiſque Auriæ, & Spinulæ patria expulſi, ſe Savonem receperunt. Hi, ut Robertus Genua diſceſſit, fœdere cum Ciſalpinæ Galliæ Gibellinis repetito, primum cum ſex longis navibus, egregie ſtructis, Genuæ portum ſubeuntes, navigium mercibus oneratum, in Belgium navigaturum prædantur; inde cum valido exercitu urbem denuo obſidione cingunt; & contracta duodetriginta actuariarum claſſe, ea non ſolum Liguſticam omnem oram, ſed & urbem infeſtam habebant. Verum enim vero majores ad Genuam, pro ea Roberto ſtante, expugnandam neceſſariæ erant vires. Id, ut Genuenſes Gibellini intellexere, in belli ſocium contra communem hoſtem ſibi Federicum aſciſcere inſtituerunt. Atque Federicus, quod jam annus MCCCXXI, quo finem induciæ habituræ erant, immineret, eaſque non animo pacem cum ipſo componendi, ſed ut, Genua in ſuam redacta ditionem, majores opes ad ipſum Regno expellendum ſibi compararet, a Roberto captatas fuiſſe pateret, libenter contra eum fœdus anno MCCCXX iniit non ſolum cum Gibellinis Genuenſibus, & univerſa ea factione, ac præcipue cum Caſtruccio Caſtracane Lucæ tyranno, qui illius caput, & dux in Tuſcia erat, verum etiam cum Conſtantinopolis Imperatore; a quo, quum per legatos oſtendiſſet, Roberto, ſi ad Genuam res bene proveniret, facilis negotii futurum Orientis imperium, in quod ſibi jus arrogabat, invadere, ſex centum nonaginta quatuor auri pondo cum quincunce numerata pecunia in belli ſumptus obtinuit. Hoc adjutus ſubſidio claſſem adornari, inſtruique jubet. Mandat Gibellinis Genuenſibus, ut, quantum navium facultatem habeant, Meſſanam ſuis adjiciendas mittant; agitque cum Caſtruccio, ut ſuo ſumptu fœderatorum juſto contracto, eductoque exercitu eodem tempore, quo ipſe mari, is terra Genuam appetat.

In-

(a) *Confer Urbis Panormitanæ Privilegia ab laudato de Vio edita a fol. 72. ad 78.*

Interea Pontifex maximus nihil ſacrarum pœnarum, ac etiam publicationis prædiorum, quæ ab Eccleſia, vel intra vacantis imperii fines vectigalia haberent, & Federico, & iis omnibus, qui hoſtile aliquid contra Robertum aggrederentur, non eſt interminatus; nihilo minus Federicus bellum Roberto vel apud ipſum Pontificem indicit; & Meſſanæ, quo ſe per eos contulerat dies, habito gentis concilio, ſe cum Gibellinis adverſus Robertum, ne is, Gibellinis oppreſſis, Siciliam opprimeret, belli ſocietatem inire neceſſe habuiſſe, eique, conjunctis cum Gibellinis viribus, bellum Genuam inferre deliberaſſe denuntiat. Et, quum omnia ad id parata eſſent, poſt octo a concilio dies, quadraginta Siculæ longæ naves cum undecim, quæ a Gibellinis Genuenſibus miſſæ jam Meſſanam pervenerant, curſum Genuam verſus Conradi Auriæ ductu, aura ſecundante, dirigunt. In oræ Neapolitani Regni, quæ attigere, locis Policaſtrum pene deleverunt, & Inarimes vineta, arbuſtaque plurima ſucciderunt. Quum Genuam perveniſſent, in urbis conſpectu per aliquot dies nihil aggreſſi conſtiterunt, ac in Vulturis oppidum ſeſe convertentes, in quo, quum Gibellini Genuenſes nihil vel hominum ſtragis, omni ſexus, ætatis, conditionis remoto diſcrimine, non edidiſſent, Genuam rediere eodem, Federici conſilium fortuna adjuvante, ferme tempore, quo Caſtruccius illuc cum exercitu properabat. Genuenſes ſic mari, terraque improviſo, inopinatoque obſeſſi diu, quin in hoſtium poteſtatem venirent, ſe ſuſtinere non potuiſſent, ni Robertus eis in tempore ſubveniſſet, Neapoli, & in Provincia quinquaginta quinque ad eam rem longis navibus adornatis, earumque imperio Raymundo Cardonæ Catalauno, egregio ſua tempeſtate duci, tradito. Is cum ſuis, ac viginti aliis longis navibus, quas Guelfæ partis Genuenſes ſubminiſtrarant, Siculam claſſem adoritur. Qui huic imperabat, Conradus Auria ſe in fugam conjicere ſimulavit, ut hoſtium claſſe ad ſuam inſequendam illecta, diſtentaque, interim Caſtruccio ſpatium premendæ urbis daretur. Conſilium ex ſententia ceſſit; namque Cardona cunctis ſuis navibus ad Siculas inſectandas illico, nihil ultra cogitando, ſe convertit. Eis ad Inarimen uſque inſtitit, quum eæ pars Siciliam petunt, pars in altum vela dant, adeo contento curſu, ut ad Capreas Cardonæ oculos effugerint. Id ut Neapolitanarum navium præfecti animadvertere, ſeditione facta per cauſam naves reficiendi, commeatumque ſibi comparandi, invito imperatore, Neapolim contenderunt.

Quo factum eſt, ut interim illæ Siculæ claſſis naves, quæ alto ſeſe commiſerant, quæque Gibellinorum Genuenſium ferme omnes erant, Genuæ portum tuto repetierint, jactaverintque, Roberti claſſem a Sicula profligatam, ex hac reliquas ad hoſtium, quæ diffugerant, naves perſequendas remanſiſſe. Falſus hic vulgatus rumor tantum animi obſidentibus, metus tantum obſeſſis injecit, ut parum abfuerit, quin populus ad arma diſcurrerit, ac Caſtruccio urbem tradiderit. At Gambateſa tanta muros virtute defendit, prudentia tanta populum in officio continuit, ut Caſtruccius eam expugnare poſſe diffiſus Lucam propere ſe retulerit, quo Lucenſem agrum ab Florentinis in illum, Roberto inſtante, populabundis excurſuris incolumem præſtaret. Ut Caſtruccius Genua abiit, Siculæ naves, quod a terreſtribus deſertæ copiis nihil promovere poterant, in ſua ſe receperunt litora. Federicus moleſte admodum tulit, hanc expeditionem, in qua magnam ſpem hoſtem lædendi poſuerat, in irritum cecidiſſe, quodam ſuo veluti fato, ut quum ſe ſuis viribus ab hoſtibus defenderet, res ſibi bene verteret, ſecus quum hoſtes, fœdere cum aliis inito, collatis viribus appeteret. Accedebat, quod hoc cum Gibellinis Genuenſibus fœdus tanto ei ſteterat, ut exhauſto ærario, pro reſtauranda, inſtruenda, augendaque claſſe, qua tempore hoſtibus validius occurreretur, non ſolum vectigal, quo in centenos aureos mercium invehendarum, evehendarumve pretii tres aurei portorii nomine exigerentur, imponere, verum etiam in concionem Pontifices, Antiſtiteſque, ut & ipſi ex ſacris quoque reditibus, quoniam de reipublicæ incolumitate, fortuniſque omnium tuendis agebatur, ærario ſubvenirent, ad certum convocare diem neceſſe habuerit (a).

Quod Federicus belli ſocietatem contra Robertum, & Guelfos cum Gibellinis coiverit, ac in homines, bonaque ſacra tributum intulerit, Pontifex maximus, quod minatus erat, ipſum, ejuſque conſiliarios diris devovit, Siculumque univerſum nomen ſacris interdixit. Nihilo tamen ſecius Rex nec cum Gibellinis ſentire, nec tribu-

tum

(a) *Habes in hujus commentarii fine Mon. num. XXXVIII. exemplum literarum, quibus ad concilium Pontifices, Præſuleſque Rex, ut ex ſacris reditibus ærario ſubvenirent, convocavit, ex laudato Chronico apud Martenium excerptum.*

tum ex ſacris reditibus exigere deſtitit. Verum, ne Pontificiæ ſententiæ intercederet, ſed eam revereri teſtaretur, ſimulque, ut publicæ tranquillitati, populique religioni conſuleret, nonnullis licet Antiſtitibus, juriſque ſacri peritis ſecus ſentientibus, hanc ſacrorum interdictionem de Agrigentinorum Pontificis conſilio ad præſcriptum ſervandam edixit. Ut ut inimice cum Federico Joannes ageret, Aragonum Rex eum de pace inter fratrem, & Robertum auctoritate ſua componenda urgere non ceſſabat, tum quia, uti diximus, fratris cauſam probare inceperat, eique favere, & cupere, tum quia hocce bellum ſtudio, quo ipſe Sardiniæ recipiendæ ardebat, impedimento fore putabat. Non modo per literas, ſed & per Simonem Bellochium, quem ad id Avenionem allegavit, Pontifici profeſſus eſt, ſi res ad compoſitionem ejus opera, ut ejus paterni officii erat, non redigeretur, ſe fratrem contra quemcumque omni defenſurum ratione. Pontifex ſic ab Jacobo ſolicitatus, nihil, Purpuratorum Fliſci, & Cajetani, quibus magna cum Roberto gratia erat, opera quoque interpoſita, non tentavit, ut hunc ad firmandam cum Federico pacem, vel ſaltem ad proferendum induciarum tempus induceret. Sed fruſtra; nam Robertus pronunciare non dubitavit, ſe potius caput, quam Siciliam amiſſurum. Nec Federicus ejuſdem ſibi, ſuiſque conſervandæ minus obfirmato animo erat. Id ut palam faceret, Petrum filium, ſeptendecim licet annos natum, & ipſe nec ſenex, annum enim quinquageſimum ætatis agebat, nec infirma valetudine, Regni ſocium ſibi aſciſcere inſtituit. Gentis igitur conventum, in quo hoc enunciaret conſilium, Syracuſis habendum indixit. Congregatis Decembri menſe anno MCCCXXI coram ſe Dynaſtis, & civitatum nunciis, Pontifices enim, aliique Præſules, qui jus comitiorum habebant, pœnarum a Pontifice maximo modo indictarum, religione præpediti, abfuerunt, Rex e ſolio tulit, placere ſibi in Regni communionem Petrum filium primo loco natum, & jam Regni hæredem deſignatum, aſſumere, ut ſi quid humanitus ſibi accideret, ob Regni ſucceſſorem publica tranquillitas non perturbaretur; filiuſque non tantum verbis, & exemplis, ſed etiam re, & uſu ab ipſo difficilem bene regnandi doctrinam in ſpem reipublicæ ediſceret. Univerſi una mente, una voce Petrum dicendum Regem, ſalutandumque conclamant. Federico maximas tribuunt laudes, maximaſque ob ejus publicæ ſalutis ſtudium gratias referunt; ac Siculæ genti nihil gratius, optatiuſque aci-

ci-

cidere potuiſſe, quam ejus filio ſe fidei ſacramento obſtringendo ſpem cuique Siciliæ etiam poſt ejus obitum obtinendæ præcidere profitentur. Dicta die, qua ritu ſolemni Panormi diademate Petrus donaretur, ac dimiſſo concilio, Federicus de hoc novo Siculorum in ſe, ſuoſque fidei, ſtudiique argumento quam maxime lætus, cum filio Panormum iter per auſtralem Inſulæ plagam carpens proficiſcitur. Quoniam per hanc tempeſtatem ſolemne Regibus erat in ſuis nuptialibus, aliiſque celebritatibus, & præſertim, quum diadema accipiebant, bene de ſe meritos, ad id aptos, cingulo militari decorare, Federicus inter vias per literas illos, quibus hunc deſtinarat honorem, ad diem, qua Petrus coronandus erat, ut hæc, quam ſplendidior inſigniorque fieri poſſet, accideret, ad illum recipiendum convocavit; eis tamen, quid in veſtes, armaque ad id neceſſaria, ſumptus faciendum eſſet, ne in luxuriem, cui modum in omnibus ponere pro ſuo in populos amore ſedulo ſemper ipſe curavit, res, ut uſu venerat, excederet, præſcribens *(a)*.

Ut Federicus Panormum pervenit, magnificentiſſime, quæ uſui ad rem erant, apparatis, ſumma omnis ordinis, præterquam ſacri, ob cauſam, cujus ſupra meminimus, hominum celebritate, ſumma pompa, ſummo plauſu XIII. Calendas Maji anno MCCCXXII adoleſcens Princeps, die Servatori redivivo ſacra, Siciliæ Rex ſalutatur, & ab ipſo Rege patre Regia corona redimitur, ei Petri II. attributo nomine, cingulo militari compluribus ornatis, & a Federico datis Magiſtratibus literis, quibus literis, & in edictis edendis pro incolumitate utriuſque Regis vota nuncupanda, & in publicis actis utriuſque Regis nomen in poſterum præſcribendum mandabatur *(b)*. Panormi, quod in ea Petrus majorum more coronatus fuerit, lapis cum inſcriptione verſibus condita, quam laudati apud Martenem Chronici ejuſdem ævi Scriptor epitaphium vocat, in publicum grati animi monumentum poſitus fuit *(c)*; & merito, nam hac arrepta occaſione Fede-

(a) *Haud ingratum lectoribus erit harum literarum exemplum ex laudato Chronico exſcriptum habere in hujus commentarii fine Mon. num. XXXIX.*

(b) *Idem Chronicum, & Senatus Panormitani tabularium has literas in eam exhibent ſententiam, quam in fine hujus commentarii num. XL. videre potes.*

(c) *En quod in Chronico ſcriptum habetur Mon. num. XLI.*

Digitized by Google

dericus, quibus Panormi civitas immunitatibus perfruebatur, ratis habitis, nova beneficia addidit. Conceſſit, ut, qui Bajulus dicebatur, Prætor, ut olim, nominaretur; ut conſiliis publicis non intereſſent niſi cives, & ab illis milites etiam indigenæ, quia turbas excitabant, excluderentur (*a*); ut exercitus pars, a Mazaræ regione contribuenda, Panormi conficeretur; ut Panormitanæ longæ navi laternæ in prora ſublime ferendæ facultatem claſſis Præfectus permittere poſſet; ut lecti, aliaque ſupellex, Regiis adminiſtris ſuppeditanda, ne pro iis moleſtia civibus exhiberetur, de Judæis conducerentur. Præterea Joanni Claromontio Panormitani portus reſtaurandi curam commiſit. Pollicitus eſt urbem, vel per ſe, quum poſſet, vel per filium Regem Petrum, in ſingulos annos ſaltem per tres hiemis menſes inviſere, ac in ea conſidere; eamque Regi filio, qui utpote in ea natus, tamquam matrem reſpiceret, commendare, ac momenta rationum perpendere, quibus mercatorium frumentorum horreum, quod in Thermis Himerenſibus conſtitutum erat, Panormum transferendum, Dynaſtis, qui proxima Thermis loca obtinebant, contradicentibus, poſtulabatur. Civitati jus dominii, quod in Peregrinum montem, olim Erctam dictum, civibus jus lignandi, quod vel in Regiis nemoribus habere contendebant, experiri permiſit (*b*). Genuenſis quidam Panormum texendi pannos ex lana, & eoſdem, lanamque tingendi artificium induxerat. Quod inde urbi commodi non parum, compendiique redire poterat, Rex, ut illud foveret, ac in majus proveheret, nihil immunitatum non conceſſit (*c*). Ædes Panormitani Pontificis vetuſtate vitium faciebant. Ad eas inſtaurandas Prætori, Judicibus, & curatoribus urbis mandavit, ut ex pecunia, quæ turri ſacræ conſtruendæ attributa erat, Pontifici aureos quinquaginta ſubminiſtrarent (*d*). Irreligioſus inceſſerat mos, ut ſacri miniſtri, aut ſe a funeribus ducendis ſubtraherent, aut his ſine lineo amictu intervenirent, quod quum iniquo animo cives ferrent, Pa-

(*a*) *Has Regias literas edidit de Vio inter Privilegia Urbis Panormi f.* 80.
(*b*) *Vide Monum. num. XLII.*
(*c*) *Lege laudata Urbis Panormitanæ Privilegia f.* 82.
(*d*) *Vide Monum. num. XLIII.*

Panormitanorum commune ab Rege, ut huic malo remedium aſſerretur, exoravit (a). Sanxit quoque Federicus, dum Panormi conſtitit, legem, quam in ſui Regni exordio de inquiſitionibus non agendis ipſum tuliſſe ſuo loco demonſtravimus. Quum vero regnandi uſu didiciſſet in reos indulgentiam fere & abſolutos non corrigere, & damnandorum numerum augere, legem, quam itidem in ſui Regni primordiis de actionibus cum civilibus, tum criminalibus componendis tuliſſe diximus, edicto declaravit, accipiendam tantum eſſe de delictis, quæ pœnam mortis, vel deportationis, vel membrorum amputationis non importarent. His conſtitutis, ac Panormi cuſtodia, procurationeque Joanni Claromontio majori, qui Regiæ curandæ domus munere fungebatur, commendata, Meſſanam cum filio proficiſcitur. Dum ibi morabatur, duo de viginti longæ naves Neapolitanæ Siculum litus percurrentes denuo Liparim depopulatæ ſunt, & Panormi cetaria diſturbarunt. Cæterum viginti ſex longæ naves Meſſanæ extemplo expeditæ, & idoneo claſſiariorum numero juſſu Federici inſtructæ non ſolum eas fugarunt, ſed etiam par pari referentes Brutiorum, & præſertim Rhegii, & Nicoteræ oram diripuerunt.

Federici regnum ejus, & Siculæ gentis virtute, gloriaque inprimis illuſtre etiam, atque etiam ſua ſingulari, eximiaque vitæ ſanctimonia præter Auguſtinum ab Thermis, quem ſuo loco laudavimus, illuſtrarunt Federicus Campiſanus Syracuſanus, nobili loco natus, qui poſt ſanctam in ſolitudine tranſactam vitam ſanctam, beatamque per hos dies obiit mortem; & Conradus, qui ex præclaro Confaloneriorum genere Placentiæ ortus, domeſticis divitiis, honoribuſque ſpretis in Siciliam ſecedens, & ipſe quoque in ſolo apud Neætum loco pauper, abjectuſque vixit, in Divorum numero poſt mortem relatus.

Federicus Siculorum ſtudio Regni poſſeſſionis in ſua ſobole firmandæ Petrum in Regni conſortium aſſumens ſatis non fecit; ut eidem uxorem quamprimum daret, erat illis inſuper in votis; ſiquidem ſponſalia inter ipſum contracta, & Beatricem Henrici Imperatoris filiam, propterea quod hæc Carolo II. Pannoniæ Regi jam nupſerat, evanuerant. Federicus itaque, ut ſubjectorum vota compleret, conjugem filio dedit Eliſabetham, filiam Henrici II. Regis Bohemiæ, &

Ca-

(a) *Vide Monum. num. XLIV.*

Carinthiæ Ducis, inter ipſas Germanas, quæ plerumque bene moratæ puellæ ſunt, & in morigeras uxores, optimaſque matres familias, ut plurimum evadunt, non minus moribus, quam genere illuſtrem. Quamvis, quia Federicus, & Petrus Panormo, ut memoravimus, Meſſanam demigrarant, Panormitanorum commune per ſuos Oratores, & præſertim per Joannem Urſinum ſuum Pontificem, Reges, ut hæ nuptiæ non alibi, quam Panormi, utpote Regni capitis, & Regum ſedis, celebrarentur, rogarint (a) eiſque agendis dies natalis Domini præſtitutus fuerit; tamen nec ante IX. Calendas Majas an. MCCCXXIII, & Meſſanæ peractæ fuerunt; in his etiam, ne aliquid ad earum decus, pompamque deeſſet, haud paucis cingulo militari honoratis.

Aragonum Reges jus in Sardiniam, Corſicamque habere, ut dictum eſt, contendebant. Piſani ſub hoc tempus majorem illarum partem occupabant. Jacobus, qui ad has inſulas ſibi vindicandas animum intentum uſque habuerat, nullum opportunius id conſequendi tempus, quam hoc, arbitratus, quando Gibellini Genuenſi bello impliciti Piſanis ſuccurrere nequibant, ad illas cum idoneis maritimis, terreſtribuſque copiis adoriendas Alphonſum ſuum filium miſit. Federicus propter fœdus, quo Gibellinis obſtrictus erat, huic expeditioni nequaquam ſe immiſcuit, niſi quod fratrem ab ea dehortari conatus eſt; ſed fruſtra. Nam Alphonſus Sardiniam aggreſſus, eam intra annum, præter Calarim, quæ tamen ſtipendiaria Regis Aragonum Piſanis ſuperfuit, univerſam una cum prope continenti Corſica in ſuam redegit poteſtatem. Federicus, qui nullam remunerandi bene de ſe meritos occaſionem prætermittebat, a fratre impetravit, ut Calvium haud ignobile in Corſica caſtrum Conrado Auriæ, ſuæ claſſis præfecto, vectigale concederet. Jacobus enim Sardinia, Corſicaque ſub ſuam ditionem ſubjunctis, cogitans ad eas retinendas haud parvi momenti ſibi futurum, ſi Siciliam auxiliariam haberet, ut hæc penes ſuam gentem maneret, ſtudere, fratriſque amicitiam ſibi omnibus conciliare officiis animum induxerat. Per hoc ipſum tempus Rex Stephano Brancifortio ſuo conſiliario, ac rationum magiſtro, ſe quoque pro ejus meritis beneficum præſtitit, rata habita venditione oppidi Mazareni, ac vectigalium prædiorum Bracalachii, & Gibelſemi, Brancifortio a Calcerando Villanova milite facta pretio viginti quinque

(a) *Vide Monum. num. XLV.*

Digitized by Google

que auri pondo cum deunce, ea lege, ut pretii dimidium præſenti pecunia ſolveret, reliquum militi Raphaeli Brancifortio, ejuſdem Stephani filio, matrimonii inter eum, & Gratianam, Calcerandi filiam, initi cauſa, donatum haberetur (*a*).

Inter hæc Robertus, qui, proptereaquod Federicus in Regni conſortem filium ſummo Siculorum aſſenſu aſciverat, eique uxorem dederat, Siciliam aliter, quam bello, obtinere poſſe deſperare cœperat, & Federico, ut cum maxime, quod Gibellinis Genuenſibus opem tuliſſet, iratus, offenſuſque erat, ad Genuam ſibi conſervandam Gambateſæ virtutem ſufficere ratus, a Provincia Neapolim ad Siculum bellum majoribus, quam alias, viribus renovandum regreditur. Id ut Federicus cognovit, ſe ad belli curas revocavit, ea, quæ ad hunc belli turbinem, qui poſt tot alios ſibi ſævior impendebat, ſuſtinendum paratu opus erant, parando. Panormum, Meſſanam, Drepanum præſidiis firmavit. Qui in patentibus maritimis locis agerent, ut repentinas hoſtium incurſiones effugerent, ſeſe in intima recipere edixit. Peditum ſtationes in litora exſcenſionibus magis patentia, expoſitaque, ad has diſtinendas, diſtribui juſſit. Simoni Valguarneræ, cujus virtuti, fideique plurimum tribuebat, negotium dedit, ut cum electa equitum turma oram ad hoſtium excurſiones prohibendas obiret. Neapolitani enim jam noſtra litora incurſare, prædaſque agere inceperant. Inter has tamen, quibus conflictabatur, moleſtias non parum ſolatii ei fuit nepos, quem ſub hoc tempus, anno ſcilicet MCCCXXIV ex Petro filio, & regni Collega, ſalva matre, habuit, cui avi nomen impoſitum fuit. Sed brevi in luctum ob infantis repentinum obitum hæc lætitia evaſit. Verum tamen neque bellicæ ſolicitudines, nec domeſticus luctus impedimento Federico fuere, quominus his legibus Ennæ, quo per eos dies ſe contulerat, latis reipublicæ magis magiſque proſpiceret: qui in caſtris, vicis, villis, domibus, proſcriptos exciperent, celarentque, Proceres aureis ducentis quinquaginta, reliqui aureis centum viginti quinque multarentur, multâ eâdem, aliiſque pœnis ad Regis arbitrium Magiſtratibus, ſi illam ab reis non exigerent, afficiendis: quum non tam maleficia punire,

(*a*) *Vide Monum. num. XLVI.*

Digitized by Google

re, quam ea præripere, vias, cauſas, inſtrumenta, materiamque ad eadem committenda præcidendo, operæ pretium ſit, qui arma occulta geſtaſſe vel indiciis convincerentur, major Dynaſta aureorum centum viginti quinque, minor, & miles aureorum ſexaginta duo cum ſemiſſe, reliqui cives viginti quinque aureorum pœnam Fiſco penderent, delatoribus, denunciatoribus, accuſatoribuſve quarta pœnæ parte acquiſita: qui coitiones domi, foriſve facerent, vel inſolito domeſticorum, amicorum, ſubjectorum, clientum comitatu Regiam, Curiamve adirent, ſi Dynaſtæ majores aureorum ducentorum quinquaginta, ſi minores aureorum centum viginti quinque, cæteri cives aureorum triginta ſeptem cum ſemiſſe multâ punirentur: qui Judæos in ſuam fidem, clientelamque reciperent, ac pro his intercederent, quominus muneribus Regiæ Curiæ ab ipſis debitis ſatiſfacerent, majores Dynaſtæ aureorum centum viginti quinque, minores, & milites aureorum ſexaginta duo cum ſemiſſe, reliqui cives aureorum viginti quinque pœnam ſubirent: Judæi vero, qui hujuſmodi patrocinia ſibi compararent, multam aureorum duodecim cum ſemiſſe penderent, &, ſi non poſſent bonis, corpore luerent. Principio ea fuit feudorum, quæ dicuntur, conditio, ut extincto eo, cui fuerat datum, feudum ad Regem rediret. Deinde obtinuit, ut illud in hæredes legitimos conſenſu Regis tranſiret, adnumerata ei certa pecunia, qua hæres caducum feudum relevare dicebatur. Unde factum eſt, ut id, quod pro ſucceſſione feudorum Regi exſolvitur, Relevium barbaro vocabulo appellaretur. Federicus, quod ad hoc Relevii jus attinet, legem tulit, qua cavit illud deberi non expectata morte donantis, vel dividentis, ſed ſtatim ac filius, vel alius ab inteſtato ſucceſſurus, feudum donationis vel diviſionis cauſa pleno jure adipiſceretur. Non parum communium intereſt Ædiles, ſive communium curatores, ii ſcilicet, queis publici ærarii, locorum publicorum, tum annonæ cura delata eſt, quoſque nos Juratos appellamus, probe ſuo perfungi munere; quocirca Rex noſter, qui nihil, quod in publicum conduceret bonum, prætermittebat, has ædilitias præſcripſit leges, ut nempe Jurati operam darent, ne quid publicarum rerum, pecuniæque publicæ deperiret; ut publicos reditus exigerent; de eo, quod in rem publicam impenderetur, accepti, & expenſi ratione ſubducerent; annonæ providere præoccuparent; pretia venalibus rebus imponerent, impoſitaque ſervanda curarent; caverent,

Digitized by Google

rent, ne quid fraudis in cibariis vendendis admitteretur; pondera, & menſuras examinarent; ne quid in publico ædificari permitterent; publica ſarta tecta præſtarent; ædificia ruinam minantia ſolo æquari ne cunctarentur; ſaltem ſingulis Veneris diebus mane in unum ad res publicas communi conſilio pertractandas, deliberandaſque coirent; quum Magiſtratu abirent, de ſua adminiſtratione ſucceſſoribus rationem referrent.

At Federico animum ad civilia negotia diutius attendere non licuit, ad bellica convertere opus habuit; quandoquidem, Robertus, data Carolo filio, Brutiorum Duci, uxore Maria, Caroli Valeſii filia, hiſque celebratis nuptiis, totus in eo erat, ut quam maturrime, & quam maximis cum terreſtribus, tum maritimis copiis poſſet, Siciliam adoriretur; adeoque hæc expeditio ei cordi erat, ut quotidie navalia ad maritima opera urgenda adiret; & quod plus eſt, quamquam filius, Regnique hæres vix cum uxore ſe conjunxerat, illum tamen ejus expeditionis ducem deſignare non dubitarit. Contendit quoque a Pontifice Maximo, ut iis, qui ſub filio contra Federicum mereret, plenam culparum, pœnarumque remiſſionem conceſſam declararet. At Joannes id negavit, cauſatus Federicum non eſſe adhuc ita proſcriptum, ut bellum contra eum, ſacrum eſſet bellum. Sed parum abfuit, quin hanc expeditionem Roberti mors dirimeret. Conſpirarant enim aliquot, ut alii ſcribunt, exules Florentini, ut alii, Tuſci Gibellini, ut Villanius tradit, ſicarii, Catalauni, & Tuſci, ad ei, filioque necem, ſimulque navalibus faces inferendas. Detecta tempore conjuratio. Rei comprehenſi, in cuſtodiamque traditi. Quicumque ii fuerint, fama emanavit, Federicum, ut impendentem belli turbinem, cui reſiſtere diffidebat, disjiceret, illos ad Robertum, Carolumque parricidio tollendos vel magnâ pecuniâ conduxiſſe. At conjurati ad quæſtionem abrepti ſcelus quidem faſſi ſunt, ac proinde de ipſis ſumptum ſupplicium; ſed Federico, ut Conſtantius, cæterique Neapolitani hiſtorici ſincere teſtantur, neque ut auctore, neque ut conſcio indicato. Unus Giannettaſius non modo hoc ſilentio præterit, ſed etiam ea poteſtate, quæ pictoribus, atque poetis quidlibet audendi ſemper fuit, ſcribit, Federicum, quum cognoviſſet, quæ a Roberto contra ipſum parabantur, ad ſolitas artes converſum magnam pecuniam quibuſdam Hetruriæ Gibellinis ſe numeraturum promiſiſſe, ſi Robertum, & Carolum occidiſſent, ſi mi-

Digitized by Google

nus, navalia incendiſſent, quaſi Rex noſter alias Roberti, aliorumve capiti ejuſmodi ſtruxiſſet inſidias, talibuſque conſueviſſet flagitiis; & quaſi non alias ab aliis in Roberti vitam conjuratum fuiſſet. Nonne ipſemet Giannettaſius ſuperiore anno, non a Federico, ſed a Gibellinis, quoſdam Roberti famulos ingenti pecunia, ut ei necem inferrent corruptos, de his habitum indicium, pœnamque ſumptam tradit? Cæterum tantum abfuit, ut novus adverſus Federicum bellicus apparatus ipſum adeo conſternaverit, ut ad infames, ſceleſtaſque, quas ei Giannettaſius adſcribit, artes confugerit, ut per hos ipſos dies non dubitarit, Blaſcum Alagonam, illius nepotem, quem haud ſemel hoc in opuſculo laudavimus, & Bernardum Senen, alioſque gnavos duces cum idonea militum manu, qui Brutium populabundi diſcurrerent, tranſmittere. Accedebat ad animum hoc tempore Federico addendum, quod non ut antea Aragonum Regem aut ſibi adverſum, aut medium haberet. Sed, ut demonſtratum eſt, ſui quam maxime ſtudioſum, cupidumque. Et ſane Jacobus, ut intellexit Robertum contra Siciliam bellum reſtituturum, Franciſcum Carroſium, ſuæ claſſis Præfectum, cum vicenis probe inſtructis navibus in Sardiniam miſit, quæ non ſolum illi Inſulæ præſidio eſſent, verum etiam, in Siciliam germano, ſi uſus venerit, ſubſidio accurrerent.

Federicus porro, ubi novum ſibi inſtare ab Roberto bellum ſenſit, non ad illas quidem, quas ipſi Giannettaſius affingit, artes, ſed ad ſibi ab hoc novo æmuli conatu, æque ac ab ſuperioribus, præcavendum, omnibus, quibus liceret, rationibus, animum retulit. Et quidem, quum exploratum habuiſſet, Robertum infeſtis, quæ adverſus Siciliam expediebat, armis, Regni caput Panormum primum appetere deliberaſſe, etſi fidei, virtutique Claromontii, cui eam tutandam, ſicut ſcriptum eſt, commiſerat, plurimum confidebat, attamen, qui huic ad tutelam urbis adeſſent, Blaſcum Alagonam minorem, qui ex Brutio manubiis onuſtus redierat, Petrum Antiochiam, Joannem Claromontium minorem Mutycæ Comitem, Petrum Lanceam, & Simonem Valguarneram, compluresſque alios nobiles viros, cum ſexcentis equitibus eo præmiſit. Suppeditare tamen affatim urbi, incolis frequenti, cibaria, propterea quod ſumma eo anno illorum penuria Siciliam univerſam tenebat, nequivit. Interim jam Robertus centum tredecim longarum navium, e quibus triginta Genuen-

Digitized by Google

nuenſium erant, claſſem, & tantæ claſſi reſpondentem onerariorum navigiorum, armis, machinis, commeatuque refertorum numerum adornarat, inſtruxeratque; in naves cum ex ſuis, tum ex auxiliis, quæ a fœderatis, ſociiſque undique corrogarat, præter ingentem peditum vim tria cataphractorum millia, maximum ut illis temporibus exercitum, impoſuerat; filio, ut ei opera, & conſilio præſto eſſent, prope omnes tum Regni Neapolitani, tum Provinciæ proceres, e quibus non pauci ſtrenui, bellique experti erant viri, comites, adminiſtroſque dederat. Cum tantis, talibuſque copiis ut eis, ſunt Giannettaſii verba: *Non una Sicilia, ſed & ipſa etiam Africa ſubigi non multo labore potuiſſet*, Carolus Brutiorum Dux, ubi primum tempeſtas tulit, ad VIII. Idus Maii anno MCCCXXV. Neapoli Panormum verſus ſolvit. Initio uſus eſt ſecundo mari; at mox reflante vento Inarimen appellere, ac ibi uſque ad X. Calendas Junias in anchoris ſtare coactus fuit, curſuque, ut adverſus ventus reſedit, reſumpto ad VII. Calendas Junias, Panormitana litora tandem tenuit. Exſcenſionem ad id litoris, quod Caſſariorum dicebatur, nullo prohibente fecit; caſtraque haud procul ab urbe poſuit; etenim non poterant noſtri tantis viribus aperto marte ſeſe opponere, ſed cum quantis habebant copiis, intra mœnia ad ea defenſanda ſe continuerunt. E veſtigio, facta ab hoſte vel lixis, calonibuſque toto agro diripiendi poteſtate, pecus abigitur; ſegetes evelluntur, vel incenduntur; quicquid vitium, arborum, plantarum circum virebat, exciditur; villæ demoliuntur; nec Regiorum Cubæ hortorum ratio ulla habetur, malis Aſſyriis, queis abundabant, itidem cæſis. Carolus putabat hac ratione Panormitanos perterrere, perterritoſque ad deditionem ſine diſcrimine adigere. At quum hæc opinio eum fruſtrata eſſet, conſilium cum ſuis, quid factu opus foret, habuit. Proceres Neapolitani urbem non aggrediendam, ſed obſidendam, quod muris, milite, ducum virtute, civium fide, adeo munita eſſet, ut ejus vi capiundæ aut nulla, aut parva ſpes oſtenderetur, opinati ſunt, & quidem recte; nam Panormitani cum optimates, & præcipue Matthæus Sclafanus, Nicolaus, & Henricus germani fratres Abbates, Simon Eſculus, & Joannes Calvellus, tum populus univerſus nihil non audere, extremaque perpeti potius, quam Andegavenſibus cedere, &

 ſua

ſua ſponte, & Meſſanenſium aut excitati, aut provocati literis (*a*) parati erant. Contra Genuenſes, qui ſtudio ulciſcendi injurias, ac detrimenta, quæ a Siculis pridem acceperant, flagrabant, Caroli gloriæ convenire, Panormum actutum impugnare, civitatemque deliciis deditam, ac ad bellicos impetus inſolitam expugnare non tam difficilem, ut prædicabatur, rem fore contendebant. Carolo, ut ſunt juvenes, & juvenes quidem generoſæ indolis, ad ſequenda temeraria, quam tuta conſilia procliviores, hæc ſedit ſententia, eidemque Neapolitani Proceres, ne imbelles, timidique viderentur, aſſenſi ſunt. Carolus itaque eductas e caſtris copias inſtructa acie ad urbem promovit. Dirutis fanis, quæ propter ſtabant, ac ex illorum cæmentis aggeribus excitatis, per triduum, quæ minus valida apparebant, loca ad portas Græcorum, Thermarum, Mazaræ, & Hiccaræ impetus factus. Nihil non adhibitum machinarum, tormentorumque, quæ illa tempeſtate in uſu ad percutienda, quaſſandaque mœnia erant. Ignis portis admotus. Magna data opera, ut catena, quæ portum claudebat, effringeretur. Quæ ad oppugnationem urbium tunc uſurpabantur, omnia Carolus expertus, ſed omnia irrito conatu. Nam Joannes Claromontius, etſi podagræ doloribus per eos dies urebatur, aſſiduus tamen urbem circumiens, nihil, cui non proſpiceret, reliqui faciebant. Ab muris tuendis noctem, diemque nunquam ceſſatum. Magna miſſilium, lapidumque, ex ſtratis plateis erutorum, vis ad arcendos hoſtes jacta. Pix liquefacta, fervens oleum, ſulphureæ tædæ, reliquæ res, quæ ſunt ad incendia, in eorum machinas immiſſa. Aqua ad extinguendum ignem injecta. Bellica inſtrumenta ad hoſtilia evertenda adhibita. Nihil, quod ad urbium propugnationem pertinet, omiſſum. Nec inferiorum ducum virtus, operaque deſideratæ. Neque milites ducibus, neque duces militibus, neque utriſque cives defuerunt, adeo ut Carolus, quum rei difficultatem expertus eſſet, cognoviſſetque, in urbe annonâ laborari, ex ſuis plus ducentis interemptis, & plus mille ſauciis, incepti pœnitens, ut iis uſuvenit, qui fidentius, quam cautius aliquod capeſſunt, cum militibus corpore defeſſis, animo demiſſis ſeſe in caſtra re-

(*a*) *Vide Monum. num. XLVII.*

receperit ea mente, quæ principio Neapolitanorum Procerum ſententia fuit, ſic urbem corona cingendi, ut commeatu prohibitam, quam armis expugnare non poterat, fame pervinceret. Et profecto, quamquam Claromontius & ſua, & cætera urbis horrea pateſieri, & quicquid cibariorum undique conquiri poterat, in ſingulos modo diſtribui juſſerat, ea tamen inita ratione non niſi paucos admodum dies ſuffectura erant.

His in anguſtiis Panormi res erat, quum peropportune a Roberto literæ ad filium venere, quibus literis Robertus metuens, ne urbes, arceſque obſidendo, quæ bellandi ratio tempus poſtulat, copiæ, quas terreſtres, maritimaſque Carolus in Siciliam adduxerat, ſic attererentur, ut facile inde Federico eſſet ea profligare, ſimulque cum animo volvens quos filius, ſi in Sicilia diu verſari oporteret, caſus recipere poſſet, ei mandavit, ut Panormi obſidione illico dimiſſa, eam belli gerendi rationem inſtitueret, ut munitis locis præteritis, agri, ac quidquid patens, immunitumque in Inſula eſſet, id omne terra, marique excurrens, ferro, ignique depopularetur, ſegeteſque incenderet, quo Siculi, qui armis difficile, nec ſine labore, ac ſanguine devinci poterant, vaſtatis agris, boniſque direptis, egeſtate, fameque parvo negotio, nulloque diſcrimine tandem perdomarentur. Specialis tradit, Claromontium, alioſque duces, qui Panormi præſidio erant, annonæ difficultate preſſos ad Federicum literas per fidum hominem mendici perſonam indutum miſiſſe, quibus literis certiorem eum faciebant, ni urbi quamprimum ſubveniretur, futurum fore, ut ipſi urbem deſerere, ac in arcem ſe recipere ſubigerentur; literis ab hoſtibus interceptis, ac re a filio ad Robertum relata, hunc aliquid in ea commenti, fraudiſque ſubeſſe ſuſpicatum, filio præcepiſſe, ut ab Panormi obſidione abſcederet. Contra Giannettaſius ſcribit, Brutiorum Ducem non juſſu Patris, ſed ex ſua ſententia ratum capi Panormum ſine totius exercitus internecione non poſſe, obſidionem ſolviſſe. Nos laudati Chronici auctorem, Fazellum, Conſtantium, alioſque, quorum narratio magis veriſimilis, ac cohærens nobis viſa eſt, ſecuti ſumus. Quicquid autem cauſæ fuerit, cur Carolus Panormi obſidionem dimiſerit, & an ex ſua, vel patris ſententia, id egerit, illud inter omnes convenit, poſt dies viginti quinque, quam Panormum exſcendit, inopinato ad XIV. Calendas Junias, quum Panormitani id ſibi minus ſperabant, vaſa

con-

Digitized by Google

conclamari, ac caſtra moveri juſſiſſe. Qui ſcribunt, Carolum imperio Patris id egiſſe, invito egiſſe animo addunt, quandoquidem urbem brevi in ſuam redactum iri poteſtatem ſperabat; & haud temere ſperabat, non ſolum, quia ad ultimas anguſtias ob cibariorum inopiam ea redacta erat, ſed etiam quia ejus mœnia ita concuſſa, labefactaque ab oppugnatione remanſerant, ut poſt triduum, quam Carolus diſceſſerat, ſi Villanio credimus, ad tercentos cubitos; ſi Giannettaſio, qui religioni non habet res amplificare, magna parte corruerint.

Quæcumque autem fuerint pericula, quibus ſe objecerint, damnaque, quæ ſubierint, ea Panormitani pro nihilo duxere præ gratia, quam inde ab Rege inierunt, ipſis ab obſidione ſolutis Regiis teſtata literis, quibus literis Rex, eorum fide, virtuteque collaudata, detrimenta, quæ paſſi erant, ſe pro ſua clementia eiſdem largiter reſarturum profeſſus eſt. Dictis facta reſponderunt, nam non unum, aut alterum beneficium in cives Panormitanos continuo contulit. Immunitatem portoriorum eis conceſſam confirmavit. Ut urbis muri reficerentur, conſtituit. Ruinoſa ædificia, ne inde vel damnum incolis, vel urbi deformitas crearetur, amoliri juſſit. In plateis, viiſque publicis, ſi pergulæ, ſcalæ, vel quid aliud extructum fuerit, quod platearum, viarumque concinnitati, vel publico commodo officeret, ut amoverentur, edixit. Decrevit, ut in civibus Panormitanis ad æs alienum diſſolvendum coercendis idem in Prætoria, & in qualibet Regni, qui in magna Curia, ritus ſervaretur. Quo commercium Panormum conflueret, ex ora Thermarum Himerenſium, & Segeſtani Emporii quidquam exportari vetuit. Ut ad Magiſtratus, muneraque urbis, quæcumque ea eſſent, cives tantum, & ii per ſuffragia quotannis eligerentur; muneribuſque defuncti adminiſtrationis rationem redderent, repetundarumque lege tenerentur, conſtituit. Ne cives de hoſpitio, lectiſve, niſi familiaribus, miniſtriſque Regiis, accommodare cogerentur, ſanxit (a). Neque ſolum fide, virtuteque, quas Panormitani tantis viribus obſeſſi, atque oppugnati Regi præſtiterunt, hujus benevolentiam, beneficentiamque ſibi cumularunt, ſed & ſimul magnam glo-

(a) *Has Federici literas legere eſt apud ſæpiſſime laudatum de Vio inter Privileg. Urbis Panormi f. 84. & ſeq.*

gloriam apud univerſum Siculum nomen inde pepererunt. Extant literæ ad eos ab Catinenſibus ſcriptæ, laudum plenæ, quibus literis de rei exitu pro fraterna inter has civitates neceſſitudine Catinenſes Panormitanis maximopere congratulati ſunt (*a*).

Carolus caſtris Panormo motis cum exercitu terreſtri itinere, per Raffalaimum, Corilionemque, Mazaræ regionem petit; ſimulque claſſis e Panormitano litore ſolvens Gallum promontorium flectit, juſſa, ab Carolo oram locis, in quibus exercitus verſaretur, proximam legendo, vel ad anchoras ſubſiſtere, quum exercitus conſideret, vel quum hic procederet, & ipſa provehi. Carolus interim, ut Panormitanorum fines, in queis, quod vaſtandum eſſet, reliqui non erat, tranſgreſſus eſt, in agmina hac illac diſpertitis militibus, eis imperavit, ut univerſam obviam regionem excurrentes, quaquaverſus depopularentur. Nulla mora, nulla intermiſſio. Undique deflagrant caſæ, ſimulque fruges & jam meſſæ, & ad meſſem maturæ. Vineta, plantæque jacent. Nihil integrum a vaſtitate relictum. Agricolæ perditos labores, ſpes dejectas, fortunas omnes peſſundatas dolentes, trepidi in oppida confugiunt. Agri majoribus affecti detrimentis fuere Corilionenſis, Salemitanus, Caſtroveteranenſis, Saccenſis, Lilybætanus. Cladem proferendi hoſtibus non animus, ſed vires defuerunt. Milites quidem & continuis concurſationibus, & tempeſtatis ardore adeo defeſſi, languidique erant, ut Carolus eis laxamenti aliquid concedere, maxime quod æſtas ingraveſcebat, neceſſe habuerit. Juſſit itaque receptui ſignum dari, ac caſtra ad Calatabellottæ amnem poni, unde aqua milites ſe, equoſque affatim refrigerare poſſent. Omnibus in caſtra coactis, quieteque refectis, Carolus nihilominus, quod ipſos tædio ejus generis militiæ, ac patriæ deſiderio captos animadvertit, diſceſſum cogitare cœpit. Vaſis igitur collectis, copias in propinquum litus, in quo claſſis ad anchoras conſiſtebat, traducit, eiſque in naves impoſitis, ſolvi, & ad Meſſanenſe litus curſum intendi imperat. In illud exſcenſione, nemine obſiſtente, non longe ab urbe nonis Auguſti facta, quicquid erat vitis, arboriſque, in quo totæ Meſſanenſis agri fortunæ poſitæ ſunt, evaſtatum, exinanitumque fuit, Rege e ſumma

ar-

(*a*) *Vide Monum. num. XLVIII.*

Digitized by Google

arce inſpectante, ſed ſe, ſuoſque intra mœnia continente, adeo ut equites hoſtium aliquot agmine facto, muris intra teli jactum appropinquare haud veriti fuerint. Regina autem, viro non inſcio, urbe egreſſa eſt, ut cum Carolo colloqueretur, exploraretque, ecqua concordiæ inter virum & fratrem, ipſa interprete, copulandæ ratio iniri poſſet. At Carolus ex ſuorum Conſiliariorum ſententia, ne Patri diſpliceret, eam videre, nedum audire negavit; quin immo in claſſem cum omni exercitu ad XVI. Calendas Septembres protinus conſcendens fretum trajecit; & ad Brutii præſidium, veritus, ne Federicus vicem relaturus, in illud ipſo digreſſo excurſionem faceret, copiarum parte relicta, Neapolim petiit, prædonis potius, quam ducis gloriam aſſequutus; nihil quippe hac expeditione dignum Principe egit, niſi quod Siculorum animos magis, magiſque exaſperaverit, inimicioreſque ſibi, ſuæque genti fecerit. Quas ipſe noxas Siculis intulerat, Siculi ſarcire potuerunt, quod vero odii in ipſum, ejuſque gentem Siculi inde conceperant, ipſe reparare non potuit. Ut Neapolim rediit, quamvis nullo emolumento, actæ nihilominus, quod claſſem incolumem reduxerit, Deo Optimo Maximo gratiæ, ludique celebrati.

Quod filii in Siciliam expeditio parum ſucceſſerit, etiam atque etiam ad Siculum perſequendum bellum, ſeu potius ad Siculos agros pervaſtandos Robertum accendit. Inſequenti igitur anno MCCCXXVI. majoribus inſtructum copiis, Carolum itidem ad eamdem rem eo mittere conſtituerat. At quia per hoc tempus hunc Florentini, ut ſuis, a quibus premebantur, reſiſtere hoſtibus poſſent, Florentiæ urbis Principem, rectoremque ſibi aſciverunt, filio Florentinis conceſſo, hujus loco cum claſſe octoginta longarum navium, & fere termille equitibus Bertrandum Baucium Montis Cavenſis Comitem, Comitem novellum dictum, ſororis virum in Siciliam miſit. Is ad Soloenti oram expoſito milite, atque ibidem in anchoris claſſe relicta, infeſtis ſignis Thermas Himerenſes adit; domos veteris oppidi, & ſuburbii diripit, direptas qua ſolo æquat, qua incendit; ac igne pariter aliquibus vinetis injecto claſſem repetens ab Soloento ad Inſulæ oram, quæ ad Orientem ſpectat, navigat; fretumque prætervectus ad Leontina appulſus litora deſcendit, & aut nullo, aut parvo Leontino agro, qui rei frumentariæ in Sicilia caput eſt, allato detrimento, oram eamdem relegit. Claſſem præter Acim, quæ tum Catinenſis Sacerdotii juris erat, navigantem oppidani tantis, ac talibus maledictis, conviciiſque

pro-

proſequuntur, ut Bertrandus ira accenſus, navibus litori admotis, expoſitiſque in terram militibus, oppidum invaſerit, quod quum incolis vacuum, namque hi, ut militum exſcenſionem proſpexere, in arcem cum ſua, quam quiſque exportare poterat, re conceſſerant, inveniſſet, de eo, quod reliquum reperit, facta præda, nec agro intacto relicto, in claſſem cum milite ſe referens, curſum Meſſanam verſus perſequitur. Ex eo, quod propter incolarum linguæ intemperantiam Acis flammis data fuerit, ferme in proverbium apud finitimos ceſſit, quum cuiquam Acenſium loquacitatem exprobrare quis vellet, eum Acim ambuſtam nuncupare. Meſſanæ Bertrandus propter locum, quem Paradiſum vocant, paullulum commoratus, inde vela faciens ad Soloenti litus, unde diſceſſerat, naves applicuit, militemque expoſuit, haud multo locis, quæ in hoc ſuo curſu attigerat, propterea quod Rex per univerſam Inſulæ oram ſtationes diſpoſuerat, importato maleficio. Nihilo tamen ſecius, quin a Soloento ad Ciminnam, mediterraneum oppidulum, hoſtes excurrerent, illudque prædarentur, ac quas res tranſportare non potuerunt, comburerent, prohibendi copia non fuit. A Ciminna in Panormitanum agrum uſque ad Divi Georgii litus, ac ad Admirati, qui dicitur, pontem digreſſi, quod Panormitani armati ipſis occurrerunt, haud multo novi illato damni abiere. Ad naves itaque regreſſi, ut tempus tulit, Cajetam verſus vela fecerunt. Hanc duæ aliæ ad Siciliam infeſtam habendam proximis annis MCCCXXVII, & MCCCXXVIII expeditiones excepere, una ductu Rogerii Sangineti, Coriliani Comitis, quem nihil memoria dignum Specialis geſſiſſe teſtatur, & altera Barbanayra Genuenſi Imperatore. Is decem & novem ſuæ gentis longis navibus ad Auguſtam deſcenſionem fecit; ac occupato, quod ex oppido reliqui erat, ſe ad caſtrum defenſoribus ferme nudatum adoriendum parabat. Id ut cognovit Blaſcus Alagona minor, qui Catinæ propinquæ urbi præſidebat, noctis ſilentio cum idonea hominum manu eo profectus ad latebroſum locum, qua ex oppido ad mare hoſtibus tranſeundum erat, in inſidiis, ut inde illos interciperet, conſedit. Res ex ſententia ſucceſſit. Nam, quum hoſtes ex oppido ad naves tranſirent, ubi a noſtris, qui latebris eruperunt, ſibi inopinato ad claſſem receptum intercluſum conſpexere, pugnam, & quidem non æquam, ipſi quippe magna ex parte nautæ erant, conferere coacti, plures ceciderunt, reliqui, & ipſe Barbanayra, multis confectus vulneribus, captivi facti ſunt, atque in vin-

cula rapti, claſſe duce deſtituta, a remigibus, qui in ea manſerant, ob improviſum caſum, quid agerent, & quo ſe verterent, incertis, in altum provecta. Cæterum hæ excurſiones etſi nullum quidem ad Siciliam ſuam faciendam, quod ſibi Robertus propoſuerat, momentum faciebant, attamen non eſſe maximæ Federico, Siculiſque perniciei non poterant. Præterquamquod privatas opes perdebant, ærarium ita exhauſerant, ut unde ſtipendium militibus, claſſiariiſque perſolveretur, non ſuppeteret; ob agrorum vaſtationem, cibariorum caritas in dies ingraveſcebat, & numerus otioſorum, indigentiumque augebatur; unde, ut uſu venit, oppida, urbeſque, nedum rus, & viæ, latrociniis infeſta, adeo ut, ſi Robertus in hac belli gerendi ratione, per aliquot annos perſeverare potuiſſet, in ſummas utique Siciliam adduxiſſet anguſtias. At caſus interceſſit, qui ipſum omnes ſuas ad ſe defendendum adhibere vires coegit. Defuncto Henrico VII, inter duos Cæſares paribus lectos ſuffragiis Ludovicum Bavarum, & Federicum Auſtriacum, diuturnum acerbumque bellum exarſerat. Aſt denique, victo, captoque æmulo, Ludovicus in Italiam cum valido exercitu venerat, ut Joannem Pontificem maximum, qui ipſi adverſabatur, in ordinem redigeret, Guelforumque factionem, & cum primis Robertum, qui ejus veluti princeps in Italia erat, profligaret. Ut hoc cepit conſilium, probe intelligens ad illud perficiendum belli ſocietatem cum Rege noſtro magni momenti fore, Albertum Averetburchium, Jeroſolymitanæ equitum familiæ in Germania Præceptorem, in Siciliam ad eam conciliandam miſit, datis ad Joannem Claromontium literis *(a)*, ut is gratia, auctoritateque, qua apud Regem valebat, negotio Alberto credito ſuffragaretur. At res, quod non minus ad Federici, quam ad Bavari rationes expediebat, haud multæ operæ fuit. Nuncio comiter excepto, liberaliterque habito, fœdus brevi tempore his facile conſcitum fuit conditionibus, in communes hoſtes communiter arma inferrent, ab eiſque communibus viribus ſe defenderent; Ludovicus legionibus, Federicus claſſe Neapolitanum Regnum eodem temporis veſtigio adorirentur; Federicus Ludovico, qui pecunia non affluebat, in hujuſce expeditionis cauſam ducenta ſeptuaginta ſeptem auri pon-

(a) *Vide Monum. num. XLIX.*

pondo cum dodrante ſuppeditaret. Albertus, confecta ex ſententia re, ad Cæſarem revertitur. Viciſſim Federicus Franciſcum Acellum ad eumdem legat, qui & fœdus ſuis verbis firmet, & ab Ludovico, quales ipſius in bello gerendo partes futuræ ſint, exploratius percipiat. Legatus Imperatorem ad Tridentum convenit, quum ibi concilium cum nunciis civitatum Italiæ, quæ pro ipſo ſtabant, habebat. In hoc concilium & Federici Legatum admittere Ludovico placuit. Legatus probe de mente Cæſaris edoctus Siciliam repetiit, cum ipſiuſmet Cæſaris literis & ad Federicum, & ad Petrum Reges datis *(a)*, per quas his ſignificabat, Germaniam ſua imperata facere, civitates Italicas per ſuos nuncios Tridentum congregatos in ipſius ſe ſe tradidiſſe poteſtatem; quod erat reliqui, ipſum Romam, ut ibi Imperii inſignia acciperet, primo quoque tempore petiturum, cætera ab legato, cui conſiliorum omnium copia facta fuerat, intellecturos. Quum res Roberti, & Federici ſic ſe haberent, facile quiſque intelligere poteſt, quam parum veriſimile ſit, & quam parum cum ſuperioribus factis congruat, quod non laudati Chronici auctor, non Specialis æquales temporum illorum, non ex noſtris, vel Neapolitanis, quos ego legerim, ſcriptor aliquis, ſed Surita exterus hiſtoricus ex Montanerio, & ex Surita unus Caruſus tradunt, Aragonum nempe Regem per hoc quoque tempus ex integro Federico fratri inſtitiſſe, ut alio Regno accepto, Siciliam Roberto cederet; Federicum primo reſpondiſſe, ſe ad pauperis equitis ſtatum redactum iri paſſurum potius, quam Siculos deſerturum; poſtea Gaſtonis Montecateni, Oſcienſium Pontificis, ac Aragoniæ magni Scribæ, unius ex Legatis, quos ad id Jacobus in Siciliam miſerat, eloquentia pervictum declaraſſe, Siciliæ Regis titulo dimiſſo eam ſtipendiariam, vectigalemque Roberto facturum; ſed quia ne hoc quidem Robertus contentus fuit, Jacobum fratri, ſi Siciliam Roberto permitteret, Sardiniam obtuliſſe: hac conditione a Federico quamvis accepta, nihil tamen tranſactum, quia Alphonſus Jacobi filius, & hæres, Patri, quominus Sardiniæ Regno ſuam progeniem fraudaret, interceſſit.

Robertus, ſimulatque Ludovicum Italiam jam petiiſſe, ac cum Fe-

(a) *Vide Monum. num. L.*

Federico fœdus contra ipſum iniiſſe cognovit , Brutio potiſſimum timens , ne ab Siculis invaderetur , in illius præſidium claſſem ſeptuaginta longarum navium miſit . Claſſis vero Prætor ſatius ducens inimicum domi non expectare , Siciliam claſſe circumvectus , nullo obſiſtente , late depopulatus eſt ; Federicus enim ſuas maritimas copias , quod eas tum , quum Ludovicus terra in Regnum Neapolitanum impetum faceret , apparatas ad idem mari aggrediendum habere conventum erat , pro hac a litoribus hoſtili claſſe repellenda , in diſcrimen adducere opportunum non exiſtimavit . Quo factum eſt , ut Neapolitanus Prætor poſt vaſtatam oram , quum quod moliretur amplius non haberet , Neapolim præda dives reverſus fuerit . Nihil autem per hoc tempus tam anxium , ſolicitumque Regis animum habuit , quam Petri filii valetudo . Hic Catinæ , ubi cum Patre tum morabatur , in tam vehementem febrim incidit , ut de ejus vita in dubium ventum fuerit . Convaluit tamen ; & Rex tantam lætitiam inde percepit , ut eam ſuis literis cum populis , & cum Panormitanis in primis communicare voluerit , eis mandans ut ob id gratulationes haberent , Deoque immortali , qui percutit , & ſanat , publicas agerent gratias . Hinc Panormi , Abbo Filangerio Prætore , celebris habita fuit ſupplicatio , Divæ Chriſtinæ , aliorumque Divorum corporibus per civitatem circumductis , ad Virginis Matris , Admirati dictæ , quam Federicus ſingulari religione colebat , adeo ut , quum Panormi eſſet , ſingulis Sabbati diebus ad eam ſalutandam ſeſe conferret *(a)* .

Ludovicus , Italia peragrata , Romam adiit ; in qua anno MCCCXXVIII , Joanni Pontificatu nequicquam abrogato , Petrum Corbarienſem ex Franciſcana familia , Nicolaum Quintum appellatum , ſublegit ; ab eoque Imperatoriis fuit inſignibus ornatus . Ut Rex noſter Corbarienſem Pontificem maximum ſalutaret , Lodovicus & per literas , & per nuncios omni opera enixus eſt . Federico vero in hoc Cæſari obſequi religioni fuit ; quin etiam ab ſe Ludovico fœdus , quod ad res profanas , non quod ad ſacras attineret , ictum , ſeque Joannem , utcumque ſibi infeſtus fuerit , eſſetque , juſtum Ponti-

(a) *Vide Monum. num. LI.*

tificem ſemper habuiſſe, habiturumque reſpondit. Ludovicus, ut Romam advenit, arma contra Robertum movere, atque Neapolitanum Regnum invadere conſtituit. Quocirca triginta longis navibus, a Genuenſibus ſuæ partis acceptis, quæ cum Sicula claſſe ſeſe conjungerent, in Siciliam miſſis, quum jam in eo eſſet, ut in Neapolitanos fines cum exercitu irrumperet, eodem navales ex compoſito copias promovendas, Federico ſignificavit. Hoc nuncio accepto, Federicus, qui Catinâ Meſſanam redierat, præmiſſis cum una nave, qui pecuniam ex fœdere contribuendam Cæſari deferrent, Petro Antiochia, qui in Magni Scribæ munere Federico de Inciſa ſucceſſerat, & Comite Joanne Claromontio cum octoginta, nempe quinquaginta ex ſuis, & triginta ex Genuenſibus longarum navium claſſe, quæ in Meſſanenſi portu paratæ, expeditæque erant, cum Petro filio prætoriam conſcendens, Meſſana ſolvit, eo conſilio, ut Imperatorem Romam conveniret, cumque eo præſens belli contra communem hoſtem ducendi rationem tranſigeret. Meſſana digreſſus, Mylas attingere, ut inde ſecundum ad ſuum curſum ventum captaret, neceſſe habuit. Dum Mylis claſſis conſiſtebat, mota a proceribus conſultatio fuit, an ad rem eſſet ipſum è Regno diſcedere, ejuſque carum caput, & cum ipſo fortunas Siciliæ omnes, incertæ externi belli aleæ committere. Communis ſententia fuit, Regem in Regno ad omnes caſus manere oportere, ſatis, ſuperque fore hanc in expeditionem Petrum filium proficiſci, eumdemque cum Cæſare congredi. Unus Federicus huic ſententiæ repugnabat. Sed tandem ſuorum ſtudiis, obſecrationibuſque ceſſit, Meſſanamque rediit. Federico itaque ad Regni præſidium, ſolatiumque reſervato; Petrus a Joanne Claromontio majore, Blaſco Alagona minore, Matthæo Palicio, Rogerio Paſſaneto, Matthæo Sclafano, Nicolao Abbate, Petro Lancea, Simone Eſculo, Ruſſo Rubeo, aliiſque pluribus nobilibus comitatus, Mylis Romana litora verſus vela faciens, Inarimen primo, inde Molas Formianas, omnia ferro, igneque pervaſtans, tum Circæum aquatum applicuit. A Circæo, quum præter Aſturam navigaret, oppidani ingentem telorum vim in claſſem effundere, ſic ut in prætoria, in qua ipſe erat, quæque oram propius legebat, unum ex nautis vulnerarint, & Genuenſem quemdam, illis ex ſuo navigio licet fidem pollicentem, interfecerint. Ad hæc una voce ad arma, deſcenſionemque in navibus ab omnibus conclamatur. Apprehenſa terra, continuo, ira moras haud patiente,

in

in oppidum ſcalis appoſitis irruunt. Angelus Malebranta Romanus, Guelfus, qui illud vectigale a Roberto habebat, cum uxore, & ſuis in arcem confugit. Eam noſtri aggrediuntur, Angelus defendere inſtituit. At poſt horam dedere illam cogitur, ea tamen conditione, ut ipſe cum ſuis liber, incolumiſque dimittatur. Noſtri, occupata arce, Regis Roberti ſigna dejiciunt, & arcem, & oppidum diripiunt, direptaque flamma, ferroque Conradini, qui Aſturæ captus fuit, ulti necem, abſumunt. Aſturâ deletâ, Petrus Neptunium pergit. Vidua caſtri Dynaſtæ Aſturæ caſu perculſa, oppidum diſcedens miſſis clavibus in Petri arbitrium tradidit. Petrus illud in fidem recepit. Nihilo tamen ſecius Genuenſes, prædæ avidi, Petro imprudente, adorti, quum nudatum, & ab incolis deſertum illud offendiſſent, incenderunt, rabida ſane, ac triſti illorum temporum belli non minus igne, quam ferro patrandi, ac vel in muros ſæviendi ratione, ab ea quidem, qua noſtra ætate, in ceteris humaniore, bellum quoque humanius adminiſtratur, longe quam aliena.

Dum Petrus ad Neptunium ſubſiſtebat, fama perfertur, Ludovicum Româ abiiſſe; Romanoſque in alteram ſecundum ejus diſceſſum declinaſſe partem. Hinc ſubitum inter noſtros, quod & ipſis domum foret redeundum, murmur exoritur. Et reditum fuiſſet; ni Petrus Antiochia, & Comes Claromontius, Roma reverſi, eodem forte tum appuliſſent, Cæſaremque Cornetum, non Crotonem, ut Burignius falſo ſcribit, profectum nuntiaſſent. Itaque a Petro cum ſuis Proceribus conſilio, quid opus facto eſſet, habito, nonnulli, quandoquidem Ludovicus a Regni Neapolitani finibus, qui communibus viribus invadendi erant, receſſerit, & Petro recedendum fore putabant; alii vero, quod magnus Scriba Ludovicum in ſententia arma Roberto inferendi perſeverare, neque vires ad id, pecuniamque illi deeſſe, pro certo affirmabat, Petro Imperatorem utique adeundum opinabantur. Deliberatum fuit, ipſum Magnum Scribam, & Comitem Claromontium ad Bavarum remittere, allaturos Petrum cum claſſe adventare, Petrumque interea ad oſtia Tiberina cum claſſe progredi, ibique illorum reditum, certioremque de Imperatoris animo, ſtatuque rerum nuntium expectare. Petrus igitur ad oſtia Tiberina procedit; at quum ibi ob adverſos ventos ſubſiſtere nequeat, ad portum Herculis claſſem declinat; unde propinquæ Orbitelli incolis, ut ſe Ludovico dedant, indicit. Illi vero loci natura, qui a mari remotus,

la-

lacu circumdatur, conſiſi, quum ancipites belli caſus experiri, quam indecoram facere deditionem præoptaſſent, claſſiarii prædæ cupiditate exardeſcentes, pars terra acie inſtructa proficiſcuntur, pars, quia terra iter propter anfractus longum erat, ne incolis ſe præmuniendi dent ſpatium, ſcaphis a litore ad lacum manibus, humeriſque ſupportatis, lacum tranſgreſſi ad oppidum properant. Ut ad illud acceſſerunt, ſcalas muris admovent; ignem portis injiciunt. Oppidani mœnia ſcandentes propulſare, ignemque extinguere omni opere conantur. At, ubi agmen, quod terra profectum erat, advenit, oppugnatorum numero adaucto, & oppidum, & arx conciderunt. Capta quoque fuere, & Egilii inſula nequicquam ab ejus cultoribus per legatos cum muneribus, quæ placare homines ſolent, pace implorata, & Telamonis caſtellum, cujus incolæ, hoſtili non expectato incurſu, patrià ſecum re familiari aſportata deceſſerunt. Extant inter codices a nobis antea, ſed nunquam ſatis laudati Hieronymi Septimi, Ceratanorum Dynaſtæ, literæ (a) cujuſdam, qui in hac expeditione fuit; in quibus literis accurate ea deſcribitur. Quæ de eadem nos narravimus, ex his literis, & ex Speciali collegimus. Dum claſſis in Herculis portu ſtabat, Petrus Antiochia, & Comes Joannes Claromontius ab Ludovico redeunt, renuntiantes ab Imperatore Petrum Corneti expectari, ut ex communi ſententia belli contra Robertum adminiſtrandi ratio conſtitueretur. Quocirca Petrus, ab Herculis portu ad Corneti litora claſſe provecta, ipſe Cornetum Cæſarem adiit. In colloquio, quod inter ſe habuerunt, quamvis mutuo conqueſti eſſent,

(a) *In Septimiana Bibliotheca Codex aſſervatur, qui, ut ex forma literarum, natura ſcriptionis, & vocum licet conjicere, plane monſtrat, fuiſſe principio Sæculi XV. manu exaratum. Rerum in Sicilia geſtarum ab anno CCMXX. ad annum MCDXXVIII. hiſtoriam continet, videreque licet nihil aliud eſſe, quam Chronici a Martene editi, verſionem in vulgarem linguam. Ab iiſdem orditur, quibus illud temporibus, prima capita latine conſcripta eadem ſunt omnino, ejuſdem inhæret ſemper veſtigiis, eumdemque ſequitur, retinetque ordinem, atque omnia Monumenta, quæ in eo ſunt Chronico, latine cum ſtile exſcribit. In hoc Codice habentur non ſolum novem ea capita, quæ in Marteniano deſiderantur, ſed etiam quam plurima alia; pergit enim narrare Siculas res, ut ſupra monuimus, ad annum MCDXXVIII. Nos contenti fuimus inter Monum. num. LII. ea tantum afferre, quæ ad rem noſtram faciunt uſque ad interitum Federici.*

Digitized by Google

ſent, Petrus, quod Ludovicus animum ab Regno Neapolitano invadendo avocaſſe videretur, Ludovicus, quod Petrus cum maritimis copiis ſerius, quam oporteret, adventaſſet, de quo haud injuria querebatur; nam ut in laudatis literis animadvertitur, ſi noſtra claſſis quindecim ante diebus Romana attigiſſet litora, res commodius proceſſiſſet; nihilo tamen ſecius ex integro de bello in Robertum movendo agitatum fuit, quum, nuncio ab Ludovico accepto, res Piſis motas, turbaſque excitatas, is eo prius accurrere, quam aliud aggredi exiſtimavit. Propere itaque, Groſſetto inter vias capto, cum Petro, & Siculis ad XI. Calendas Octobres ſe Piſas duxit; unde Petrus, quum jam idoneum belli maxime mari gerendi tempus exiiſſet, relicto apud Ludovicum Claromontio, in Siciliam rediens tam ſævam ſuſtinuit tempeſtatem, ut quindecim navibus amiſſis, cæteris labefactatis, diſſipatiſve, cum prætoria, in qua ipſe erat, & tribus aliis integris Meſſanam incolumis ægre appulerit. Hunc quidem exitum habuit tantus belli apparatus, nullo Regis commodo, imo magna ejus noxa; hacce enim belli cum Ludovico ſocietate haud feliciore, quam illa cum Henrico quondam inita uſus eſt. Petrus poſt Patrem Meſſanæ ſalutatum, Panormum, ibi ſedem habiturus, ſeſe contulit.

Siciliæ tot cladibus perfunctæ aliud ex Ætna detrimentum inſequenti anno MCCCXXIX. acceſſit. Ad IV. Calendas Quinctiles ſub veſperam mons ex imis concuſſus ſedibus, magno cum mugitu, non ex ſummo, ut aſſolet, vertice, ſed ex rupto, quod ad Orientem imminet, latere, incenſa ſaxa jacere, ignemque evomere, qui atri torrentis inſtar defluens, ſubjectas inundavit valles, ſata, plantas, villas, obvia omnia abſumendo, tanto terræ concitato motu, ut naves ad Maſcalarum oram ſubductæ in altum abſtractæ fuerint; terraque ipſa multis in locis deſederit, rivoſque dehiſcens abſorbuerit. Nondum hæc alluvies reſederat, quum ad VIII. Calendas Sextiles alia in parte mons diſſiluit majore ſtrepitu, ac tantum ignem effudit, ut ex eo non unus, ſed tres veluti fluvii dimanarint; ex quibus duo ad ortum Acim verſus per multos dies uſque prope litus diſcurrentes, immenſam his in locis edidere cladem, tertius Catinam æque noxius tendebat; neque procul ab urbe aberat; at Catinenſibus inclytæ virginis Agathæ flammeum e muris oſtendentibus, ad ipſorum fines, Divam quaſi reveritus, ſeſe continuit, ne

vir-

virgulto quidem allata noxa. Neque hic terrorum, malorumque finis. Ex cratere exhalatio ſulphurea, tetra veluti nubes, exurgere, ſublimem ſe tollere, in horribilia fulgura, tonitruaque erumpere, ac tantam cineris vim, borea per eos dies flante, quaqua verſus, & Melitam uſque ſpargere, ut ſubjecta longe lateque regione caligine obducta, dies, & nox neutiquam diſcernerentur; tanto cinere operta, ut pecori, jumentis, volucribuſque pabuli copia non pateret, & quidquid piſcium in circumjacentibus fluminibus, lacubus, ſtagnis, paludibus nutriebatur, perierit. Neque hæc ſine hominum, & non paucorum quidem pernicie evenerunt.

Per hoc tempus, mortuo Jacobo, Aragoniæ Regnum Alphonſus ejus filius ſuſcepit. Hic non modo Petrum Emporitarum Comitem, Avenionem legavit, ut cum Joanne Pontifice maximo de concilianda aliquando inter Federicum, & Robertum pace ageret, ſed etiam Guilelmum Coſtam Dominicanæ familiæ in Siciliam miſit, ut Federicum a fœdere cum Bavaro icto, ea præſertim ratione, ne diſſidium, quod matris Eccleſiæ viſcera fœde dilacerabat, fovere videretur, ſuis verbis retrahere ſtuderet. Sed irrito incepto; nam Federicus ad illud etiam atque etiam firmandum Iſabellam, gnatam ſuam, Stephano Bavariæ Duci, Ludovico ſecundo loco genito, uxorem deſpondit. Qua de cauſa quum Robertum contra ſe magis magiſque irritatum, infenſumque intelligeret, reputaretque illum, ſi res Bavari in Italia minus procederent, in Siciliam bellum relaturum, Panormum in primis præmuniendam, ejus mœnia reficiendo, curavit, mandans in id opus quicquid vectigalium, vel multarum nomine exigeretur, impendi, vectigali tamen, quod pro eorumdem mœnium inſtauratione teſtamentis impoſitum fuerat, abrogato (a). Quoniam ad hæc reficienda mœnia, & ad pomerium Meſſanæ proferendum partem hortorum, qui utrobique juris Teutonum Panormitanæ hoſpitalis domus erant, occupari opus fuit, ut Teutonibus hoc compenſaretur damnum, ex conſilio Sanchii Aragonæ magni Quæſtoris, Raphaelis Auriæ claſſis Præfecti, & Bartholomæi Montaperti

Ju-

(a) *Inter Urbis Panormitanæ Privilegia hæc Monumenta exſcripſit de Vio f. 96. & ſequ.*

Judiciorum magiſtri, Joannes Claromontius Regis nomine eis Maris dulcis fontem, quem dicunt, itemque Regios fabariæ hortos, ac bina Admirati ponti adjacentia piſtrina adjudicavit *(a)*. Panormitani peritis tum indigebant medicis. Rex præ paterna, qua populos omnes, & præcipue Panormitanos complectebatur, caritate, eis duos ſibi medicos, qui ſcientia præſtantes, & uſu morbos curarent, non augerent, parandi, & hiſce quotannis mercedem, quæ tamen centum viginti quinque in ſingulos aureis minor eſſet, ex publica pecunia conſtituendi poteſtatem permiſit. Ut juri, quo conſanguinei, vel vicini venditum ruſticum, urbanumve prædium ab emptore ſibi intra certum tempus vindicare poterant, fraus fieret, illud in emphyteuſim dari ſimulabatur, Rex noſter legem, quam Panormitana civitas adverſus hujuſmodi fraudem rogarat, ſcivit *(b)*. Alias item leges, magna ex parte ædilitias, ab ejuſdem civitatis concilio conditas, per literas Meſſana filio Regi Petro, qui Panormi, ut diximus, reſidebat, ſcriptas, ratas fecit. His legibus hæc, quæ memorare operæ pretium eſt, ſtatuta fuerunt. Ne quis nuptiarum cauſa præter eos, qui ſponſum, ſponſamve proxima cognatione attingerent, convivia agitato, novaſque veſtes induito; nemo in cauponis alea ludito; aleatores, & caupones, qui ludum permitterent, pœna multantor; piſcatores piſces neque domi, neque in ratibus, ſed aut ad litus, aut in piſcatorio foro venundanto; ne res, quæ in urbem importantur, extra mœnia propolæ mercari præoccupanto; quum frumenti, olei, arvinæ, butyri, caſei, vel cujus alius cibariorum generis inopia ingrueret, illa ſedulo urbis curatores perquirunto, omnemque operam ad ea, etiam pecunia mutua ſumpta, comparanda adhibento; ne carbones, lignaque, quæ ad urbem mari devehuntur, a mercatoribus, vel propolis emuntor, vel in cellis reponuntor, ſed venalia in maritimo campo ipſimet domini habento. Ad bonarum legum beneficium, quo nullum majus civitatibus a Principibus conferri poteſt, Federicus, ut magis magiſque in

(a) *Federici literæ ab Antonino Mongitore inter Monumenta Sacræ Domus Manſionis referuntur cap. VI. f. 86.*

(b) *Vide hæc Monumenta apud laudatum de Vio f. 96. & 103.*

in Panormitanorum merita ſeſe gratum præſtaret, decretum adjunxit, quo declaravit immunitates omnes, omniaque beneficia, aliis civitatibus, populiſque impertita, in urbem Panormum, utpote Regni Caput, & in qua Regibus Regium imponitur diadema, ne membra aliqua de re, quæ capiti deeſſet, gloriando ſeſe ſupra caput extollere poſſent, collata intelligenda *(a)*. Nec minus Meſſanenſibus, quippe quorum in ipſum fides, ſtudiumque haud minora exſtabant, beneficus fuit. Hos namque non modo in cæteris Regni locis, ſed Panormi quoque, nonniſi coram ſuis Conſulibus in jus conveniri poſſe conſtituit.

Ocium ab Roberto Siciliæ adhuc erat. Is ſibi, ſuoque Regno a Ludovico, Gibelliniſque metuens, alio animum intendere, vireſque derivare non poterat; quin imo a Florentia Carolum filium, ut ſibi in hoc ſuo tempore adeſſet, evocare opus habuit; ſed inani conſilio. Carolus enim acuto ex itineris defatigatione, & negotiorum mole morbo tentatus mortem jam oppetierat, ob eximias virtutes, quibus erat præditus, ſummum & Patri dolorem, & populis deſiderium ſui relinquens. Interea quidem Ludovicus Piſis adverſus Azzum Vicecomitem, Mediolani dominantem, in Galliam Ciſalpinam regreſſus, Comiteque Joanne Claromontio, cui Marchionis, ut dicitur, Anconæ titulum attribuit, ſuo Vicario, qui præſidio Gibellinis in Piceno eſſet, relicto, in Germaniam ſeſe retulit: unaque Pſeudopontifex redactus in ordinem fuit; ac facti pœnitens in cuſtodiam Avenione compactus. At ubi hæc abiit tempeſtas, alia, quæ itidem Robertum Sicilienſi bello ſuperſedere coegit, ei, Guelfiſque ſuis ingruit. Quæ tunc miſera Italiæ conditio erat, ut Guelforum, Gibellinorumque factionibus dilacerata, Tranſalpinorum principum ambitioni prædæ loco pateret, vix Ludovico digreſſo, in eam anno nempe MCCCXXX Joannes Luxemburgenſis Bohemiæ Rex, Henrici VII. Imperatoris filius, ut Gibellinam partem ſuſtineret, advenit. Hic cum paucis licet copiis, & in Gallia Ciſalpina, & in Hetruria brevi nobiles civitates in ſuam redegit poteſtatem, fœdereque cum purpurato Pontificis maximi legato clam compoſito, Italiam

(a) *Hæc Monumenta lege apud de Vio fol.* 97.

Digitized by Google

liam univerſam ſubacturus videbatur, adeo ut ab eo ſibi timere etiam qui Gibellinæ ſectæ, Scalæ Veronæ, Vicecomites Mediolani dominabantur, cœperint; ac proinde cum Florentinis, ac Roberto, qui caput, duxque adverſæ partis erat, ſocietate inita, Bohemi potentiæ conjunctis viribus obviam ire deliberarint. Roberto igitur in hanc ſui, ſuorumque defenſionem diſtracto, Federicus ab bellicis quidem ad triennium fere vacavit curis, ſed a civilibus, & ab cumulandis beneficiorum magnitudine populis non ceſſavit. Judices pro jure dicundo, ſententiiſque ferendis trigeſimam æſtimatæ litis partem ſibi adjudicabant, Rex Syracuſanos pro detrimentis, quæ ab hoſtibus in ſuo agro acceperant, hoc onere exemit (*a*). Panormi Bajulum, ſive Prætorem, qui appellabatur, illiteratoſque judices per muneris tempus, literatos vero, cæteroſque Jureconſultos, quoad viverent, ab omnibus tributis, vectigalibuſque immunes fecit. Quum ex maritimis Thermarum Himerenſium, & Segeſtani Emporii oris tranſportare certum frumenti numerum neceſſe habuerit, ne ex hoc quandoquidem, ut antea cognitum eſt, aliquid inde evehi vetitum erat, exemplum capi poſſet, datis ad Panormitanos magiſtratus literis cavit. Quo ſevum ad Regias illinendas naves ſuppeteret, ſtatuit, ut illud niſi Regis venia ex Inſula non exportaretur: & ne per ſpeciem ſevi pro Regis perungendis navigiis comparandi populo fucus fieret, edixit, illos tantum, quibus peculiare ad eam rem mandatum ipſemet dederit, ſevum mercari hoc nomine poſſe (*b*). Prædiorum cum ruſticorum, tum urbanorum finium Meſſanæ regundorum poteſtatem Civitatis curatoribus permiſit. Agrigentinorum Pontifex jus ex conſuetudine ſibi proventum primi anni ſacerdotiorum, quæ in ſua Eccleſia conferebantur, aſſumendi obtinuerat: qui in Agrigentina ſacra provincia Regis nomine Sacerdotiorum vacuorum reditus procurabat, huic Pontificis juri interceſſerat: Federicus re cognita in ejus poſſeſſione Pontificem retinendum decrevit (*c*). Belli cauſa, quod

per

(*a*) *Vide Monum. num. LIII.*
(*b*) *Landatus de Vio refert hæc Monumenta fol.* 130.
(*c*) *Hoc Monum. edidit Rocchus Pirrus in lib. III. Siciliæ Sacræ Notit. III. ad ann.* 1332.

Digitized by Google

per hæc tempora Siciliæ nunquam aut non inerat, aut non ſuberat, cujuſcumque generis arma deferendi ipſis non ſolum Dynaſtis, militibuſque, ſed eorum filiis, familiaribuſque permiſſa venia eo licentiæ evaſerat, ut infimi quoque Dynaſtarum, militumque famuli arma impune geſtarent: Rex reputans minime decere, arma, quæ honeſtis, beneque moratis civibus interdicta erant, vilibus, incultiſque hominibus, qui ferociores, atque ad omne facinus audaciores, promptioreſque ſunt, permitti, his quoque armorum uſum prohibuit, vel in dominos, ſi in hoc conniverent, pœna conſtituta. In morem perductum erat, ut, quum Dynaſtæ, vel milites cum aliquo certamen contraherent, inimicitiamve ſuſciperent, qui cum eis cognationem, vel neceſſitudinem habebant, ad illis favorem, præſidiumque ferendum conſpirarent, coirentque, Rex hujuſmodi conſpirationes, coitioneſque, utpote quæ publicam perturbabant pacem, Principiſque auctoritati injuriæ erant, vel vectigalis prædii indicto damno coercuit. Sub Federici tempus, quando non choreæ, non ſcena, non alea, non epulæ, non amores viros nobiles emolliverant, multum in venationibus hi erant, & quidem laudabiliter, quandoquidem venatus belli rudimentum, & quaſi præludium eſt; quo circa canes venatici, aveſque rapaces, maxime quod tum, non inventis adhuc, non beſtiarum modo, ſed etiam hominum malo, igneis balliſtis, aucupium aut retibus, aut miſſilibus, ſed præſertim rapacibus avibus abſolvebatur, plurimi fiebant, ſummaque cura cuſtodiebantur: adeo ut eorum cauſa lites, rixæ, ſimultates vel inter nobiles haud raro exorirentur; idcirco Rex noſter legem ferre in rem fore duxit, qua patricio, qui canem venaticum, accipitremve ſurriperet, aureorum quinque, plebejo aureorum duo cum ſemiſſe multa irrogatur; declaraturque, contra quam Romana lex ferebat, avium rapacium poſſeſſionem, etiamſi ipſæ redeundi morem prorſus dimiſerint, non amitti; illaſque repetendi actionem domino manere perpetuam. Quid carcerum cuſtodes cuſtodiæ nomine exigere, quaſque pœnas, ſi cuſtodiæ traditos ex ea arbitrio ſuo emitterent, ſibi contraherent, præſcripſit. Ut ii, quibus, ne quid in pane, aliiſque cibariis, mercibuſve, quæ in publicum veneunt, vitii ineſſet, frauſque in eiſdem metiendis, ponderandiſve fieret, cura eſt, quique Acatapani (*a*)
tum

(*a*) *Acatapani idem, quod Catapani. Sic olim appellabantur Præſides, Præfecti-*
que

tum vocabantur, ac etiamnum apud nos vocantur, per ſe ipſos munus ſuum facerent, ſanxit.

Dum Federicus a bello vacuus reipublicæ magis magiſque bonis legibus temperandæ operam dabat, minuſque bellum timebat, quod Robertus Italiæ turbis adhuc implicitus, & ob domeſtica mala æger animo valde erat, nam per hoc tempus ei mors Philippum fratrem quoque rapuerat, caſus anno MCCCXXXIII incidit, qui ipſum, ut cum maxime ad bellicas revocavit curas. Galeotti Floriaci Galli illius, quem, quia ad Catacium ab ſuis ad noſtros tranſierit, a Federico præmiis affectum ſuo loco commemoravimus, duo extabant Panormi juvenes filii Joannes, & Blaſcus. Hi, quorum alter ob admiſſum crimen in Panormitanæ arcis carcere erat incluſus, alter viſendi fratrem cauſa arcem frequentabat, rati, quandoquidem Petrus Rex, & Joannes Claromontius major Panormo tum forte aberant, rem non tam difficilis negotii futuram perfidum, dandi operam, ut Robertus arcis potiretur, conſilium cepere; adeo Principes, qui aliorum Principum proditores remunerantur ſibi ſuiſmet beneficiis proditores comparant. Floriaci juvenes itaque cum iis, qui in arce præſidio erant, occultos ſerere ſermones, dictitantes militiæ præmii aliquid ſperari non a Federico, ſed a Roberto licere, ſiquidem Federicus, ut ſibi Regnum conſervaret, ſe, ac Regnum depauperarat; & Sicilia, tum quia Federicus viribus deficiebat, & ad ſenectam deflectebat, tum quia in ejus ſucceſſore eadem virtus, quæ ipſum hactenus ſuſtinuerat, non apparebat, fieri non poterat, quin in Roberti poteſtatem tandem aliquando perveniret. His pollicitationibus, dictiſque ex præſidiariis militibus non paucis in conſpirationem illectis, Floriaci ſuum conſilium per fidos interpretes Roberto aperiunt; inſtantque, ut naves cum militibus, qui ipſis ad impetum in arcem faciendum ſubſidio accurrant, ſubmittat. Robertus, qui ad omnia, quæ ad Siciliam obtinendam facere poſſent, erat

quam

que, qui in Italiam ab Byzantinis Imperatoribus, provincias, ac urbes rectari mittebantur. Vide Cangium verb. Acatapani, & Catapani. *Dein hoc vocabulum ad eos denotandos, qui ne quid vitii, fraudiſve in annona ſubſit, in curam incumbunt, translatum fuit.*

quam maxime intentus, re libenter arrepta, octo ad eam explicandam longas naves cum idoneo milite, & commeatu extemplo Panormum trajicere jubet. Ex his navibus ut binas, cæteras prætergreſſas, atque ad Erctæ radices latenter applicatas, conjurati cognovere, aliis non expectatis, vexilla Aragonum ſubmittunt, Andegavenſium attollunt; tumultum ſub noctem excitant; in arcis Præfectum imprudentem, inermemque armati improviſo irruunt; eum comprehendunt; contubernalem, quod ad ipſum defendendum gladium expedierat, trucidant; muros, portas, propugnacula occupant; faces e mœnibus elevant. Ad hoc, quod conventum erat, ſignum actutum naves ad arcem provehuntur; milites, commeatumque exponunt. Conjurati his in arcem inductis, ad eam viribus, quas habebant, & quas ex reliquis navibus accepturi erant, tuendam ſeſe accingunt. Sed Panormitani eis ſpatium ſe ad defenſionem comparandi non dediſſent, ni qui urbi tum præſidebat, nihil inconſulto Rege aggrediendum ratus illos continuiſſet. Ubi enim arcem hoſtibus proditam rumor, fremituſque urbem pervaſit, ad arma conclamatum fuit, ac undique ad eam eadem nocte expugnandam furenter concurſum. Celeribus igitur nunciis ad Regem miſſis, ipſe, ut rem percepit, illico Petrum Antiochiam, Raymundum Peraltam, Simonem Valguarneram, alioſque plures nobiles, ſtrenuoſque viros Meſſanâ cum idonea equitum manu Panormum ad arcem recipiendam mittit. Hos, quantumvis licet iter feſtinaverint, Joannes Claromontius, qui non tam longe aberat, prægreditur. Interea reliquæ ſex hoſtium naves cum reliquo milite ad arcem appulere. Duces, qui Panormum ad arcem recuperandam convenerant, timentes, ne forte aliis copiis, quas Robertus ſubmitteret, in tantum hoſtibus vires accreſcerent, ut in urbem eruptionem facere poſſent, murum, qui eam ab arce ſejungeret, confeſtim excitandum curarunt. Hoc perfecto, machinis adeo arcem, alioquin muris luto conſtructis, & vetuſtate affectis, non tam validam, percuſſere, miſſilibuſque obſeſſos adeo oppreſſerunt, ut brevi dierum ſpatio eos deditionem facere coegerint, ea tamen conditione, ut ipſi omnes cum ſua quiſque re, & octo navibus, quæ in ipſorum ſubſidium venerant, incolumes e Sicilia excederent. Conſtantius rem longe aliter narrat; arciſque Præfectum proditionis conſcium, participemque ponit. Nos Specialem ſequuti ſumus oculatum teſtem. Illud inter omnes convenit,

Pa-

Panormitanam arcem, per hoc tempus Robertianis proditam, a noſtris paucorum dierum oppugnatione receptam. Quot in ea hoſtes erant, unaque proditores, & ipſa proditionis capita germani Floriaci ex deditionis lege omnes cum ſuis navibus Panormo integri, inviolatique ſolverunt. At non eamdem juris gentium religionem ipſi præſtitere. Clam navigatione per meridionalem oram arrepta, deſcenſioneque ad incuſtoditum inter Gelam, & Heracleam litus noctu facta, Buteræ oppidum, edito quidem, præruptoque loco poſitum, ac ſeptem ferme paſſuum millia (*a*) a litore diſtans, agmine acto improviſi adoriuntur. Soliciti de navibus ad litus relictis, ac veriti, ne ex finitimis civitatibus, oppidiſque ſuppetias Buterenſibus occurreretur, oppido raptim direpto, onuſti ſpoliis unam hanc, & eam quidem parvam, nec ſatis dignam, ex hac in Siciliam expeditione domum referentes triumphi materiam, naves repetunt, curſumque Neapolim verſus perſequuntur.

Siculis, religioſæ cum primis genti, ex hoc lætis, quod cœptum hoc hoſtibus inane evaſerit, per hos dies cumulata inde fuit lætitia, quod mortuo proximo anno MCCCXXXIV Joanne XXII ipſi diris exempti, ſacriſque reſtituti fuerint. Rex, qui ſacrorum interdictionem ſervandam ſuis literis, ut ſupra diximus, mandarat, ut Joannem ante obitum omnes ab ipſo ſacras illatas pœnas refixiſſe accepit, ſuis quoque literis ſacra repetenda, celebrandaque edixit, eo profuſiore populorum gaudio, quo diutius, ab anno nempe abhinc quarto, & decimo, his privati fuerant. Commodum aliud Regi, Regnoque ex eo per hoc idem tempus accidiſſe creditum fuit, quod Joanni XXII. Benedictus XII. in Pontificatu ſucceſſerat; qui dum Purpuratum gerebat, Federico æquum ſeſe præſtiterat. Sed ſpem hanc falſam fuiſſe mox intellectum; adeo facile eſt, mutata hominum conditione, ipſorum ſimul mentem mutari. Nam per Ogerium Verſolum, Nicolaum Lauriam, & Nicolaum Specialem, eumdem ſui temporis hiſtoriæ, quem toties laudavimus, Scriptorem (*b*), a Federico legatos

(*a*) *In Speciale legitur librariorum certe vitio* ſeptingentis fere paſſuum millibus.

(*b*) *Extat Nicoſiæ ad hanc diem inter illuſtriores Civitatis familia Specialis tantum virum ſanguinis auctorem agnoſcens; maximoque in honore Nicolai nomen ha-*

tos ad Benedictum ſuis verbis ſalutandum, ejuſque explorandos ſenſus, alioſque, ſubinde ad ejuſdem tentandum animum miſſos, hunc Pontificem non minus, quam ſuperiores, Andegavenſium cauſæ favere compertum fuit; ita ut Benedictus XII. haud minus, quam illi, negotii Federico, Siculiſque exhibuiſſet, ni eo loci res Guelfæ partis in Italia tunc fuiſſent, ut Roberto vires ſuas alio detrahere integrum non fuerit. Guelfi enim & in Gallia Ciſalpina, & Genuæ, & Romæ detrimenta non parva fecerant, Robertique undique declinare fortuna, labareque videbatur.

Verum enim vero dum minus ab externo timebatur hoſte, inteſtinum conflatur malum, quod Roberto arma in Siciliam referendi poteſtatem fecit, ſpemque illam obtinendi, ut cum maxime, excitavit. Franciſcus Vintimillius, Hjeracis Comes cum Conſtantia Claromontia, Joannis Mutycæ Comitis ſorore, ſterilitatis cauſam interponens, divortium, alia ducta uxore, fecit. Injuriam hanc, germanæ, ſibi, cunctoque Claromontio nomini a Vintimillio inflictam, iniquo cum primis animo Joannes, qui adhuc in Italia commorabatur, Piceno, ita uti docuimus, pro Ludovico Cæſare præſidens, tulit, eamque omnino ulciſci deliberavit, adeo ut, quamvis non ignoraret Vintimillium in maxima apud Federicum eſſe gratia, nihilo tamen ſecius non dubitarit in Siciliam, quo hoc ſuum propoſitum exequeretur, cum Germanis ſatellitibus confeſtim proficiſci. Id ut Rex, qui ſub hoc tempus Meſſana Panormum migrarat, cognovit, animadvertitque omnes prope Regni proceres in duas veluti factiones diviſos, unam Claromontio, Vintimillio alteram ſtudentem, diſſidium hoc, quod & contendentibus perniciei, & publicæ tranquillitati incommodo eſſe poterat, ſedandum, comprimendumque ſui officii eſſe duxit. Ad ſe itaque majorem Joannem Claromontium, Comitis patruum, & Franciſcum Vintimillium, ut cum his de aliqua pacis inter viros, ab ipſo tanti habitos, conciliandæ ratione ageret, convocavit. Dum in hoc Rex incumbebat, ecce Panormum cum ſuis Germanis Comes advenit, militaria ludicra agitandi in ſpeciem, ſed re vera, ut Vintimil-

habet, & ob hunc, quem legatum Federico dedit, & in primis ob alium, qui vices Alphonſi Regis diu in Sicilia geſſit.

Digitized by Google

millium ad necem conquireret, armatus per urbis vias eques cum ſuis quotidie diſcurrere. Nec obviam illum habere difficile fuit; Vintimillius enim, quod Rex ipſi Claromontium, dum de pace ſua auctoritate componenda agebatur, nihil auſurum præſtiterat, haud ſibi cavebat. Sed res ſecus evenit. Ut ſibi occurrerunt, in Vintimillium equo quamquam inſidentem, ac eumdem, ut principes viri eo tempore incedebant, comitatu ſtipatum, Claromontius ſtricto gladio tanto irruit impetu, ut luculento in caput illato vulnere eum ab ſuis ad unum omnibus deſertum repetitis plagis confeciſſet, ni ſibi equus labaſſet, locumque adverſario fugæ dediſſet. Vintimillius, ut ut erat cruore fœdus, equo calcaribus admotis, quam celerrime Regem queſtum adiit, ipſe fide tutus Regia, propius nihil eſſe factum, quam ut incautus a Claromontio trucidaretur. Claromontius vero concitato itidem curſu continuo ſe cum ſuis in ſua caſtella conjecit. Rex, ubi Vintimillium ſaucium vidit, primum medicos, qui vulnus obligarent, mederenturque, advocari juſſit; inde, quo haud minus exulceratum ejus animum leniret, nulla interpoſita mora Claromontium proſcripſit, ejuſque bona publicari mandavit. Et quidem ob hoc facinus tantum in Claromontium iræ, odiique concepit, quanta hactenus benevolentia eumdem complexus erat; educendum enim ipſum cum Petro filio ſuo curarat, eique gnatam ſuam notham in matrimonium dederat. Quapropter Claromontius, neque in ſuis caſtellis tutum ſe reputans, quandoquidem Rex ipſum, quocumque ſe muniiſſet loco, appetendum, comprehendendumque edixerat, vel ex amicorum admonitu, Regno excedere neceſſarium duxit. Refugit itaque ad Ludovicum Cæſarem, ut eo deprecatore veniam, gratiamque ab Federico impetraret. Nihil Ludovicus non tentavit, ut pœna Claromontium eximeret. Contendit eum, utpote Imperii clientem, ſtipendiariumque ab Imperatore judicari tantum poſſe. Eumdem in Siciliam, qui nuptias ſui filii, quas cum Iſabella Federici filia deſponſas ſupra meminimus, abſentis ſponſi nomine celebraret, quo Regi delicti gratiam ipſi faciendi probabilis cauſa præberetur, allegaturum proponit. At Rex nihil non abnuit, Claromontium omnino puniendi in propoſito perſtans; ne hujus tam gravi auſo impunito dimiſſo, ad ſimilia audenda aliis animus accederet. Claromontius ſpe Federicum placandi dejectus, a ſuo Principe, & de ſe bene merito, atque tam propinqua affinitate ſibi con-

jun-

juncto, ad illius æmulum, adeo crimen crimini viam munit, deficiendi perditum cepit conſilium. Abeundi copia a Ludovico impetrata, Robertum adit; ei ſeſe addicit; maria, & montes pollicetur; Siciliam captam oſtentat. Robertus, qui nihil magis cupiebat, ſibi facile perſuadens Siciliam, quam popularium in Federicum fide, benevolentiaque munitam hactenus nullo modo armis ſubigere poterat, Claromontii opera, qui genere, & auctoritate apud gentem plurimum valebat, occupare nullo negotio poſſe, claſſem expedit; in ea idoneas imponit copias; eique præficit & ipſum Mutycæ Comitem (a), & Comitem Coriliani; & ut tempus ferret, petere Siciliam jubet. Solvit hæc claſſis, quæ quinquaginta longarum navium præter onerarias erat, Neapoli anno MCCCXXXV; appulitque ad fluvii Himeræ olim, tunc Maneſcalchi, hodie Magni dicti oſtium prope Himerenſes Thermas; ibique exſcenſu facto Comites exercitum extemplo ad oppugnandum proximum Brucatum caſtrum ducunt. At quum hoc expugnare non tam facilis, uti opinabantur, operæ comperiſſent, eo prætermiſſo, cum terreſtribus copiis Mazarienſem regionem ferro, & igni devaſtaturi excurrere inſtituunt, juſſa claſſe oram regionis ejuſdem tempore eodem populabunda legere. Claſſis, & exercitus poſt undique editas clades Alicatam conveniunt. Ibi Duces caſtra ponunt, & claſſem conſiſtere jubent, quo aliqua depopulationibus militi, claſſiarioque defatigatis requies concederetur. At rati, poſſe civitatem illam parvo certamine capi, ipſam aggredi in animum inducunt. Nec aliquid militaris artis, machinarumque ad illam oppugnandam omittunt. Nihilo eo ſecius, tam impigre, ſtrenueque ab Petro Lancea, & a Marino Capicio, eo a Federico præmiſſis, & ab incolis defenſa fuit, ut hoſtes opinione eam perfacile expugnandi fruſtrati profectionis dederint ſignum, naveſque conſcendentes ad vaſtanda Agrigentinorum, Sacceñſium, Mazarienſium, Lilybætanorum, Drepanitanorum litora proceſſerint. Ad Panormitanum vero litus progreſſi, deſcenſione ad illud minime facta, quia per eoſdem dies eodem appulerant ſexdecim longæ Catalaunorum naves, quæ Raymundo Peralta ductore maria ad Genuen-

(a) *Vide Monum. num. LIV.*

Digitized by Google

nuenſes, quibuſcum bellum habebant, inſectandos percurrebant, Neapolim curſum recta intenderunt: etenim Robertus, quum nihil ejus, quod Claromontius jactarat, & ipſe ſibi perſuaſerat, eveniſſe, Siculoſque eamdem erga Federicum fidem, concordemque gerere animum cognoviſſet, illos domum revocarat. Quod Claromontio tanto pudori fuit, ut, ſimul ac Neapolim attigit, ne Roberto quidem ſalutato, abierit, exceſſerit, evaſerit ad Ludovicum Imperatorem, unde digreſſus erat, quod nihil ſtabile eſt, quod infidum eſt, reverſus, ne reliqui quidem ſibi facto, ut quod ipſi accidit, indigno accidiſſe viſum fuerit.

Hæc expeditio, quæ nihil Roberto profuit, cauſa Federico Girbæ inſulæ inſequenti anno MCCCXXXVI. jacturam faciendi quidem fuit. Qui huic inſulæ Federici nomine præerant, quum non ea eſſent abſtinentia, humanitateque, quibus ii maxime, qui remotas provincias procurant, præditi ſint oportet, Mauros, qui inſulam incolebant, apprime vexabant. Non modo in eos avarum, ab ipſis quidquid poterant extorquentes, verum etiam iniquum exercebant imperium, adeo ut quemdam honoratum, ac inter ſuos principem virum, ideo reum, quod dives, per calumniam perduellionis & bonis, & vita privarint. Girbæ incolis non ſemel de ſuorum Præfectorum avaritia, acerbitateque imperii cum Rege conqueſtis, Rex illos minacibus caſtigare literis non omiſerat. Ipſi vero, quandoquidem nihil contra ſacram auri famem monita, & minæ valent, in ſuo pravo more perſeverantes, eo deſperationis barbaros adduxerunt, ut facta ſeditione in Chriſtianos irruentes, hos in arcem, cui Petrus Soraca præſidebat, adegerint; arcemque, in ſui auxilium Tuneti Rege advocato, obſederint, oppugnarintque. Soraca veteranorum militum, quos in arce ſecum habebat, virtute fultus obſidionem ſuſtinet. Cæterum, quum in dies hoſtium vires creſcerent, noſtrorum & vires, & annona decreſcerent, Soraca, quas in anguſtias redactus ſit, Federico nunciat, opemque & hominum, & cibariorum implorat. Federicus, quia tum ſatis negotii in Claromontio, Robertianiſque a regno propulſandis habebat, Girbæ arci auxilium tempore mittere nequivit. Sed ſtatim ac illi abierunt, nihil prius egit, quam aliquot onerarias naves cum milite, & commeatu illo transmittere, ab Peralta, qui adhuc Panormi cum claſſe agebat, quinque longis navibus, quæ onerarias protegerent, acceptis. Interea, quum Mari-

rinus Salvacoxa Petri illius, qui in Falconarienſi captus prælio debitum, ut ſupra memoravimus, ſuæ perfidiæ ſupplicium luit, filius cum ſuis tribus longis navibus, aliiſque tredecim, quas ex regia claſſe Robertus ipſi dederat, ad Siciliæ litora infeſta habenda adveniſſet, ubi Catalaunas, Siculaſque naves paulo ante ad Girbæ arci ſubſidium ferendum ſolviſſe cognovit, illuc curſum, quo eas interciperet, intendit. At ipſas conſequi non potuit, niſi quum inſulam jam attigerant, & onerariæ naves ad arcis litus applicitæ, nemine repugnante, Barbari enim, ut Siculæ, Catalaunæque naves in conſpectu fuerunt, obſidione abſceſſerant, militem, cibariaque in terram exponebant. Peralta, qui ſuas longas naves in ſalo ad anchoras tenebat, ut Salvacoxæ claſſem ſuæ numero longe ſuperiorem proſpexit, anchoris ſublatis, vela in altum dedit. Onerarias vero, utpote ad litus alligatas, præſidioque deſtitutas, Salvacoxa ſine certamine cepit, eaſque Neapolim per triumphum duxit. Barbari, ubi naves, quæ arci ſubſidio venerant, partim digreſſas, partim captas viderunt, alacriore ad eam oppugnandam animo rediere, adeo ut Soraca, quum nihil jam cibariorum ſupereſſet, ſe, ſuoſque captivos illis dedere coactus fuerit *(a)*.

Federicus, qui jacturæ inſolens, & ad miſericordiam factus erat, perquam ægre cum inſulæ amiſſionem, tum tot ſuorum ſervitutem tulit, animoque propoſuit omnem quamprimum daturum operam, ut illam recuperaret, hos in libertatem vindicaret. Panormi perfectis, Saccæque muris amplificatis, anno MCCCXXXVII. Panormo Ennam, ubi, quum ipſi integrum erat, libenter æſtivos, ut docuimus, tranſigebat menſes, Rex uxore, filiiſque comitatus, proficiſcitur. Ennæ podagra, chiragraque, quibus morbis jampridem tenebatur, ingraveſcentibus, quum ſupremum ſibi adeſſe diem ſentiret, Catinam tranſvehi voluit, ut Divæ Agathæ, quam ſingulari a primis annis religione colebat, ſe ſe præſens commendaret.

Priuſ-

(a) Mirum quam varie hoc hiſtoriæ caput ab Scriptoribus proditur. Nos Caruſium ſequuti ſumus; utpote qui probabilius, congruentiuſque rem exponere viſus ſit. Specialis cauſæ Girbæ incolarum defectionis meminit: reliqua in eo deſiderantur.

Digitized by Google

Prinſquam vero Ennâ abſcederet, teſtamentum fecit, quo ex ſuis filiis ſuperſtitibus Siciliæ Regni, adjacentium ei inſularum, ac Apuliæ ducatus, Capuæque principatus Petrum, Achajæ, Athenarumque Guilelmum hæredem inſtituit, Joanne ultimo loco nato, ſecundo hærede fratribus ſcripto, his legibus, conditionibuſque, ut in Regno Siciliæ fratri ſine legitimis liberis maribus decedenti frater, & poſtremo Aragonum Rex, fœminis ſemper excluſis, ſuccederet; ut, cui Achaja, Athenæque obvenirent eas, Siciliæ Regi vectigales haberet; ut Guilelmo in Sicilia Neætum, Abula, Inſpicæfundus, & Calatafimis oppida vectigalia attribuerentur; ut, ſi is in Orientem trajicere vellet, Petrus triginta longis navibus ſuo ære inſtruendis, & ducentis equitibus ſua quoque ſtipe per tres menſes alendis, fratri adeſſet; ut Joannes ad præſens Randatio, Caſtrileonis valle, Francavilla, & Troyna, & poſt Matris mortem Mænis quoque, Acis caſtro, & Coſyra inſula vectigalibus potiretur. Teſtamenti curatores Heleonoram uxorem, Petrum Montecatenum Syracuſanorum Pontificem, Franciſcum Vintimillium Hjeracis Comitem, Petrum Antiochiam magnum Scribam, Blaſcum Alagonam Judiciorum magiſtrum, & Raymundum Peraltam conſtituit. Teſtamento compoſito, obſignatoque, Catinam lectica, ad quam geſtandam incolæ circumjacentium oppidorum certatim concurrebant, perrexit. Cæterum vis morbi ipſum progredi non ſivit. Ad hoſpitalem Jeroſolymitanorum Equitum Divo Joanni Baptiſtæ ſacram ædem, Paternionem juxta poſitam, divertere, ibique ſubſiſtere neceſſe habuit. Quo in loco paulo poſt ad VIII. Calendas Quintiles in ejuſdem Divi Joannis pervigilio, ſacris munitus in Servatoris e Cruce pendentis amplexu, ætatis ſuæ anno ſexageſimo ſexto, Regni quadrageſimo primo laboribus potius, curiſque, quam annis confectus, è vita migravit, quanto Siculorum damno, quantoque dolore ſupervacaneum eſt nos exprimere, quandoquidem ex enarratis facile quiſque per ſe ipſe cogitare poteſt. Siculi enim Regem Federico virtutibus, quæ magnum Regem decent, religione, pietate, juſtitia, magnitudine animi, clementia, benignitate, aliiſque ornatiorem, in ſubjectos beneficentiorem, liberalioremque, domi, foriſque glorioſiorem, in quo virtus militaris major, nec minor prudentia civilis ineſſet, deſiderare non poterant; haud minus enim armis rem Siculam tutatus eſt, quam optimis ornavit legibus; ipſeque itidem cenſum habendi, quod Martinus, Ferdinandus, alii-

que

Digitized by Google

que deinceps noſtri Reges ſequuti ſunt, inſtitutum aut novum induxit, aut dimiſſum revocavit; etenim quod Sicilia ſub Romanis quinto quoque anno tota ab Cenſoribus cenſebatur, quod hi Cenſores a ſuis civitatibus deligebantur, eiſque omnis æſtimationis habendæ, ſummæque faciendæ poteſtas permittebatur, & quod Siculi ex cenſu, hacce acto ratione, tributa conferebant, ab Tullio in Verrem II. traditum habemus. Humanitas porro, quæ populorum animos ad Principes diligendos præcipue allicit, tanta in noſtro Rege extitit, ut a quocumque admoneri non dedignaretur. Non eſt ſane prætereundum, quod de ipſo Francus Sacchettus Florentinus narrat. Panormitanus quidam pharmacopola, Mazzeus nomine, quotannis elegantiore, quo poterat, habitu, veſtituque, depexa, comptaque coma ſe Regi ſiſtere, eique duas ciſtellas, unam pomorum citreorum, malorum alteram muneri offerre ſolitus erat. Quod munuſculum Rex pro ſua benignitate, & donantis affectu, gratum, acceptumque habebat, haud minus regium reputans parva grato animo accipere, quam magna liberali animo dare. Hunc morem Mazzeus ad extremam tenuit ſenectutem, ita ut quum aliquando regii famuli eum incurvum, toto nutantem corpore, anhelum, juvenili tamen cultu cum ſuis ciſtellis ad regiam accedere vidiſſent, cavillari primum, deinde ut delirum aditu prohibere, tandem manus ei injicere, comamque turbare. Nihilo tamen minus ipſi Regem adeundi, ægre licet, & male mulcato, poteſtas tandem facta fuit. Rex ut ipſum ſic habitum perſpexit, quid ei adverſi acciderit, ſciſcitatur. Mazzeus, quod ſic ſe haberet, ejus famulorum injuria factum reſpondit, adjiciens, ſi verum eſſet, ex famulorum moribus de moribus dominorum conjecturam capi, de ipſo non tam commode judicari poſſe, qui tam male moratos famulos haberet. Ad hæc Rex ſenem conſolatur, permulcetque, procaces caſtigat famulos, miſſoſque facit, modeſtioribus, probatioribuſque ſibi comparatis, majoreque in famulis ſeligendis, ac in officio continendis in poſterum ſtudio adhibito.

Nec literarum cognitio, quæ majorem quamdam Principibus auctoritatem conciliat, Federico, ut illis temporibus, defuit, quin, ut laudatus Sacchettus teſtatur, literarum præcipue divinarum ſcientiſſimus fuit. Illud quidem certo conſtat, Federici tempore minus inquinate apud noſtros latine ſcribi cœptum, ut ejus edicta, diplomata, epi-

epiſtolæque præ ſe ferunt, probatos latinos Scriptores Ciceronem, Virgilium, Ovidium, Livium, reliquoſque, ut ex Nicolai Specialis ſcriptis patet, legi, verſarique cœptos manu; Thomamque Caloriam inter cæteros, aliumque Thomam Meſſanenſes propter elegantiorum literarum ſtudium amicitia cum Franciſco Petrarca earum reſtitutore junctos floruiſſe. Quæ quum tanta, ac talia in Federico fuerint, quid mirum, quod ejus memoria non apud Siculos modo, ſed & apud exteros glorioſa remanſerit? Non eſt ex exteris Scriptoribus, qui illius mentionem faciat, quin eumdem ſummis efferat laudibus, prodigiique loco, abſit invidia vero, ponat, Federicum parvi Regni viribus, & quoad in vita manſit per quadraginta continuos annos Pontificibus maximis, Neapolitanis, Gallis, Aragonienſibus obſiſtendo, armaque in Italiam, in Aſiam, in Africam ferendo, hoſtes & gladio, &, quod non minus imperatoris, magiſque Regis eſt, conſilio ſuperando, illud retinuiſſe, mortuum liberis tam firmum reliquiſſe, eis enim regnorum munimentum, præſidiumque firmiſſimum, caritatem ſcilicet, benevolentiamque populorum reliquit, ut Petrus filius, Ludovicus, Federicuſque nepotes, nulla quamvis propria freti virtute, quæ in ipſo quodammodo exhauſta viſa fuit, ab iiſdem hoſtibus ſartum tectum conſervarint, ſuæque progeniei conſervatum ætas noſtra gaudeat, gaviſuræque ſint futuræ. Nec minus mirabilis Federici extitit ſolertia, qua effecit, ut omni invidiæ, æmulationiſque cauſa remota indigenæ Proceres cum Aragonienſibus, Catalauniſque, aliiſve, qui in Siciliam, ut in ea penates ponerent, confluxerant, concordes, conjunctique fuerint; concordemque operam, obſequiumque & indigenæ, & advenæ ipſi præſtiterint.

Sub Federici obitum unum ex iis aſtris, quæ neque certo procedunt motu, neque certo ſeſe oſtendunt tempore, cometis dictis, quæ magnas calamitates, Regumque fata portendere vulgo creduntur, & illis præſertim temporibus credebantur, apparuit. Item quod Donatus quidam Brunduſinus medicus, forſitan quia ſperabat Federicum arma ad ſacra loca recuperanda laturum, eum Jeroſolymis moriturum affirmare ſolebat, quandoquidem in æde equitum Jeroſolymitanorum mortem obivit, vera divinatio habita fuit. Regis corpus Catinam ſtatim, ut ad Divæ Agathæ ſepeliretur, translatum, quod eo multa de nocte perventum fuit, in Urſina arce privatim reponitur. Prima luce diademate, ſceptro, aliiſque inſignibus ornatum

tum Regiis, in feretro collocatur. Interim tota pene civitas ſeſe in arcem effundit. Nobiles longo ordine, pars accenſis cereis progrediuntur, pars cadaver ſequuntur. Feretrum humeris nobiliores efferunt. Adſunt Regii filii, proceresque Regni. Exequias Regina, illuſtribus comitata matronis, proſequitur. Fere univerſus populus pompam claudit; omnes atrati. Majore apparatu efferri alius Princeps quidem poſſet, ſed non majore populorum, quod niſi optimis Principibus contingere non poteſt, luctu, deſiderioque. Non ſolum Catinæ, ſed in cuncta Sicilia tantus fletus, gemituſque in Federici morte factus fuit, quantus in cariſſimi parentis ab amantiſſimis filiis obitu poterat. In Federico extincto unuſquiſque ſuas fortunas, ſuam gloriam, ſeipſum extinctum, patriæque exitium dolebat, deplorabatque. Sic in templum elatus, poſt juſta ei magnifice ſoluta, in marmoreo ſepulchro, magnifici pro illis temporibus operis, conditus fuit, in quo & regia inſignia ab ipſo, ut diximus, conſtituta, inciſa; & hæc non tam incondita inſcripta carmina fuere.

Quid tumulus caperet Federici carmina Regis?
Murus erat Siculis longo certamine, legis
Divinæ cultor, humani juris amator
Occubuit; ſcandit cœleſtia regna viator.
Quæ, Federice, queant de te, Rex, carmina fingi?
Dignus eras Siculis Divorum numine pingi.
Aurea Trinacriæ ſub te duce floruit ætas:
Nec potuit quiſquam regni tibi tollere metas.
Sicaniæ populi mœrent; cœleſtia gaudent
Numina. Terra gemit. Rex Federicus obit.

Petrus ſcriptis ad V. Calendas Sextiles literis Siciliæ populos de morte Patris certiores fecit, mandavitque, ut ei parentarent, ac ejuſdem laudes commemorans, ſe paterna veſtigia, ipſos honoribus, beneficiiſque cumulando, ſequuturum, omniaque vel vitam, ſi opus fuerit, ipſam pro eorumdem incolumitate profuſurum teſtatus eſt (*a*).

Ro-

(*a*) *Petri Regis literas vide inter Monum. cit. num. LII.*

Digitized by Google

Robertus nuncio allato de morte Federici (a) ægre admodum illam tulit. Ut erat ipſe virtute præditus, virtutem vel in hoſte amabat; certumque ad ſororem hominem miſit, qui eam inviſeret, ac de tanti viri, quam fecerat, jactura conſolaretur. At Heleonora certiorem ſe de illa conſolandi rationem inivit. Ipſa enim, ut Rex exceſſit e vita, ei, qui omnis conſolationis fons eſt, ſeſe in Virginum collegio Franciſcanæ familiæ Catinæ devovit; in hoc Catharinam, & Margaritam filias imitata, quæ in ætatis flore, falſis terreſtribus contemptis bonis, Chriſto, cui ſervire regnare eſt, in ſacrarum Virginum Meſſanenſi Collegio, de Baſicò dicto, ejuſdem Franciſcanæ familiæ ſeſe conſecrarant; quod Collegium poſteaquam Catharina ſancte gubernavit, ſanctitatis opinione commendata deceſſit.

(a) *Giannettaſius hic dupliciter errat, ſcribendo Federicum diem ſuum obiiſſe VIII. Calendas Auguſti, & generum Roberti fuiſſe.*

F I N I S.

MO-

Digitized by Google

MONUMENTA.

Digitized by Google

En Monumenta, quorum in hac hiſtoria Auctor meminit. Sicut in iis edendis, quæ lucem nondum adſpexerunt multi eſſe potius, quam negligentiæ culpari maluimus, ita ea exſcribere, quorum facta jam ab aliis publico poteſtas eſt, haudquaquam neceſſarium duximus. Curæ tamen fuit de his quoque Auctores, fonteſque, a quibus, ubi e re eſſet, peti poſſent, innuere. Qui cupit exempla celebratarum ſæpe in hoc Opere Federicianarum legum conſulat Tomum I. Capitulorum Regni Siciliæ ab Commentarii hujus Auctore, cum notis variis, & diſſertationibus accurate editorum.

Digitized by Google

Num. I.

Ex Regiſtro R. Caroli I. exiſtente in Regia Sicla Neapolis ſignato 1284. *lit. A. fol.* 150. *a tergo.*

CArolus Dei gratia &c. Tenore preſentium notum facimus univerſis; quod nos fecimus, conſtituimus, & ordinamus Venerabilem Virum Dominum Trojanum Epiſcopum, & Virum nobilem Oddonum Pollicenum, Militem dilectos Conſiliarios, familiares, & fideles noſtros, quemlibet eorum inſolidum, ita quod non ſit melior conditio occupantis, noſtros veros, ac legitimos procuratores ad recipiendum nomine, & pro parte noſtra mutui nomine in Romana Curia, ſeu Tuſcia, vel Lombardia, vel ubilibet ab Univerſitatibus, Societatibus, vel Collegiis, Mercatoribus, vel perſonis aliis Clericis, vel Secularibus quibuſcumque, cum conſcientia tamen, ac noticia diſcretorum Virorum Magiſtri Berardi Carazuli, & Magiſtri Egidii Domini Papæ Notariorum, ac Magiſtri Petri de Latiera in Romana Curia Procuratoris dilectorum Conſiliariorum, & Familiariorum noſtrorum, vel duorum, aut unius ex eis, ſi alius, vel alii commode nequiverint intereſſe, ita quod nec inter eos ſit melior occupantis conditio, uſque ad ſummam, vel valorem unciarum auri quinquaginta millium in quacumque, vel quibuſcumque pecuniæ ſpeciebus, & ad obligandum propterea Creditoribus ipſius pecuniæ, Regna, Principatus, Comitatus, ſeu Terras, aut Caſtra, & quelibet alia bona noſtra, pro ut eis viſum fuerit, & ad faciendum eiſdem creditoribus exinde quaſcumque cautelas viderint opportunas. Promittentes ſub hypoteca Regnorum, Principatuum, Comitatuum, & quarumlibet bonorum noſtrorum nos rathum habiturum, & firmum, quicquid dicti Procuratores, vel ipſorum alter, ut dictum eſt fecerint in premiſſis, vel aliquibus premiſſorum. In cujus rei teſtimonium preſentes literas fieri, & ſigillo Majeſtatis noſtre juſſimus communiri, & factæ ſunt circa id prædictis Magiſtro Berardo Carazulo, Magiſtro Egidio Domini Papæ Notariis, & Magiſtro Petro de Latera Litteræ informatoriæ, & ſollicitatoriæ competentes. Datum Neapoli IX. Junii XII. Ind.

Hujus in Publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

Ex Regiſtro Caroli I. exiſtente in R. Sicla Neapolis ſignato 1284. *lit. A. fol.* 150. *a tergo.*

CArolus &c. Venerabili Viro Magiſtro Berardo de Neapoli Domini Pape Notario dilecto Conſiliario, & Familiari ſuo &c. De Statu noſtro opus proſperum velle vos credimus volentes vos reddere certiores tenore preſentium vobis facimus manifeſtum. Nos die Jovis preſentis menſis Junii cum magno, & potenti extolio Galea-

Digitized by Google

learum noſtrarum Provinciæ Neapolim perveniſſe, & ibi a marinis pauliſper laboribus recreati contra rebelles, & hoſtes in Siciliam proponimus infallibiliter proficiſci: cumque pro implorando ſubſidio a Domino noſtro Papa, quod imminentis neceſſitatis articulus exigit, Oddonem de Polliceño Militem, & Magiſtrum Gebertum de Sancto Quintino Clericum dilectos Conſiliarios, & Familiares noſtros exhibitores preſentium ad Romanam Curiam preſentialiter tranſmittamus, ſinceritatem veſtram, de qua ſpecialis dilectio fiduciam nobis perhibet pleniorem, attenta qua poſſumus cordis affectione rogamus, quatenus eiſdem nunciis noſtris in his, que vobis ſuper hoc oretenus ex parte noſtra retulerint, fidem credulam adhibentes aſſiſtatis eiſdem in efficaci promotione noſtri negotii eis commiſſi ope favoris, conſilii, & auxilii opportuni. Itaque eadem negotia, favoribus veſtris adjuta, votivæ promotionis effectibus fecundentur, noſque proinde vobis conſtituamus ad condigna gratiarum merita reſpondere. Datum Neapoli XIV. Junii XII. Indic

Hujus in Publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

Num. II.

Ex Regiſtro Caroli I. exiſtente in Regia Sicla Neapolis ſignato 1283. lit. A. fol. 150.

Die IX. Junii XII. Indictionis apud Neapolim ſcriptum eſt Domino Papæ in hæc verba. Et ſi nuper in cordis, & oris organo, tanquam gratitudinis filius prompta recognitione cecinerem me inter ceteros mundi Principes celeſti Regi, & ejus in terris Vicario plus teneri, de quorum manibus potioris liberalitatis, & gratiæ dona ſuſcepi, ne tamen humana quicquam de ſe preſumat elatio, vires meas pro Regni Siciliæ reſtaurationi queſitas ei lege diſponit Altiſſimus, quod quantumlibet ad id conniſſus fuerim, & connitar totum tamen liqueat a Divina gratia, & Apoſtolicæ Sedis ope pendere. Noverit itaque Sanctitas veſtra, quod pridem ſexto preſentis menſis Junii oram Tuſci, & Campani lictoris cum Vaſcellorum meorum Extolio prætergreſſus in Gaetana maritima nuncium habui ſollicitudinis, & angoris, de quo firmiter credo jam uſque ad Sanctitatis veſtræ auditorium perveniſſe fragorem. Quod cum vaſcella rebellium Siciliæ in Neapolis maritimam navigaſſent, Karolus primogenitus meus chariſſimus Princeps Salernitanus, & honoris Montis Sancti Angeli Dominus, tunc Regni Vicarius actus impacientiæ ſtimulis, & veſanis quorumdam Conſiliis inſtigatus, ſpretis etiam clam, & eluſis repugnantibus ejus voto Conſiliis Reverendi Patris Domini Gerardi Sabinenſis Epiſcopi, & in eodem Regno Siciliæ Apoſtolicæ Sedis Legati, & aliorum Judicii ſanioris, Galeas novas in Neapolitano lictore pro mei extolii acceſſione conſtructas in mare deduci, & raptim, quod diuturna erat proviſione gerendum, mandarat armari, eiſque in plurium nobilium comitiva conſcenſis, hoſtes predictos, qui, & quantitatis & prerogativa armationis gaudebant, die Lunæ V. predicti menſis, impetu temeritatis evaſerat, & ſic hoſtili protenus claſſe circumdatus, quamvis ibi ceſa fuiſſet impu-

pugnantium multitudo, demum tamen in hoſtium venerat poteſtatem, quo ſic rapto reliquarum Galearum pugna ſucciſa hoſtes prædicti diſceſſerant, & Inſulam ſe receperant Capritanam. Cujus rumoris gravitate perculſus verſus partes diſcriminis toto poſſe contendi, & comperto, quod hoſtes, adventu meo præſcito, Siculas partes petiverant, die Jovis menſis ejuſdem cum prædicto extolio ad Neapolitanam Civitatem applicui: ubi licet non nulli leves, & viles poſt prædicti Principis captionem contumaci craſſantia exceſſiſſent a nobilibus, & reliquis probis viris Civitatis ipſius ſatis fuen lætanter exceptus. Et quamvis ad prædicti rumoris ſtrepitum in adjacenti Provincia quamplures Terræ fuerint quadam concuſſione turbatæ; ſtatim tamen poſt adventum meum turbatio conquievit. Licet itaque de ipſius Principis captione, quoad ejus conſiderationem paternæ charitatis viſcera moveantur; attendens tamen quod Divina gratia me per eum locupletavit in ſobole, ac potens eſt Dominus ejus conterere laqueum, ut in adjutorio Domini liberetur; & quod ex ejus captione, quamvis nonnulli nobiles, unde potiſſime moveor, in prædicta pugna ceciderint, & nonnulli ſint comites captionis modicum tamen, aut nichil eſt de mea potentia diminutum. Attendens etiam quod in Neapolitano portu de partibus Provinciæ Galeæ munitæ ſint triginta, & novem, Jerida una, & Galioni tres; Brunduſii vero multa plura Vaſcella verbum meæ juſſionis expectant: quodque militum, & nautarum per Dei gratiam copiæ mihi ſuppetunt, cum quibus multo grandius negocium facilem digne ſperare poſſet eventum. Illud autem omnibus anteponens, quod in mea juſtitia cauſam ſimul honoris divini proſequar, & Eccelſiæ libertatis ſuſceptum negotium non minori, ſed majori quam hactenùs animo de Divina, & Apoſtolica confiſus gratia continuare conſtituo: qua poſt ejuſdem Principis captionem majora cernuntur onera meis humeris imminere. Veruntamen cum tanto apparatui nihil præter pecuniam deeſſe noſcatur, ad Paternitatis veſtræ ſubſidium cum omni humilitate recurro, ſuppliciter orans, ut meditantes quam devote ſemper me pro Eccleſiæ libertate quibuslibet diſcriminibus oppoſuerim, & opponam, & quem certa ex apparatu prædicto de comunibus hoſtibus promittatur victoria, ſi pecuniale tantummodo ſubſidium intercedat, nec non quantum ſequi poſſet, quod abſit, ex neglectu diſpendium circa id ſi placet, ſic liberaliter, & celeriter providere dignemini; pias etiam ſuper hoc præces ad Dominum emittentes, quod optatus finis oneroſo negotio, & leta quies tam longis laboribus imponatur. Ego autem prædictis Vaſcellis Provinciæ, ac Terræ Laboris in apparatu relictis ad partes Apuliæ feſtinus accedo facturus Vaſcella ipſarum partium ſimiliter apparari, ut omni dilatione præciſa, ex utroque Regni latere ſimul tempore prædictorum Vaſcellorum Extolia in Siciliam Duce Domino dirigantur.

Hujus in Publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

Num. III.

Num. III.

Teſtamentum Illuſtriſſimi Alphonſi Regis Aragonum Regis Petri filii.

IN nomine Dei. Nos Alphonſus Dei gratia Rex Aragonum, Majoricarum, & Valentiæ, ac Comes Barchinonæ in noſtro pleno ſenſu, & ſana, ac integra memoria, notum facimus, & ordinamus Teſtamentum, & eligimus manumiſſores, & exequutores hujus noſtri teſtamenti Venerabiles Archiepiſcopum Tarraconæ, & Epiſcopum Barchinonæ, qui pro tempore fuerint, & nobiles Viros Dupnum Arnaldum Rogerium, Comitem Pailarienſem, Berengadium de Podio Viridi, Lupum Serrench de Luna, Guillelmum de Angularia, Guilabertum de Cendellis, & Robertum Xemenes de Luna Commendatorem Montis Albi, mandantes, & rogantes prædictos Manumiſſores, & exequutores ſub fide, & legalitate, qua eorum unuſquiſque nobis eſt, & ſunt adſtricti ab eis requirimus, quod ipſi omnes, & major pars illorum, ſi alii non poſſunt intereſſe, compleant, & exequantur hoc teſtamentum, ſeu ultimam voluntatem pro ut infra continetur, & declaratur.

Imprimis volumus, & mandamus, quod predicti manumiſſores & exequutores de bonis noſtris ſolvant omnia debita, & reſtituant omnes injurias noſtri, & parentum noſtrorum de plano ſine omni diffugio, & moleſtia, & ſtrepitu Judicii, ſicuti hæc probari poterunt per teſtes, vel iſtrumenta, vel aliam legitimam declarationem. Hos etiam ad ſolutionem, & reſtitutionem prædictorum debitorum, & injuriarum obligamus, & aſſignamus omnia bona noſtra, quæcumque ſint, & ubicumque. Eligimus ſepulturam noſtram in Monaſterio Fratrum Minorum Barchinonæ. Quam quidem ſepulturam mandamus fieri bene, & honorificè pro ut nos decet: volumus etiam, & mandamus, quod ubicumque contingat nos finire dies noſtros, quod corpus noſtrum deferatur ad ſepulturam ad dictum Monaſterium Fratrum Minorum Barchinonenſium, & quod in abitu noſtro induamur habitu Sancti Franciſci.

Item volumus, & mandamus, ac etiam ſtatuimus, & ordinamus, quod Conventus dictæ Domus Fratrum Minorum Barchinonenſium pro remedio animæ noſtræ procuret tribus diebus qualibet ſettimana imperpetuum celebrare Miſſam Defunctorum; videlicet die Dominica, & die Martis, & die Jovis, & in uno quoque dictorum trium dierum dentur Conventui dicti Monaſterii Fratrum Minorum pro pietantia, ſive procuratione ſolidi quinquaginta monetæ Barchinonenſis perpetuo, & æterno.

Item volumus, & mandamus, ac etiam ſtatuimus, quod quolibet anno, in die obitus noſtri in perpetuum fiat anniverſarium noſtrum in dicto Monaſterio Fratrum Minorum Barchinonæ, & quod ipſa die anniverſarii noſtri induantur omnes Fratres Minores Conventus dictæ Domus Barchinonæ Tunicis ſuperioribus de panno idoneo ad faciendum Tunicas, ſeu habitus, & quod in eadem die, qua fiet anniverſarium noſtrum, induantur quolibet anno in perpetuum centum pauperes Tunicis de Lambardoſt, & Caligis albis & Camiſis, & Brachis, & procurentur, ſive reficiantur ipſi centum pauperes in dicto Monaſterio Fratrum Minorum.

Volumus, & mandamus quod in die dicti noſtri Anniverſarii procurentur ſingulis annis de bonis noſtris predicti Fratres Minores, ſi forſan dies, quo finiemus dies noſtros, non eſſet aliquis de dictis tribus diebus, quibus ipſos ſupra mandavimus procurari, & quod den-

dentur eis pro procuratione, ſive pietantia quinquaginta ſolidi prædictæ monetæ.

Item volumus, & mandamus, & etiam ſtatuimus, & ordinamus quod ardeantur ſemper diu, noctuque inceſſanter coram tumulo noſtro duo Cerei, quorum uterque ſit ponderis decem librarum, & nos dimittimus, & aſſignamus ad procurationem dictorum Fratrum Minorum, & dictorum centum pauperum, & ad emptionem dictorum veſtimentorum, quæ mandamus fieri eiſdem Fratribus Minoribus, & dictis centum pauperibus, & ad faciendum ſervitium dictorum Cereorum omnes redditus, exitus, & proventus Molendinorum noſtrorum Barchinonæ; Itaquod de dictis redditibus, & proventibus, vel de pretio eorum ſit venderentur, Bajulus noſter quicumque pro tempore fuerit, teneatur dare, & ſolvere quolibet anno per tres tertias Procuratori dicti Monaſterii Fratrum Minorum Barchinonenſis XVI. ſolidorum monetæ Barchinonenſis perpetuo de tertio prædicto pro prædictis omnibus procuratoribus & veſtibus ipſorum Fratrum Minorum, & dictorum centum pauperum, & pro ſervitio dictorum Cereorum faciendis & complendis, ſicut ſupra a nobis ordinata ſunt, & ſtatuta, & ſi major quantitas denariorum fuerit neceſſaria ad faciendum prædicta, volumus & mandamus, quod prædicta ſolvantur dictorum Fratrum Minorum Procuratori de redditibus & proventibus dictorum Molendinorum noſtrorum Barchinonenſis, & prædicta mandamus fieri abſque omni dilatione, & excuſatione; Itaquod dictus Bajulus Barchinonenſis, quicumq. pro tempore fuerit, immediate per dictas tres tertias anni, ſcilicet de quatuor in quatuor menſibus, ſolvat dictam quantitatem denariorum Procuratori dictorum Fratrum Minorum Barchinonæ, & in principio, quo ipſe Bajulus incipiet tenere Bajuliam, teneatur ſe, & bona ſua incontinenti cum inſtrumento ab ipſo firmato, & jurato obligare dicto Monaſterio Fratrum Minorum Barchinonenſium, ſeu Procuratori ſuo pro eis, quod faciat ſibi dictas ſolutiones de dictis redditibus, & proventibus dictorum Molendinorum per prædictos terminos; & ſi forſan ipſe Bajulus differet aliquam dictarum ſolutionum quatuor dies ultra terminum, volumus, & mandamus, quod ſolvat ipſe Bajulus pro pœna qualibet vice ducentos Mirabidinos abſque omni omiſſione procuratori dictorum Fratrum Minorum, qui ipſos ducentos Mirabidinos convertet in procurationem ipſorum Fratrum. Mandantes expreſsè hæredi noſtro in prædicta, & hæc ſibi imponimus, & injungimus ſub periculo animæ ſuæ, & fidei, aut debiti, quibus nobis ſtringitur, quod ad prædicta complenda compellat, ſi neceſſe fuerit, & puniat prædicta pœna Bajulum Barchinonæ prædictum. Et ſi forſan, quod abſit, prædicta non complerentur per hæredem noſtrum infraſcriptum, & ſuos, vel per Bajulum Barchinonæ, vel eſſent negligentes in prædictis complendis, & exequendis, volumus & mandamus, quod Procurator Domus Fratrum Minorum Barchinonæ pro ipſis Fratribus habeat, & teneat libere Molendina Barchinonæ prædicta, & quod recipiat omnes redditus, & proventus eorum Molendinorum: Nos enim in dicto caſu dimittimus dicto Monaſterio Fratrum Minorum Barchinonenſium prædicta Molendina noſtra Barchinonæ, & omnes redditus, & proventus ipſorum pro prædictis procurationibus, ſeu pietantiis ipſorum, & pro prædictis veſtibus eorum, & pro procuratione, & veſtibus dictorum centum pauperum, & pro ſervitio dictorum Cereorum.

Item volumus, & mandamus, ac etiam ſtatuimus, & ordinamus, quod Fratres Minores dictæ Domus Barchinonenſis celebrent qualibet die in perpetuum Miſſam Defunctorum Conventualem pro anima noſtra, & pro animabus parentum noſtrorum, & poſt celebrationem ipſius Miſſæ omnes ipſi Fratres veniant ante tumulum noſtrum, & dicant litaniam, & pſalmos pœnitentiales ante ipſum tumulum, & orent Deum pro anima no-

Digitized by Google

noſtra, & ſex de ipſis Fratribus ſint induti veſtibus Sacerdotalibus, & abſolvant tumulum noſtrum.

Inſtituimus nobis hæredem univerſalem in Regnis noſtris Aragonum, & Valentiæ, & in toto Comitatu noſtro Barchinonenſi, & in toto Dominio, & Jure quod habemus in Regno Majoricarum, & Comitatu Roſſilionis, & in omnibus aliis terris, & locis, quæ Inclitus Dominus Jacobus Avunculus noſter tenet pro nobis ad feudum, & in aliis etiam terris, & locis noſtris, & juribus univerſis, aliiſque ſpectantibus aliquo modo ad Illuſtriſſimum Dominum Jacobum fratrem noſtrum, ita tamen quod ipſe donet, diffiniat, & concedat Infanti Federico fratri noſtro, & ſuo Regnum Siciliæ, & alias terras, & loca quæ ſunt de pertinentiis ipſius Regni; ſi vero dictus Dominus Jacobus frater noſter vellet plus ſibi retinere, & habere dictum Regnum Siciliæ, quam ipſe dare, & concedere dicto Infanti Federico, & eſſe hæres noſter, vel contingeret quod ipſe Dominus Jacobus tunc non viveret, in utroque illorum caſuum inſtituimus nobis hæredem univerſalem dictum Dominum Infantem Federicum fratrem noſtrum in dictis regnis noſtris Aragonum, & Valentiæ, & in dicto Comitatu Barchinonæ, & in aliis terris & locis, & Juribus noſtris univerſis, ſi tunc ipſe Dominus Federicus viveret, & ſi tunc non viveret, inſtituimus nobis heredem univerſalem, & in prædictis omnibus Dominum Infantem Petrum fratrem noſtrum.

Item ſi dictus Dominus Jacobus frater noſter in Sicilia eſſet nobis hæres, & poſtea decederet ſine prole legitimi conjugii, volumus, & mandamus, quod ipſe Dominus Jacobus frater noſter prædicta omnia, quæ ſibi in hoc teſtamento dimittimus, reſtituat prædicto Infanti Domino Federico fratri noſtro, & ſuo, ſi viveret, & ſi tunc non viveret, reſtituat ea omnia predicto Infanti Domino Petro fratri noſtro, & ſuo.

Item ſi dictus Infans Dominus Federicus frater noſter, & in eo ſcilicet caſu, ubi regna noſtra Aragonum, & Valentiæ, & aliæ terræ, & loca, & jura noſtra ad eum perveniſſent vigore hujus noſtri teſtamenti, decederet ſine prole legitimi conjugii, volumus, & mandamus, & rogamus ipſum quod prædicta Regna noſtra, & alias terras, & loca, & jura noſtra, quæ ad ipſum perveniſſent, reſtituat dicto Domino Infanti Petro fratri noſtro, & ſuo.

Item volumus, & mandamus quod ſi forſan dictus Dominus Jacobus, & dictus Infans Federicus fratres noſtri non poſſunt nobis ſuccedere in prædictis Regnis, & aliis terris, & locis, & juribus noſtris pro eo quod intererint in Regnum Siciliæ, vel ex alia cauſa, in hoc caſu ſit nobis hæres univerſalis dictus Dominus Infans Petrus frater noſter in dictis Regnis noſtris, & aliis terris, & locis, & juribus noſtris.

Item volumus, & mandamus quod hæc ſit ultima voluntas noſtra, quam volumus in omnibus valere jure teſtamenti, & ſi forſan non valet vel valebit jure teſtamenti, volumus, & mandamus quod valeat & valere poſſit jure codicillorum vel alterius cujuslibet ultimæ voluntatis. Actum eſt hoc in Civitate Barchinonæ Sexto Idus Martii Anno Domini M. CC. LXXXVI.

Signum.

ALPHONSUS Dei gratia Rex Aragonum, Majoricarum, & Valentiæ, & Comes Barchinonæ, qui hoc teſtamentum laudamus, & firmamus. Teſtes rogati hujus Teſtamenti ſunt Corradus Lancia, Petrus Manlii Notarius dicti Domini Regis, Bernardus de Pinnellis, Rinaldus de Baſtida, Jacobus Fivellerii, & Rubertus Scorna Scriptor Domini Regis prædicti.

Si-

Signum mei Petri Matthæi Notarii Publici Barchinonenſis, qui hæc ſcripſi, & clauſi cum literis appoſitis Julii XXVY, ubi ſcribitur reſtit. die & anno quo ſupra.

Hujus in Publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

Num. IV.

Inſcriptio, quæ Agrigenti adhuc viſitur, quaque ibi nunc in publici Palatii fronte exiſtit, his concipitur verbis, ſcilicet

:ANNO:MILLENO:TRICENO:NONBENE:PLENO:
:SEPTEM:SUBLATIS:ĪSUMA:CONNUMERATIS:
:VIRGINEUS:PARTUS:CUM:NRŌS:ADTULIT:ARTUS:
:HIC:SUM:FUDATUS:HIC:DENUO:SUM:RENOVAT':
:POCULA:DAS:GENTI:DEGENTI:NUC:AGRIGETI:
:RES:MAYO:GESTA:FUIT:AC:INDICIO:SEXTA:
:FULGIDIOR:SOLE:GMINA:COSTACIA:PROLE:
:REGNABAT:DIUA:QI:PALLADIS:ARBR:OLIUA:
:INCLIT':ILLUSTRIS:UICTOR:CULIBET:HOSTIS:
:ATQ:TRIUPHATOR:FREDERIC:IURIS:AMATOR:

Anno Milleno triceno non bene pleno
Septem ſublatis in ſumma connumeratis
Virgineus partus cum noſtros adſtulit artus
Hic ſum fundatus hic denuo ſum renovatus
Pocula dans Genti degenti nunc Agrigenti
Res Majo geſta fuit ac indictio ſexta
Fulgidior ſole gemina Conſtantia prole
Regnabat diva quaſi Palladis arbor oliva
Inclitus illuſtris Victor cujuslibet hoſtis
Atque triumphator Fredericus Juris Amator.

Digitized by Google

Ex primis duobus verſibus clare intelligimus monumentum hoc ad annum MCCLXXXXIII. pertinere, in quo Federicus pro Jacobo fratre, qui ad capeſſendum Aragoniæ regnum e Sicilia diſceſſerat, Siciliam procurabat. Verba illa:

Hic ſum fundatus hic denuo ſum renovatus
Pocula dans Genti &c.

Fontem aliquem Menſe Majo ejuſdem anni refectum Agrigenti fuiſſe commonſtrant. Mirum itaque non eſt ſi Poeta fontem ipſum loquentem inducit. Sequitur verſus:

Fulgidior ſole gemina Conſtantia prole.

Id eſt Jacobo & Federico. Conſtantia porro dicitur regnare gemina prole, quia Jacobus regnabat in Aragonia, & Federicus in Sicilia ſummam tenebat Imperii; ac propterea de hoc ſolum expreſſa ſit mentio. Nonnulla ſunt obſervatione digniſſima. Atque in primis mirari ſatis non poſſimus Conſtantiam *divam* vocari. Norunt eruditi vocabulum illud *Divi* quod proprium Deorum fuit, & omnes ferme Ethnicos Imperatores, & ipſas Auguſtorum uxores immerito ſibi prorſus vindicaſſe. Hinc poſt Conſtantini tempora, piiſſimi Imperatores, qui deinceps regnarunt, quibuſque affulſit fidei noſtræ lumen, vel nunquam, vel raro certè hac voce uſi ſunt; ſed fortaſſis hujus Epigrammatis Auctor vocem hanc *diva* poſuit, ut ipſa, juxta rationem verſuum, qui Leonini appellantur, conſona eſſet voci *oliva*. Deinde in hoc eodem curſu pulcherrimum habemus Conſtantiæ elogium, ex quo conjicere fas eſt, quænam fuerit ipſius Conſtantiæ inſignis oris & animi pulcritudo, dignitas, potentia, & robur. Ipſa enim comparatur olivæ, quæ viret ſemper, quæque inter alios arbores & fronde excellit, & fructu. Ita Eccleſiaſticus (cap. 24. v. 19.) Sapientiæ pulcritudinem & dignitatem celebrat: *Quaſi oliva ſpecioſa in campis*. Jamvero animadvertere oportet mediæ & infimæ latinitatis ætate & Philologos, & Poetas ſacræ ſcripturæ, & veterum Oratorum, & Poetarum ſententias promiſcue uſurpaſſe. Dicitur propterea oliva *arbor* Palladis.

Et ſanè compertum ſatis eſt Palladem fuiſſe primam oleæ inventricem; quare pro oleo interdum ponitur. Hinc Ovidius (Epiſt. Her. 19. v. 44.)

Pallade jam pingui tingere membra putes.

Verum eadem Pallas vocata etiam fuit *Minerva*. Hæc non olei ſolum, ſed & lanificii inventrix creditur extitiſſe, ob quæ erga humanum genus beneficia divinos honores meruit, ut teſtatur Cicero (lib. 3. *de Nat. Deorum*.) Hinc fuit oliva Palladi ſacra. Quamobrem ſcribit Palladius (lib. 1. R. R. cap. 6.) morem apud Græcos fuiſſe, ut, cum ipſa plantaretur, ac lugeretur, a mundis pueris atque virginibus id opus fieret. Paci quoque fuit ſacra oliva. Id luculenter tradit Virgilius (Georg. lib. 2. v. 425.)

Hoc pinguem, & placitam Paci nutritor olivam.

Itaque qui ſupplices pacem petebant, oliværamum præferebant. Idem Virgilius (Æneid. lib. 8. v. 104.) hæc habet:

Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis, an arma?
Tum Pater Æneas puppi ſic fatur ab alta,
Paciferæque manu ramum prætendit olivæ.

In olivæ ergo ſymbolo, & in Palladis comparatione, qua Poeta utitur dum Conſtantiam laudat, non ſolum contemplari poſſumus ipſius Conſtantiæ potentiam, & venuſtatem, ſed ejuſdem etiam morum integritatem. Cum enim Pallas, ut diximus, eadem ſit ac Minerva, quæ *Pallans*, & *Pallens* vocata eſt, hanc *Patrem dicitur interemiſſe Virginitatem ſuam violare conantem*, ut loquitur Tullius laudato lib. 3. *de Nat. Deorum*.

De

De Federici laudibus, quæ in poſtremis duobus verſibus celebrantur, non eſt cur multa loquamur. Nemo eſt enim qui ignorat vim, quam per ea tempora obtinebant vocabula illa *Inclitus*, *Illuſtris* e.c. Reliquum hic eſſet tantummodo, ut de verſibus, qui *Leonini* vocantur, ſermonem inſtitueremus, cum præſertim complures in ea ſint opiniones, ut putent hanc efficiendi verſus rationem, qui in tertio, ut dicimus, pede vocem continent, quæ conſona eſt voci, quæ eſt in ultimo, petendam eſſe a barbaris illis hominibus, qui in Italia ſæculo decimo floruerunt, & ſequentibus. Sed id eruditè præſtitit Cl. Ludovicus Muratorius, qui in celeberrimo Opere *Antiquitatum Italicarum* (Diſſert. 40. tom. 2.) adverſus Papebrochium, Eccardum, & Berrentium demonſtrat morem Leoninos efficiendi verſus plurimum etiam viguiſſe ſæculo ſexto, ſeptimo, octavo, & nono. Siculi quoque his verſibus vehementer delectati ſunt. Celebris eſt Rogerii I. Inſcriptio, quam affert Pirrus:

Linquens terrenas, migravit Dux ad amenas
Rogerius ſedes, nam Cœli detinet ædes.

Huic ſimilia ſunt quoque monumenta, quæ habemus in Hiſtoria Malaterræ (lib. 3. cap. 14.)

Talia diſponens tacita, ſed mente reponens
Sumptibus inſudat: quo Bizantium ſibi ludat.
Undique terrarum quærit ſpem materiarum.

Uno verbo nullum ferme eſt in Sicilia monumentum, quod Sæculo XII. XIII. & XIV. Leoninis verſibus conſcriptum non ſit.

Num. V.

Ex authographo inſtrumento recondito in Regio Tabulario Barchinonæ in archa Carthărum, & Bullarum Papalium pro facto Siciliæ tempore Domini Jacobi Secundi Aragonum, & Siciliæ Regis.

CArolus Secundus Dei gratia Rex Hieruſalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ Provinciæ, & Forcalqueriæ Comes. Notum facimus Univerſis tenorem præſentium inſpecturis, quod cum poſt diverſos pacis tractatus habitos inter inclitum Principem & Dominum Jacobum Illuſtrem Regem Aragonum chariſſimum generum noſtrum, & nos, animos ejus & noſtrum prægrandi huc uſque diſcrepantia contradictionis adverſos, is qui fugat odia, parat concordiam ad pacem reduxit; illos unitate conjungens, nos diligentes & amplectentes commoda pacis ejuſdem, cum ex ea præcipue amænitas, tranquillitas perveniat, & quies multorum deſideriis affectata ſuccedat, atque volentes deinceps exercere erga dictum Regem, & ſuos quidquid amabilitatem & puritatem reſpicere dignoſcatur, tam mulieri magnificæ Dominæ Conſtantiæ Reginæ Aragonum Genitrici Regis ejuſdem, quam ipſi Regi, ac Viris Illuſtribus Fiderico, & Petro fratribus ejus, nec non Valitoribus, Adjutoribus, Fautoribus, Complici-

bus,

Digitized by Google

bus, Satellitibus, ſeu Miniſtris eorum omnes injurias, offenſas, & damna irrogata, claræ memoriæ domino Patri noſtro Hyeruſalem, & Siciliæ Regi Illuſtri, & nobis, ac Valitoribus, Fautoribus, Adjutoribus, Complicibus, Satellitibus, ſeu Miniſtris, & Subditis noſtris per ipſos, & prædeceſſores eorum libere remittimus, & totaliter relaxamus. Ac de mobilibus, vel ſemoventibus, quæ dicta domina Conſtantia, dicti Rex Fridericus, & Petrus Prædeceſſores, Valitores, Fautores, Adjutores, Complices, Satellites, ſeu Miniſtri eorum habuerunt de bonis noſtris, ac Valitorum, Fautorum, Adjutorum, Complicium, Satellitum, ſeu Miniſtrorum, & Subditorum noſtrorum, poſtquam Dominus Petrus Rex Aragonum intravit in Siciliam, & guerra ibi extitit incohacta, nec non de expenſis, quas pro ipſa guerra, vel ejuſdem occaſione ſubjicimus, quoquo modo prænominatam Reginam, ac præfatos Regem Fredericum & Petrum; Valitores, Fautores, Adjutores, Complices, Satellites, Miniſtros, & eorum hæredes perpetuo quietamus, & nullo unquam tempore per nos, vel hæredes, ac ſucceſſores noſtros repetantur exinde, ſed ſemper ſint inde liberi, & penitus abſoluti, in cujus rei teſtimonium has noſtras literas fieri, & pendenti Majeſtatis noſtræ ſigillo juſſimus muniri. Datum apud Bellam Guardiam per Bartholomæum de Capua Militem Regni noſtri Siciliæ Prothonotarium, & Magiſtrum Rationalem.

Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo nonageſimo quinto, Die penultimo Octobris IX. Indictionis. Regnorum noſtrorum anno undecimo.

Hujus in publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

Num. VI.

Ex Regiſtro Literarum Excellentiſſimi Senatus Panormitani de Anno 1320.

Decimo quarto Novembris 4. Indictionis.

EGo Senator de Mayda Miles conſiderans, quod nulla ſit tam modeſta felicitas, quæ juxta dictum Sapientis malignancium dentes valeat evitare; Cognoſcens etiam, quod inſidiator homo ſæpiſſime ſolet bonum convertere in malum, & maculam ponere in electis, ut dicitur in De. VII. q. 2. c. 1. Per id quod pridie reſtauratum eſt per me, & reſuſcitatum de conſilio Judicum Univerſitatis nomen Prætoris, & receſſum a nomine Bayulatus infraſcripta proteſtor.

In primis, quod per hanc mutacionem nominis nichil novum facere intendo; ſed quod erat jam factum, & per incuriam præteritum, & non curatum reſtaurare, & reſuſcitare. Aliud eſt enim tueri, quod acceptum eſt, & aliud novum aliquod facere, & aliud eſt ſurgere, & aliud reſuſcitare ff. de novi operis nunciatione l. prima §. opus novum ff. de uſu fructu l. uſufructuarius Cod. de pactis l. ultima circa finem. l. XII. Cod. de operibus publicis l. nemini Judicum, & de naturalibus liberis l. Siquis ſeu liber in ff. 2. 42. . . . . . Cod. de Judiciis l. ult. & vigeſima . . . . . conſuluit.

Item

Item quod per hoc nomen Prætoris non ampliare intendo officium, nec trasformare, contra id quod legitur C. de Uſufructu, l. quamvis, & l. ſicut §. ſed ſi ædium.

Item per hoc nomen Prætoris neque latius intendo facere officium, neque longius, neque altius, neque humilius, juxta id, quod legitur ff. de via publica l. 9. ſi quis in ſpecie.

Item quod per hoc nomen Prætoris non intendo exemi ab aliqua ſubjectione felicis Urbis Panormi, ſed more majorum meorum ipſi Univerſitati capud meum ſubmictere, & ſubjugare, contra id quod legitur C. de Sacroſ. Eccl. l. qui ſub prætextu a. 42. ad hæc...... Valentiniani Imperatoris.

Item id quod dicit l. jus pluribus §. finali Prætorem habere majeſtatem, non intelligo, quod Prætor habeat majeſtatem Imperantis, vel Regnantis, de quibus habetur Codice de legibus: digna vox, & in proemio inſtitutionum in principio; ſed de illa Majeſtate, quæ ethymologiatur quaſi magis ſtans, pro eo, quod, qui præſunt anteſtant alios, & ſic per hunc modum loquendi attendatur non figura dicendi. Simile eſt, quod legitur Inſtitut. quibus modis Jus Patriæ poteſt. ſolvitur §. Si filius: ubi Conſularis dignitas vocatur Imperatoria: ſic & 6. de Conſulibus l. ult. lib. XII.

Ultimo in hoc, & in omnibus ſalvo ſemper reverentiam, obedientiam, mandatum, & ordinacionem Sacræ Regiæ Majeſtatis.

Num. VII.

IN nomine Domini Amen. Noverint univerſi quod nos Jacobus Dei gratia Aragonum, Majoricarum, Valentiæ, Murtiæ, Sardiniæ, Corſicæ, Comes Barchinonenſis, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vexillarius, Ammiratus, & Capitaneus Generalis conſiderantes quod dextera Domini nobiſcum faciente virtutem, noſque clementer ad Regnorum Sardiniæ, & Corſicæ faſtigia ſublimante apud Principis Apoſtolorum, & Cœleſti Regni Clavigeri Sacratiſſimam de Urbe Baſilicam per Regnorum ipſorum inveſtituram ſolemnem nobis a Sanctiſſimo Patre & Domino D. Bonifacio VIII. Sacroſanctæ Romanæ, & Univerſalis Eccleſiæ Summo Pontifice generoſe conceſſam, primum divulgata noſtri honoris inſignia claruerunt, ac deinde prædictorum Regnorum ſuſcepimus Diadema, nec non in dicta Baſilica idem Sanctiſſimus Pater præfatæ S. R. E. in multitudine copioſa nos magnifice honorare fecit Vexillarium, Ammiratum, & Capitaneum Generalem: Dignum fore providimus, ut eidem Baſilicæ pronis & promptis ſemper famulemus obſequiis, & illi, velut Matri, ſtrictius obligemur ex debito, ex cujus utero per celeſtis adoptionis gratiam quaſi nova progenies dignoſcimur prodiiſſe. Hinc eſt quod nos Archipræsbitero, & Capitulo ejuſdem Sacroſantæ Baſilicæ, & Canonicis &c.

Actum Romæ apud præfatam Baſilicam 8. Junii Anno Domini MCCXCVII. X. Ind.

Hujus in Publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

Num. VIII.

Digitized by Google

Num. VIII.

FRidericus Tertius Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Per præſens privilegium notum fieri volumus univerſis tam præſentibus, quam futuris, quod Guillielmus de Riunato Conſul Cathalanorum exhiſtentium in Panormo devotus noſter nomine, & pro parte Barchinonenſium devotorum noſtrorum oſtendit, & præſentavit in noſtra Curia infraſcripta privilegia, & ſcripta eiſdem Barchinonenſibus olim facta, & indulta per Sereniſſimum Regem Jacobum Aragonum, & olim Siciliæ Regem, Dominum fratrem noſtrum de libertatibus, immunitatibus, & gratiis conceſſis eiſdem Barchinonenſibus per prædictum Dominum fratrem noſtrum continentiæ infraſcriptæ. Tenor unius ex infraſcriptis privilegiis talis eſt. Jacobus Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Notum fieri volumus univerſis, quod attendentes grata, & accepta ſervitia, quæ Cathalani fideles noſtri Illuſtriſſimo Domino Aragonum, & Siciliæ Regni claræ memoriæ chariſſimo patri noſtro, & nobis contulerunt, conferunt, & dante Domino in futurum conferre poterunt gratiora, contemplatione, & intuitu Sereniſſimi, & chariſſimi Fratris noſtri Domini Alphonſi Illuſtris Regis Aragonum, Majoricarum, & Valentiæ, & Comitatus Barchinonæ eos ſpeciali gratia proſequentes, eiſdem tantummodo Cathalanis habitatoribus Cathaloniæ, & non aliis, liberaliter, & gratioſe concedimus, ut de portubus Inſulæ noſtræ Siciliæ licitis, & permiſſis, & ad extractionem victualium deputatis, prædicti Cathalani habitatores tantummodo Cathaloniæ, & non alii, frumentum & hordeum pro ſubſtentatione devotorum noſtrorum prædictarum partium Cathaloniæ poſſint extrahere cum licentia noſtra, ſeu Magiſtri, vel Magiſtrorum Portulanorum Siciliæ, qui nunc ſunt, & pro tempore fuerint cum navibus, & aliis Vaſcellis deferenda ad partes eaſdem, & non aliò exoneranda, & vendenda ibidem, ſub jure exituræ Curiæ noſtræ, vel prædictis Magiſtro, ſeu Magiſtris Portulanis ad rationem de tarenis tribus ponderis generalis pro qualibet ſalma frumenti, & de tareno uno, & granis decem ejuſdem ponderis pro qualibet ſalma hordei integraliter exolvendo. Ita tamen quod per eoſdem Cathalanos jus Dohanæ Secretis Siciliæ, qui ſunt, vel pro tempore fuerint, vel gabellotis, ſeu credenzeriis dicti juris debeat exhiberi. Mandantes tenore præſentium prædictis Magiſtris Portulanis Siciliæ tam præſentibus, quam futuris, quod prædictis Cathalanis habitatoribus Cathaloniæ, & non aliis, qui extractionem frumenti, & hordei extrahendorum de prædictis portubus Siciliæ, & ferendorum ad prædictas partes Cathaloniæ, & non aliò, ab eis ſeu ipſorum aliorum emere voluerint exituram ipſorum frumentorum, & hordei ad rationes prædictas concedant. Poſtquam autem præſens Privilegium in publicam formam fecerint redigi, eam tam ad eos, quam ad ſingulos alios ſucceſſores eorum omnem vim robur, & cautelam habere volumus. Privilegium ipſum Nuntiis prædictorum Cathalanorum debeant reſignare per eos, vel alios eorundem Magiſtrorum Portulanorum oſtendendum. Datum Panormi Anno Domini MCCLXXXV. Menſe Februarii XVIII. ejuſdem XIV. Indictionis. Regni noſtri Anno Primo. Tenor alterius Privilegiorum ipſorum talis eſt. Jacobus Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Decet munificentiam Regiam illos gratiis, & libertatibus ampliare, quos antiqua fidelitas, & gratuitorum ſervitiorum oblatio reddunt beneficiorum largitione condignos. Nam quanto benemeritis de collatis obſequiis per Dominum liberaliter providetur, tanto fideles ſinguli ad Dominantis ſervitia animoſius, & ardentius inducuntur. Attenden-

den-

dentes igitur puram fidem, & devotionem ſinceram, quam Cathalani fideles, & devoti noſtri erga Illuſtrem Dominum Regem Aragonum, & Siciliæ Dominum Patrem noſtrum claræ memoriæ, Sereniſſimam Dominam Aragonum, & Siciliæ Reginam Dominam Matrem noſtram, & nos prompto zelo geſſerunt, & gerunt, nec minus grata ſatis, & accepta ſervitia per eos dictis Dominis Parentibus noſtris, & nobis fideliter, & devote præſtita, & quæ dictæ Dominæ Matri noſtræ, & nobis præſtare, & conferre poterunt in antea, dante Domino, gratiora, eis de liberalitate mera, & gratia ſpeciali concedimus; Quod prædicti Cathalani in ſingulis terris, & locis Regni noſtri Siciliæ, illi videlicet, qui ſunt, & erunt in terris ejuſdem, inter ſe poſſint alligare, & ſtatuere unum ex eis, quem idoneum, & ſufficientem viderint, in Conſulem. Qui Conſul quæſtionem, & cauſas civiles, quam inter eos moveri contingerit, vel ipſos ab aliis conveniri audiat, examinet, & debito fine decidat, & quod ſententialiter decreverit, appellatione ad nos poſtpoſita, obſervet, & faciat obſervari. Ita tamen, quod de quæſtionibus criminalibus ſe nullatenus intromittat, & ad eaſdem quæſtiones criminales manus ſuas aliquatenus non extendat. Cæterum conſiderantes, quod quanto fideles, & devotos noſtros prærogativa gratiæ, favoris, & benignitatis amplectimur, & eis beneficia per noſtram munificentiam conferuntur, tanto majoris fidei, & devotionis ardore accenſi ad noſtra ſervitia promptius, & animoſius inducuntur, eiſdem tantummodo Cathalanis, & non aliis concedimus, & pleno favore Regio confirmamus, quod vaſſella, merces, pecuniam, & omnes alias res ipſorum Cathalanorum, qui ſunt habitatores Cathaloniæ, quos in Regno noſtro Siciliæ naufragium pati contigerit, quas pacioni, ſecundum conſuetudinem hactenus obſervatam, infra ipſius naufragii triduum recuperare poterunt, vaſſellis, & rebus omnibus ejuſdem naufragii poſt ipſum triduum ad recuperandum, reſiduis fiſci noſtri commoditatibus applicatis, liceat Cathalanis tantummodo, qui ſunt habitatores Cathaloniæ, ea recuperare ſine aliqua licentia Curiæ, vel ejus Officialibus exhibenda; quod perpetuo eis obſervari volumus, nulla in hac conſtitutione, ſeu conſuetudine contraria valitura. Et ſi aliquæ perſonæ publicæ, vel privatæ aliqua de pecunia, mercibus, vaſſellis, & rebus naufragorum ipſorum ob favorem, & potentiam Curiæ, vel ſuum, ſeu aliorum quarumlibet perſonarum capient, vel capi facerent, pecuniam, res, & bona ablata ad duplum, in ſuæ transgreſſionis pœnam, pacioni ipſorum illi, qui ea cœperint, reſtituere per noſtram Curiam compellantur. Ad hujuſmodi autem noſtræ conceſſionis memoriam, & robur perpetuo valiturum eis ex inde præſens privilegium fieri juſſimus, & Majeſtatis noſtræ pendenti Sigillo muniri. Datum Panormi Anno Domini MCCLXXXV. Menſe Februarii XXII. ejuſdem. XIIII. Indictionis Regni noſtri Anno Primo. Et tenor ultimi Privilegiorum ipſorum talis eſt. Jacobus Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Officium Regiæ dignitatis exequimur, & ad majora laudum, & famæ preconia munificentia Regalis extollitur, dum illos, quos fidelitas, & devotionis collata ſervitia reddunt amabiles, ac proviſione, & remuneratione condignos, gratiarum, & largitionum beneficiis promovimus, unde honor, & nomen noſtrum extollitur, & ad benemeritos fideles, & devotio augmentatur. Conſiderantes itaque puram fidem, & devotionem ſinceram, quam Cives Barchinonæ devoti noſtri erga Illuſtres quondam Dominos prædeceſſores noſtros, ac Sereniſſimum Dominum Alphonſum Regem Aragonum, Majoricarum, & Valentiæ, ac Comitem Barchinonæ chariſſimum fratrem noſtrum, & nos prompto zelo, & cum qualibet animi puritate geſſerunt, & gerunt; Nec non grata ſatis, & accepta ſervitia, quæ eis, & nobis devote, fideliter, & legaliter contulerunt, & quæ annuente Domino

Hh con-

conferre poterunt in futurum, eis ſub infraſcripta forma, & modo de liberalitate noſtra, & ſpeciali gratia concedimus, & donamus infraſcriptas libertates, immunitates, & gratias in mercationibus, & negotiationibus de mercibus, & rebus eorum licitis, & permiſſis, quibus a primo die menſis Septembris ſequentis II. Indictionis proximè futuræ in antea liberè gaudeant, & utantur, videlicet: Quod Cives prædictæ Civitatis Barchinonæ, excluſis Provincialibus, Romanis, Tuſcis, Venetis, Piſanis, & habitatoribus Regni Siciliæ, qui ſe Cives Barchinonæ dicent in mercationibus, & negotiationibus eorum juxta conſuetudinem Regni Siciliæ faciendis, de mercibus, & rebus eorum licitis, & permiſſis in terris, & locis totius Regni noſtri Siciliæ acquiſitis, & de cætero acquirendis, intrando, ſtando, & exeundo, ſint liberi, & immunes, ſalvo quod de prædictis mercibus, & rebus eorum aliunde, quam de Barchinona, & aliis terris, & locis prædicti Domini Fratris noſtri per eos in prædictum Regnum Siciliæ deferendis, quod pro dirictu Curiæ, novis ſtatutis omnibus remiſſis eiſdem, & duabus partibus jurium antiquorum de tempore Illuſtris quondam Domini Regis Guillelmi Secundi Avunculi noſtri divæ memoriæ, eis de gratia relaxatis, ſolvant terciam partem tantùm ipſorum jurium antiquorum, prout per Januenſes Cives Januæ jus ipſum de privilegio noſtræ Curiæ conceſſionis, & gratiæ exhiberi conſuevit, & debet: de mercibus autem, & rebus eorum licitis, & permiſſis deferendis per eos a dicta Civitate Barchinonæ, & aliis terris, & locis Dominii dicti Domini Fratris noſtri, quilibet Mercator Civis Barchinonæ ſolvat tantummodo Cabellotis, ſeu Credenzeriis Cabellarum, Dohanarum maris, terrarum, & locorum ejus Regni: videlicet ad quos eos cum eiſdem rebus, & mercibus primitus applicare contigerit, & eas ibidem exoneraverit, & eas in toto, vel in parte vendiderit, Schifatum aureum unum valens tarenos auri octo ponderis generalis. Si verò prædicti Mercatores vendita in eiſdem terris aliqua parte ipſarum mercium, reliquam partem earum vellent a prædictis terris extrahere, deferendam aliò ad vendendum, volumus, quod prædicto Schifato per quemlibet eorum propterea eò ſoluto Cabellotis, ſeu Credenzeriis Dohanarum maris terrarum, & locorum ipſorum, in quibus eas exonerabunt, & in parte vendent, eaſdem a terris eiſdem per mare, vel per terram libere abſque jure Dohanæ poſſint extrahere ad loca qualibet ad vendendum, quodque conſtito Cabellotis Dohanæ maris illius terræ, ad quam reliquam quantitatem mercium prædictarum detulerint, ſi per mare, vel Cabellotis Dohanæ ipſius terræ, ſi per terram merces ipſas intromitti contigerit per patentes literas, ſeu apodixas Mercatoribus ipſis factas per Dohanerios illius terræ, ad cujus poſitum primum declinaverunt, & in ea facient venditionem certæ partis mercium earumdem, quod de prædicto Schifato ſit eis integre ſatisfactum; prædicti Cives partem reſtantium mercium deferendam per eos ad terram eamdem libere vendant, & prædictis Cabellotis Dohanarum nihil propterea ſolvere teneantur, cum velimus, quod non niſi ſemel pro jure ipſo ſolvere compellantur. De ponderatura autem mercium, quæ venduntur ad quantitatem, ſolvere debeant uſque ad duo, & granum medium, & non plus: pro Ripavero, & menſuris, prout per prædictos Cives Januæ jus ipſum de prædicta conceſſione, & gratia noſtra debetur, ſolvere teneantur, de mercibus etiam, & rebus eorum licitis, & permiſſis per eos extrahendis de portibus, terris, & locis prædicti Regni noſtri aliò deferendis jus, quod per Januenſes Cives Januæ de privilegio noſtræ conceſſionis, & gratiæ exhiberi conſuevit, & debet. Omnes vero prædicti Cives Barchinonæ in omnibus partibus dicti Regni noſtri ſint ſalvi, & ſecuri in perſonis, & rebus eorum ſani, & naufragi, & non impediantur perſonaliter, vel realiter pro obligatio-

tione alterius, vel offenſa. Ad hujus autem noſtræ conceſſionis, & donationis memoriam, & robur in poſterum valiturum præſens privilegium eis exinde fieri, & Majeſtatis noſtræ ſigillo pendenti juſſimus communiri. Datum Meſſanæ Anno Domini MCCLXXXVIII. Menſe Julii XVII. ejuſdem. Primæ Indictionis. Regni noſtri Anno Tertio. Verum quia prædictus Conſul pro parte tam prædictorum Barchinonenſium, quam Cathalanorum, Majoricanorum, Aragonum, & aliorum de dominio, & poſſe dicti Domini Fratris noſtri nobis humiliter ſupplicavit prædictis Cathalanis, & Barchinonenſibus prædictas libertates, immunitates, & gratias eis per prædictum Dominum Fratrem noſtrum indultas, & conceſſas, ſicut in dictis privilegiis continetur, de gratia confirmare, & prædictis Cathalanis, Aragonenſibus, Majoricanis, & aliis de prædicto dominio, & poſſe, prædictas alias libertates, immunitates, & gratias prædictis Civibus Barchinonenſibus conceſſas, & indultas per prædictum Dominum Fratrem noſtrum de novo concedere liberaliter dignaremur. Quibus ſupplicationibus benigne admiſſis: Conſiderantes fidem, & devotionem ſinceram, quam ipſi erga prædictum Dominum Fratrem noſtrum, & nos prompto zelo geſſerunt, & gerunt; nec minus fidelia, & grata ſervitia per eos dicto Domino Fratri noſtro conſtanter, fideliter, & devote præſtita, & quæ in futurum Auctore Domino conferre poterunt gratiora, dum deceat Majeſtatem Regiam benemeritos gratiis, donis, & retributionibus ampliare, prædictis Cathalanis, prædictas libertates, immunitates, & gratias eis per dictum Dominum Fratrem noſtrum conceſſas, quatenus in duobus ex prædictis privilegiis continetur, & prædictis Barchinonenſibus prædictas alias libertates, immunitates, & gratias eis conceſſas per eumdem Dominum Fratrem noſtrum, ſicut continetur in alio ex privilegiis memoratis, liberaliter, & gratioſe ex certa noſtra ſcientia confirmamus, & prædictis Cathalanis, Aragonenſibus, Majoricanis, & aliis de dominio, & poſſe dicti Domini Fratris noſtri, prædictas immunitates, libertates, & gratias prædictis Barchinonenſibus conceſſas per prædictum Dominum Fratrem noſtrum de liberalitate mera, & ſpeciali gratia, & certa noſtra conſcientia concedimus, & donamus. Ita tamen, quod prædicti Cathalani, Aragonenſes, Majoricani, & alii de dominio, & poſſe dicti Domini Fratris noſtri a primo Septembris proximo futuro X. Indictionis in antea, & prædicti Majoricani, donec erunt in fide, dominio, & poſſe dicti Domini Fratris noſtri, utantur, & gaudeant libertatibus, immunitatibus, & gratiis ſupradictis. Et ſi forte proceſſu temporis prædicti Majoricani non erunt de dominio, & fide ipſa, non utantur, nec gaudeant prædictis libertatibus, immunitatibus, & gratiis, vel aliqua parte ipſorum, & ab ipſis libertatibus, immunitatibus, & gratiis penitus excludantur, & ex tunc in antea, quoad prædictos tantum Majoricanos, & non ad alios ſupradictos præſens privilegium habeatur pro caſſo, & irrito, & inani. Ad hujus autem noſtræ conceſſionis, & confirmationis memoriam, & robur in poſterum eis ex inde valiturum præſens privilegium fieri, & Majeſtatis noſtræ ſigillo pendenti juſſimus communiri.

Datum in Urbe felici Panormi per Nobilem Conradum Lanceam Regni Siciliæ Cancellarium Anno Dominicæ Incarnationis MCCLXXXVI. Menſe Aprilis III. ejuſdem IX. Indictionis. Regni noſtri Anno Primo.

Ex Regiſtro Officii Prothon. Anni 1396. *ſignato lit. B. fol.* 91.

Num. IX.

FRidericus Tertius Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Per præſens Privilegium notum fieri volumus univerſis tam præſentibus, quam futuris. Quod advertentes quantum ſit decens, quantumque expediens munificentiam Principis ſubjectorum devotionem, & fidem juſta penſare libra, ipſorumque ſervitia grata muneribus remunerare condignis, ut alii eo exemplo præmuniti ad ſingula, & gratiora, pro poſſe, ſervitia Principis inducantur; Attendentes igitur immenſa damna, & labores non modicos, quæ Cives, & habitatores Civitatis Syracuſarum fideles noſtri pro ſervanda cum integritate fide noſtri dominii ab hoſtibus noſtris in obſidione Civitatis ipſius morantibus multipliciter ſunt perpeſſi, eis tamquam benemeritis, ſuiſque hæredibus in perpetuum de liberalitate mera, & ſpeciali gratia concedimus, quod quilibet Civis ipſius Civitatis Syracuſarum per totum Regnum noſtrum Siciliæ, tam videlicet citra, quam ultra pharum, & terris, & locis noſtri dominii ab omni exactione, ſeu jure Dohanæ ſolvendo, vel alterius cujuſcumque dirictus nomine, ad officium Secretiæ ſpectantis, excepto tamen jure exituræ victualium, & Dohanæ maris contingente ad Curiam de victualibus, & leguminibus extrahendis de portibus, & maritimis ipſarum terrarum, & locorum, & ferendis extra, & intra Regnum, quod a præſenti conceſſione excludimus, ſit liber penitus, & immunis intrando, & exeundo cum mercibus, & rebus ſuis tam per mare, quam per terram emendo, & vendendo res, & merces hujuſmodi: Nullo etiam eos arboratici, ſeu anchoragii propterea jure ſolvendo. Quodque Inſulam, & Pantanum ſitum in territorio dictæ Civitatis Syracuſarum, quæ ſunt de mero dominio noſtræ Curiæ, & ipſorum proventus, & redditus per nos uſque ad beneplacitum noſtrum conceſſi extiterant Petrulo de Coſaria fideli noſtro, habeant, teneant, & poſſideant, quæ eis ex certa noſtra ſcientia liberaliter, & gratioſe concedimus, & donamus: donatione, & conceſſione noſtra, propterea per nos facta prædicto Petrulo, cui de æquivalenti excambio providere diſponimus, per noſtram Excellentiam in irritum revocatis. Quicumque verò Civium prædictorum in quibuſcumque nemoribus noſtræ Curiæ tenimenti Civitatis ipſius pro uſu eorum ligna ſicca, vel non ſicca, præter Quercum, Ilicem, & quæcumque ligna fructuoſa, libere incidere, & incidi faciant, & valeant, nullo propterea per eos noſtræ Curiæ affidacionis, ſeu dirictus alterius jure ſolvendo. Quod etiam eadem Univerſitas a cabella Changemiæ, ſeu Barbariæ de membris Secretiæ officii, quæ uſque nunc in eadem Civitate vendi per noſtram Curiam conſuetum eſt, protinus eximatur. Ita quod Barberii, ſeu Changemi in eadem Civitate libere radere, & eorum artem hujuſmodi exercere valeant, nullo jure dictæ cabellæ pro parte noſtræ Curiæ tribuendo. Nullus etiam de prædictis Civibus cogi poſſit, ſeu debeat per alienum Officialem noſtræ Curiæ trahi ad cauſandum in principalibus cauſis civilibus extra Civitatem eamdem, ſalvo tamen, quod cum a prædictis cauſis per alteras partium ad Superiorem Judicem appellari contigerit, per Officiales noſtræ Curiæ, ad quorum hoc ſpectat officium, per viam appellationis extra Civitatem ipſam procedi poſſit, & debeat in cauſis eiſdem: Et quod territorium, ſeu tenimentum terrarum, quod Illuſtris Dominus Imperator Fridericus divæ memoriæ proavus noſter tempore novæ conſtitutionis, & pro liberatione Terræ Auguſtæ de manibus Civium prædictorum Civitatis ipſius ademit, ac territorio dictæ Terræ Auguſtæ attribuit, ſubducatur, & exhimatur de eodem territorio, & pertinentiis Auguſtæ, & in territorio, & per-

& pertinentiis dictæ Civitatis Syracuſarum reſtituatur, & applicetur omnino.

Ad hujus autem noſtræ conceſſionis memoriam, & robur perpetuum valiturum, præſens privilegium exinde fieri, & Majeſtatis noſtræ ſigillo pendenti juſſimus communiri. Datum Cathaniæ per Nobilem Conradum Lanceam Militem, Regni Siciliæ Cancellarium, dilectum Conſiliarium, Familiarem, & fidelem noſtrum. Anno Domini MCCXCVIII. Menſe Januarii III. ejuſdem XII. Indictionis. Regni noſtri Anno Tertio.

Ex Regiſtro Regiæ Cancellariæ Anni 1312. fol. 57. a tergo.

Num. X.

Ex regiſtro Regis Caroli II. exiſtenti in Regia Sicla Neapolis ſignato 1299. lit. C. fol. 14.

CArolus Secundus &c. Univerſis præſens Privilegium inſpecturis, tam præſentibus, quam futuris. Si debetur ſervitiis præmium, digne merentibus gratitudo, facit ratio, & æquitas proportionis inducit, ut creſcat beneficium, ubi multiplicatur obſequium, & quo majora ſunt merita, largiora rependia condignæ retributionis accedant. Sane Sanctiſſimus Dominus noſter Dñus Bonifacius divina providentia Sacroſanctæ Romanæ, & Univerſalis Eccleſiæ Summus Pontifex Nobili Viro Rogerio de Lauria Militi Regnorum Siciliæ, & Aragonum Ammirato, dilecto Conſiliario, Familiari, & fideli noſtro de Caſtro, & Terra Jacis ſitis in Inſula Siciliæ ad Cataníenſem Eccleſiam pertinentibus conceſſionem fecit ab olim ſub tenore, & continentia ſubſequentibus. Bonifacius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio nobili viro Rogerio de Lauria, Ammirato chariſſimi in Chriſto filii noſtri Jacobi Aragonum Regis Illuſtris ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum Domino inſpirante ad Apoſtolicæ Sedis gratiam, & mandata redieris, teque promptum ſemper offeras, & paratum ad ipſius beneplacita fideliter exequenda, præſertim recuperatione, & reductione Inſulæ Siciliæ, & ſuper reductione Terræ Sanctæ, quæ ab hoſtibus fidei detinentur, ad impendendum tibi favorem, & gratiam liberaliter inclinamur, tuiſque ſupplicationibus inclinati, Caſtrum, & Terram Jacii, quæ ad Epiſcopum Cataníenſem, qui erit pro tempore, vel ad Conventum Cataníenſis Eccleſiæ, aut ad utroſque pertinere noſcuntur, quæ ad præſens tenes, & poſſides cum Territoriis, & diſtrictibus, juribus, & pertinentiis ſuis mero, & mixto Imperio, juriſdictione tibi, tuiſque hæredibus legitimis ex tuo, & tuorum corporibus deſcendentibus de legitimo matrimonio procreatis, vel procreandis in devotione Romanæ Eccleſiæ perſiſtentibus in pheudum ab Epiſcopo, vel Conventu, aut utriuſque Apoſtolica auctoritate concedimus, conferimus, & etiam confirmamus ſub annuo cenſu triginta unciarum auri dictis Epiſcopo, vel Conventui, aut utrique in feſto Beatæ Agathæ Virginis, & Martyris annis ſingulis exſolvendo ei, vel eis, quibus Apoſtolica Sedes duxerit ordinandum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, collationis, & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, noverit in curſu-

rum,

Digitized by Google

rum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum octavo Idus Aprilis. Pontificatus noſtri anno tertio. Attendentes igitur ejuſdem Ammirati grandia, grata, & accepta ſervitia, quæ poſt ſuum redditum ad gratiam, & mandata ejuſdem Sanctæ Matris Eccleſiæ, atque noſtra ſtrenuè nobis, & potenter exhibuit, & per ſuos actus ſtrenuos majora continuè agenda ſervitia, & fructuoſis operibus auctore Domino augere poterit in antea gratiora; ut gratiam præfati Domini Summi Pontificis in conceſſionis privilegio noſtra munificentia comitetur, licet in conceſſionibus noſtris generaliter, vel ſpecialiter hæc concedere non fuerit moris noſtri, merum, & mixtum Imperium in prædicta Terra Jacis, & pertinentiis ejus, & jus Doghanæ portus, ſive portorium, quod habet ipſa noſtra Curia, vel habere debet in Terra præfata exhituræ frumentorum, hordei, & leguminum, quod noſtræ Curiæ providemus reſervandum, eidem Ammirato, & ſuis hæredibus utriuſque ſexus ex ſuo corpore legitime deſcendentibus natis jam, & in poſterum naſcituris in perpetuum damus, donamus in feudum, atque concedimus de liberalitate mera, certa noſtra ſcientia, & gratia ſpeciali, non obſtante legis edicto, quæ publicarum remiſſionem inhibet functionum. In cujus rei teſtimonium præſens privilegium ex inde fieri, & pendenti ſigillo cereo Majeſtatis noſtræ juſſimus communiri, alio conſimili ſub aurea bulla ejuſdem noſtræ Majeſtatis impreſſa typario conceſſo tibi exinde ad cautelam. Datum Neapoli præſentibus viro nobili Joanne de Monteforte Squillacis, & Montis Caveoſi Comiti Regni Siciliæ Camerario, & Joanne Pipino de Barulo Milite, Magnæ Curiæ noſtræ Magiſtro Rationali, dilectis Conſiliariis, Familiaribus, & fidelibus noſtris, & pluribus aliis &c. Datum ibidem per manus Venerabilis Patris Petri Epiſcopi Lectorenſis Cancellarii, & Bartholomæi de Capua Militis Logothetæ, & Protonotarii Regni Siciliæ. Anno Domini MCCC. die X. Menſis Maji. XIII. Ind. Regnorum noſtrorum Anno XVI. feliciter. Amen.

Hujus in Publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

Num. XI.

FRidericus Tercius Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Secretis, & Magiſtris Procuratoribus Siciliæ tam præſentibus, quam futuris fidelibus ſuis graciam ſuam, & bonam voluntatem. Venerabilis Pater Juncta Cephaludenſis Epiſcopus, Cappellanus, Conſiliarius, Familiaris, & fidelis noſter præſentavit nobis quaſdam patentes litteras noſtras ſub ſigillo noſtro, quo tunc generaliter utebamur, cùm Illuſtris Domini Regis Aragonum, tunc Regis Siciliæ Domini Fratris noſtri locum in Sicilia tenebamus, continenciæ infraſcriptæ. Fridericus Infans Illuſtris Regis Aragonum, & Siciliæ Domini Fratris ſui in Regno Siciliæ generaliter Locumtenens, Secretis, & Magiſtris Procuratoribus Siciliæ tam præſentibus, quam futuris &c. Venerabilis Pater Juncta Cephaludenſis Epiſcopus, Capppellanus, Conſiliarius, Familiaris, & devotus noſter nobis humiliter ſupplicavit, quod cum tam ipſe, quam præceſſores ſui, qui fuerunt pro tempore in eadem Cephaludenſi Eccleſia, racione ipſius Eccleſiæ, a temporibus quondam felicium Regum Siciliæ prædeceſſorum dicti Domini

Regis, & noſtrorum uſque ad tempus quondam Illuſtris Regis Petri Domini Patris noſtri claræ memoriæ, & uſque ad hæc felicia tempora dicti Domini Fratris noſtri integras decimas veterum gabellarum, & jurium Curiæ terrarum Policii, & Calatabuturi conſueverunt a Curia recipere, & habere decimas ipſas pro præſenti anno ſeptimæ Indictionis, & deinde in antea quolibet anno ſibi per vos tribui mandaremus: Cujus ſupplicationibus inclinati, quia de his Regiæ Curiæ plene conſtat devotioni veſtræ ex Regia parte, qua fungimur auctoritate mandamus, quatenus eidem Epiſcopo, vel ejus pro eo nuntio, decimas veterum cabellarum, & jurium Curiæ dictarum terrarum de proventibus dictarum cabellarum, & jurium, qui ſunt, vel erunt per manus veſtras pro toto prædicto anno præſenti ſeptimæ Indictionis, ſi non dum per te præſentem ſecretum, vel per prædeceſſorem tuum ſibi, vel alii pro parte ſua extitit ſatisfactum, & deinde in antea quolibet anno exhibere, & ſolvere debeatis; recepturi ab eo, vel dicto ſuo nuntio exinde apodixam, ſuo tamen ſigillo munitam, præſentes autem literas noſtras poſtquam eas in publicam formam redigi feceritis ad veſtram cautelam ſervandam, quam ad vos, & ſucceſſores veſtros omnes vim, & robur habere volumus, dicto Epiſcopo, vel ejus Nuntio reſignetis per eum veſtris ſucceſſoribus oſtendendas. Datum Panormi penultimo Decembris ſeptimæ Indictionis. Et noſtræ celſitudini humiliter ſupplicavit, ut litteras ipſas confirmare ei de benignitate Regia dignaremur: ipſius ſupplicationibus inclinati litteras ipſas juxta ipſarum continenciam, & tenorem duximus confirmandas. Volentes, & mandantes per vos prædictas litteras juxta ipſarum continenciam, & tenorem exequucioni debitæ demandari. Datum in Caſtris in Obſidione Caſtri Caſtellionis decimo ſeptimo Auguſti, decimæ Indictionis. Regni noſtri Anno ſecundo.

Ex tabulario Eccleſiæ Cephaleditanæ.

Num. XII.

Rex, & Regina Siciliæ, & Dux Montis Albi.

DEvoti noſtri fideliſſimi. Nos, ſicut ſcitis, hanc noſtram felicem, ſeu verius infelicem Civitatem Panormi obſeſſimus, & tenemus obſeſſam, eo quia Andreas de Claramonte cum aliquibus ſuis partialibus contra voluntatem noſtram detinuit, & nunc eam detinet occupatam; & cum pro reſtringendo fortius eamdem Civitatem provideremus, & volumus ab aliquibus Civitatibus, terris, & locis noſtri Regni prædicti habere familiam, quam poterunt ſubſtinere; ideo vos affectuoſe rogamus, voſque requirimus, & monemus, ut ſicut vos, & veſtri prædeceſſores in his omnibus, quæ honorem, exaltationem, & commodum Regiæ Coronæ concernebant, fidelitatem veſtram ſtrenuis artibus, ut alias fervide demonſtraſtis, eam de bono in melius continuando, & equites baleſtrarios, & pedites, quos poteritis, ad nos continue tranſmittatis, & cum ſuper his per noſtras literas nobilem Bellingerium de Crudiliis Conſiliarium, & Camerlengum noſtrum duxerimus informandum, credatis eidem ſicut nobis.

Da-

Digitized by Google

Datum in obſidione per nos poſita apud Panormum VII. die Maji Anno a Nativitate Domini Milleſimo tricenteſimo nonageſimo tertio.

Præterea vos rogamus, ut mittatis nobis maximam Siveginis, & Remos LXX., longitudinis, palmorum triginta octo, ſicut per alias noſtras literas ſcripſimus largo modo.

Lo Dux.

Devotis, & fidelibus noſtris Juratis Univerſitatis Civitatis Meſſanæ.

Hujus in Publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

Num. XIII.

Ex autographo recondito in Regio Tabulario Barchinonæ in Arca Chartarum, & Bullarum Papalium pro facto Siciliæ tempore Domini Jacobi Secundi Aragoniæ, & Siciliæ Regis olim.

FRidericus Tertius Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Notum facimus univerſis, quod confiſi de fide, & legalitate Nobilis Raymundi Fulconis Vice Comitis Cardonæ, dilecti devoti noſtri, conſtituimus, & ordinamus eum loco, & pro parte noſtra ad impetendum, & raptandum, ac accuſandum Rogerium de Lauria Militem de inlegalitate, & prodictione, quod ipſe ab negata fide, & dominio noſtris, ruptoque homagio, & violato ſacramento, quod nobis tamquam vaſſallus naturalis Domino ore, & manibus præſtitit, & juravit, & quibus nobis tenebatur adſtrictus, contra Majeſtatem noſtram prodictionis committens crimen, & contra fidem ſuam veniens adhæſit hoſtibus noſtris, cum eis contra nos, & gentem noſtram amicitiam copulavit, nitendo, tractando, & procurando, quod nos honorem terrenum, & terram noſtram perderemus. Dantes, & concedentes ei tenore præſentium poteſtatem accuſandi, raptandi, & convincendi eumdem Rogerium de præmiſſis, petendo de hoc fieri duellum, ſeu pugnam ſecundum uſum Barchinonenſem, ſeu forum, & conſuetudines Aragoniæ, pro ut melius ſibi videbitur, ſeu per quemcumque alium modum melius prædicta accuſatio, ſeu raptatio procedere poſſet, dando contra eum ſimilem Bellatorem ſecundum forum, & uſum prædictos pro ut melius ſibi videbitur, & poterit fieri. Rathum, & firmum habentes quicquid in præmiſſo caſu dictus Raymundus pro parte, & loco noſtris contra dictum Rogerium duxerit faciendum. In cujus rei teſtimonium, certitudinem, & cautelam præſens ſcriptum exinde fieri, & Majeſtatis noſtræ ſigillo pendenti juſſimus communiri. Datum in Urbe felici Panormi per nobilem Conradum Lanceam Militem, Regni Siciliæ Cancellarium. Anno Dominicæ Incarnationis MCCXCVII. Menſe Februarii IX. ejuſdem XI. Indictionis. Regni noſtri Anno ſecundo.

Hujus in Publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

Num. XIV.

Num. XIV.

Ex auctographis conſervatis penes Antoninum de Amico virum de Sicula Hiſtoria optimè meritum.

In dorſo Literarum. *Inclyto Principi Dño Jacobo Dei gratia Regi Aragonum Illuſtri Cariſſimo Dño Sua B. de Capua.*

INclyto Principi Domino Jacobo Dei gratia Aragonum, Majoricarum, Valentiæ, Murciæque Regi, Comiti Barchinoniæ, ac Vexillario, Ammirato, & Capitaneo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Cariſſimo Domino ſuo, Bartholomæus de Capua Miles ſe totum id, quod eſt, ad mandata paratum. Sicut nuper a certo relatore dicente audivi, Dominus Fredericus de Aragona ſecretum diebus proximis, & occultum cum ſolo Domino Manfridio de Claramonte, & Viciguerra de Meſſana inivit conſilium, & omnes pariter in toto ipſo conſilio vias, & conſilia quæſiverunt, qualiter Dominus Rogerius de Lauria vel poſſit tolli de medio, vel ad omnes actus, quos tractat, & opera impediri; & ſic de toto ipſo conſilio elegerunt ad partes ipſas Hugeſtum de Amborio, vel nobilem alium deſtinare, qui eum appellaret ad pugnam, & offerret eidem Alludam vocabulo probam belli, per quæ dictus Dominus Rogerius impeditus juſta morem Patriæ in Curia Barchinonię iſtis anfractibus ſuſpenderetur, & retraheretur ab omni concepto propoſito contra eos. Demum per malignantes eoſdem in conſideratione deducto, quod hoc non debebat veſtra prudentia ſuſtinere, ſtatuerunt de triginta, vel quadraginta viris temerariis conjurationem facere, & ad id uſque ad decem millia unciarum, & ultra promittere, expendere, exhibere, qui conſpirare in necem ejus procurarent, & ſtudeant ipſum per quamcumque viam occidere, ſuffocare. Nec miretur Excellentia Veſtra hoc ſic ſecreto tractatum ad meam notitiam perveniſſe. Cum ſicut dictus relator adjecit, hoc ex quodam arcano prodierit, & relatum extiterit in occulto de quo utile credidi Regiam Excellentiam prævenire, ut inde dictum Dominum Rogerium pro ut expedire videritis reddi faciatis actentum. Uxor prædicti Domini Rogerii cum Filiis Domino Joanne de Lauria, Guillelmo Pallotta, & gente alia, quam habebat, venit Scaleam, deinde Neapolim profectura, ubi hoſpitium ſibi, & alia neceſſaria præparantur; & dicunt, quod dictus Dominus Fridericus non bene ſervavit eis pacta conventa in redditione Caſtri Caſtellionis, quod quidem, ut aſſerunt, non poterat per viam aliquam ſe tenere. Bernardus de Sarriano venit cum ſuo extolio Galearum diebus pręteritis ad Inſulam Maltę, & ibi capta terra obſedit Caſtrum, quo perducto ad ejuſdem notitiam Frederici, factus eſt ipſe nimis exinde ſtupidus, & deficiente ſibi pecunia armavit decem, & ſeptem Galeas cum auxilio Siculorum; quatuor armarunt alii de Panormo, & ipſe uſque ad numerum triginta cum ſuis Conſiliariis armavit diſponens in eumdem Bernardum progredi feſtinanter. Sed dum verſante controverſia de aſcenſu perſonæ ſuę in Galeas eaſdem, plures non conſulerent ipſum ire, ipſe tamen in cauſa propoſuit, quod erat omnino melius eum perſonaliter accedere, quam morari, in ratione ſubjugens pro eo, quod ipſe eſt Filius quondam Domini Petri olim Regis Aragonum, ſicuti Rex Aragonum Frater ſuus, & ideo nec dictus Bernardus, nec quivis alius Cathalanus audebit ante faciem ejus ſtare, quin ſtatim reſiliat, aut ſubſiſtat. His autem ita currentibus venit dictus Bernardus Marſa-

liam, & poſt datos ibi aliquos hoſtilitatis incurſus abſceſſit. At Filius Domini Palmerii, qui erat in terra, dictum Bernardum e veſtigio perſequens hortatus eſt eum, quod repedaret ad terram, quia honorifice reciperetur ibidem. Ipſe vero quid exinde tractavit, aut fecerit haud habetur. Ultra hæc de his rumores alii non habentur ad pręſens. Illud tamen ſcire vos volo, quod, ſcito de dicta armata ipſius Domini Frederici, ſtatim ad ipſum Bernardum unum Galeonem tranſmiſit ad præmuniendum eum exinde, pro ut decet. Scire quoque vos cupio quod Caſtrum Jacii ſe tenet adhuc, & defenſioni ſuæ inſiſtit viriliter, & conſtanter. Nec ignoret Excellentia Veſtra, quod ſicut dominationi veſtrę alias ſcripſiſſe me pluries recolo ad habendam pecuneam veſtram in ea quantitate, quę remanet vigilanter intenditur, & de illa mercatoribus veſtro nomine in Romana Curia, vel Neapoli ſatisfiet, recepta ab eis ſufficienti, & idonea cautione. Quod pecuniam ipſam, ſicut ſucceſſive receperint, vobis in Catalonia, vel cui mandaveritis debeant aſſignare. Petita venia ſicut devotus veſter vobis aperio, quod in proſequutione armatę futurę laus, honor, & onus vobis pariter tribuuntur. Unde devote ſupplico, quod quantum in vobis eſt, ſic dignemini de felici illius proſecutione ante tempus de opportunis conſiliis providere, quò per vos defectum non ſentiat, ſed authore Domino votivum habeat exequutionis effectum. Me dominationi veſtrę devotius recommendo. Scriptum Neapoli XVIIII. Novembris.

Hujus in Publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

Num. XV.

FRidericus Infans Illuſtris Regis Aragonum, & Sicilię, Domini Fratris ſui in Regno Sicilię Generalis Locumtenens. Notum fieri volumus univerſis tam præſentibus, quam futuris, quod ad inſtantiam, & ſupplicationem factam noſtrę magnitudini per Nuntios, & Sindicos Univerſitatis Civitatis Meſſanę nomine, & pro parte ipſius Univerſitatis quod conſiderantes integritatem, devotionis, & fidei, quam ipſa Univerſitas, erga Illuſtres Dominos parentes, prędictum Dominum Fratrem noſtrum, & nos prompto zelo geſſit & gerit, nec minus fidelia, grandia, & grata ſervitia eis, & nobis per Univerſitatem ipſam liberaliter & prompte collata, & quę in futurum, dante Domino, conferre poterit gratiora eidem Univerſitati infraſcriptas immunitates & gratias uſque ad beneplacitum prędicti Domini Fratris noſtri liberaliter, & gratioſe duximus concedendas: videlicet a primo Septembris proximi futuri ſextæ Indictionis in antea tam Judęis, quam Chriſtianis licet ſetam, cucullum, undatos faciolos, & alios pannos in eadem Civitate tingere de coloribus herbarum, preterquam de Indico, cujus Indici tintura gabellę tinturię Civitatis ejuſdem per omnia reſervetur. Ceterum quia Cives dictę Civitatis de mercibus, & rebus eorum immittendis in Civitatem eamdem, & ab inde extrahendis tam per mare, quam per terram a jure Dohanę, & alio quocumque diricto ſunt, & conſueverunt eſſe liberi, & immunes, ac Januenſibus Civibus Civitatis Januæ, & Ripereę ſuæ, & illis, qui pro Januenſibus ſe diſtingunt, exceptis Romanis, Piſanis, Tuxis, Provincialibus, Lombardiis, & habitatoribus Regni, qui pro Januenſibus ſe diſtinguunt ſuper negotiationibus, & mercationibus, & mercibus eorum de ſuis re-

rebus, mercibus, & rebus licitis, & permiſſis per dictum Dominum Fratrem noſtrum certæ immunitates, libertates, & gratię ſunt conceſſæ, quę in privilegio, & literis propterea eis factis ſub ſigillo prędicti Domini Fratris noſtri plenius continetur, & prędicti Cives Meſſanę tamquam exteri, & non Januenſes, ſeu privilegiati ad ſatisfaciendum Curiam de jure Dohanę & alterius dirictus contigentis Curiæ pro pecunia, & aliis rebus, & mercibus quas eos in Meſſanam, & alibi a dictis Januenſibus contingit recipere mutuo, & deferre Meſſanam, & ab inde extrahere per eandem Curiam compellantur; ſuper quo reputant ſe gravatos aſſerentes ſe tantummodo de jure teneri Regię Curię ad præſtationem illius juris, quod per prędictos Januenſes propter dictis pecuneis, & rebus & mercibus, quas prędicti Meſſanenſes a prędictis Januenſibus mutuo recipiunt, integrum & ſtatutum jus Doganæ, & alterius dirictus per eoſdem Meſſanenſes tamquam per exteros, & non Januenſes, nec privilegiatos conſueverint & debeatur Regiæ Curię exhiberi. Nos ſuper hoc prędictos Meſſanenſes ſpeciali gratia proſequentes volumus, quod prędicti Cives Meſſanę de pecunia, rebus, & mercibus, quas eos a prędictis Januenſibus in dicta Civitate Meſſanę deferre, & ab inde extrahere contigerit illud tantum jus Dohanę, & alterius dirictus Regię Curię, & illis ad quorum hoc ſpectat officium a prędicto primo Septembris in antea ſolvere teneantur, & debeant quod prædicti Januenſes ſecundum prædictas libertates, immunitates, & gratias eis per prædictum Dominum Fratrem noſtrum conceſſas pro eiſdem pecunia rebus, & mercibus ſolvere tenentur, & debent rithu, & conſuetudine aliqua Dohanæ, & alterius dirictus huic forte contrariis non obſtante. Cauſas, quęſtioneſque, quas inter Cives prædictę Civitatis, & habitatores Caſalium, & locorum poſitorum in tenimento Civitatis ejuſdem tam Eccleſiarum, quam Comitum, & Baronum ſuper rebus ſtabilibus poſitis, in tenimento Caſalibus, & locis ejuſdem, & eorum territoriis ventilari, & moveri contigerit, ſive agant, ſive conveniantur per Straticotum, & Judices Civitatis ejuſdem ex nunc in antea, audiri volumus, & debito ſive decidi, lege, & conſuetudine huic forte contraria non obſtante. Datum die 24. Januarii quintę Indictionis factum eſt privilegium in hac Urbe.

Hujus in Publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

FRidericus III. Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ per præſens privilegium notum fieri volumus, univerſis tam pręſentibus, quam futuris, quod pro parte Univerſitatis hominum Civitatis Meſſanæ, noſtrorum fidelium, fuit oſtenſum, & præſentatum noſtro aſpectui quoddam privilegium Illuſtris Imperatoris Friderici Proavi noſtri claræ memoriæ olim, cum erat Rex Siciliæ, factum ſub ſuo pendenti ſigillo, quo tunc generaliter utebatur continentię talis. Fridericus favente Divina Clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuę. Regiæ dignitatis utilitatibus nil potius applicatur, quam quod benemeritis digne conceditur, & devotis fidelibus de mera liberalitate largitur: Munificentia namque Regia tunc fit ditior, cum remittit, nobilis famæ theſauros acquirit redditum utilitate neglecta. Cum igitur vos Cives Meſſanæ experti fideles noſtri præ cæteris Regni fidelibus tam Parentibus noſtris bonæ memoriæ, quam & noſtri Celſitudini quotieſcumque ſerviendi locum neceſſitas tribuit fideliter ſerviviſtitis juxta quod Venerabilis Trojani Epiſcopi Regni Siciliæ Cancellarii fidelis, & familiaris

ris noſtri, qui devotionem veſtram in præſentis neceſſitatis articulo oculata fide cognovit, inſinuatione fideli comperimus; ſicut omnes communiter tam per mare, quam per terram nobis ſtuduiſtis ſervire devotius, ſic generaliter Univerſos per totum Regnum noſtrum tam per mare, quam per terram ampla volumus libertate beare. Concedimus igitur vobis, & hęredibus veſtris in perpetuum, ut per totum Regnum noſtrum in mari, & terra liceat vobis mercimonia, & quaslibet res veſtras libere ponere, & extrahere, & cum eiſdem introire libere pariter, & exire. Ad hujus autem libertatis memoriam, & inviolabile firmamentum præſens privilegium per manus Matthęi de Salerno Notarii fidelis noſtri ſcribi, & Majeſtatis noſtrę ſigillo juſſimus communiri. Anno, Menſe, & Indictione ſubſcriptis. Datum in Urbe felici Panormi per manus Gualterii Venerabilis Trojani Epiſcopi, & Regni Cancellarii Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo nonageſimo nono. Menſe Decembris 3. Indictionis. Regni vero Domini noſtri Friderici Dei gratia Sereniſſimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuę Anno ſecundo feliciter Amen. Nos autem conſiderantes immenſitatem devotionis, & fidei, quam prædicta Univerſitas erga prædictum Imperatorem, & alios Sereniſſimos Prædeceſſores noſtros, & præcipue Illuſtrem Regem Aragonum, & Siciliæ Dominum Patrem noſtrum divinæ memoriæ, nec non Sereniſſimam Dominam Reginam Aragonum, & Sicilię Reginam Matrem noſtram, & Illuſtrem Dominum Jacobum Aragonum olim Sicilię Regem Dominum Fratrem noſtrum, & Nos prompto zelo, & tota animi puritate geſſit, & gerit, nec minus fidelia, & grata ſatis obſequia per eamdem Univerſitatem eis, & nobis conſtanter, fideliter, & devotè collata, & quę in futurum Deo auctore conferre poterit gratiora, & quod pro exaltationibus, honoribus, & dominio prędictorum parentum, & Fratris noſtrorum, & noſtris de bono in melius promovendis perſonas, & cętera bona eorum, intrepide, liberaliter, & promptè expoſuit, & exponere non formidat, dum deceat Majeſtatem Regiam benemeritos, & fideles & pręcipue tantę devotionis, & fidei ardore adcenſos, ad quos noſtrę liberalitatis, & gratię oculos benigne convertimus, donis, libertatibus, & immunitatibus ampliare. Univerſis hominibus dictę Civitatis Meſſanę, & eorum hęredibus in perpetuum prędictam conceſſionem eis propterea factam per dictum Dominum Proavum noſtrum, prout in dicto privilegio continetur de liberalitate mera, & ſpeciali gratia, & ex certa noſtra ſcientia confirmamus. Ita tamen quod prædicti homines Civitatis ejuſdem a primo Septembris proxime futuri undecimę Indictionis prędicta conceſſione, & libertate contenta in dicto privilegio per totum dictum Regnum noſtrum Sicilię juxta tenorem privilegii prędicti libere gaudeant, & utantur fidelitate noſtra, nec non conſtitutionibus dicti Domini Fratris noſtri, & noſtris, & cujuslibet alterius juribus ſemper ſalvis. Ad hujus autem noſtrę confirmationis memoriam, & robur perpetuo valiturum, pręſens privilegium exinde fieri, & Majeſtatis noſtrę ſigillo pendenti juſſimus communiri. Datum Meſſanę per Nobilem Conradum Lancea Militem Regni Sicilię Cancellarium, Anno Dominicę Incarnationis MCCXCVI. Menſe Maji 15. ejuſdem 9. Indictionis. Regni noſtri Anno primo.

Ex Privilegiis Vrbis Panormitanæ editis ab Michaele de Vio fol. 35.

Num. XVI.

Digitized by Google

Num. XVI.

Ex Regiſtro R. Caroli II. exiſtente in Regia Sicla Neapolis ſignato 1299. litt. A. fol. 111.

CArolus Secundus Dei gratia Rex Hieruſalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ Provinciæ, & Forcalqueriæ Comes. Tenore præſentium notum facimus univerſis, quod cum Princeps Magnificus Jacobus Illuſtris Rex Aragonum filius noſter chariſſimus ob devotionem, quam ad Sanctam Romanam Eccleſiam, & filialis dilectionis affectum, quam ad nos gerere noſcitur infra præſentem annum duodecimæ Indictionis cum gente ſua tam maritima, quam terreſtri, tam in Inſulam Siciliæ pro ipſa ad fidem dictæ Eccleſiæ, & noſtrum Dominium reducenda, quam in aliis partibus Regni noſtri pro ipſius proſecutione negotii hucuſque moratus fuerit, & moretur, non abſque gradibus ſuis, & ſuorum laboribus, & expenſis, & certas pecuniæ ſummas, quas ſibi deberi dicebat per Dominum noſtrum Summum Pontificem, cujus requiſitione, & mandato negotium ipſum aſſumpſerat pro tempore, quo in prædicta Inſula, & Regni partibus moram traxit, dictum negotium proſequendo, ab eodem Domino noſtro Summo Pontifice duxerit requirendas; tandem, ab ipſo ſatisfactione aliqua non obtenta, nos paterno recognoſcentes affectu, quod idem Rex in proſecutione prædicta, in qua principaliter tangimur multum de ſuo expenderat, & in multo ſe ſuis militibus, & marinariis obligaret, ac nolentes eum inde ſubſtinere diſpendium, unde ſibi præmia immenſa debentur, onus ſubſcriptorum debitorum, quibus ipſe ſuæ genti ex cauſa proſequutionis prædictæ tenebatur abnoxius, ſubire obtulimus, & in nobis recipere: quamquam inde ex conventione aliqua minime teneremur, maxime cum ipſe affectu erga nos filiali exuberans prioribus non flexus laboribus, iterum Siciliæ partes perſonaliter repetat pro negotii proſecutione prædicti. Ideoque inter Conſiliarios ſuos, & noſtros horum habentes notitiam de utriuſque mandato, facto communiter computo, inventum eſt, quod ſubſcriptæ genti ſuæ pro ſubſcripto tempore, & ex ſubſcriptis cauſis debentur quantitates pecuniæ infraſcriptæ videlicet: Pro Equis armatis quadringentis viginti duobus, & Alforratis ſeptuaginta novem, ac Servientibus peditibus mille centum quinquaginta ſex, qui remanſerunt in Sicilia poſt receſſum dicti Regis, computatis equis adarmatis centum, pro quibus ab eo gagia recipit vir nobilis Rogerius de Lauria, Regnorum Siciliæ, & Aragonum Ammiratus, & computatis proviſionibus virorum nobilium Alvari Gabaldi de Intenza, ac Petri Saxe, ſecundum primam cedulam traditam per gentem Regis ejuſdem pro præterito tempore computato per totum menſem Aprilis ejuſdem XII. Indictionis debebantur unciæ quinque millia ducenta quinquaginta novem. Item eidem genti in Sicilia remanenti, quæ ſecundum cedulam ultimò aſſignatam per gentem dicti Regis invenitur eſſe equi armati quadringenti viginti ſex, Alforrati ſeptuaginta octo, & pedites mille ducenti tres, debebantur pro ſequenti menſe Maji Indictionis ejuſdem, computatis proviſionibus dictorum trium nobilium ejuſdem menſis, unciæ duo millia ſeptuaginta una, & tareni quindecim, ſed deductis ex ambabus prædictis ſummis debiti unciis duabus millibus octingentis ſexaginta octo, & tarenis duodecim per nos miſſis ad gentem eamdem in Siciliam poſt adventum dicti Regis Neapolim tam in pecunia, quam munitio-

ni-

nibus reſtat, quod debentur eidem Genti per totum prædictum menſem Maji pro eorum gagiis, & proviſionibus unciæ quatuor millia quadringentæ ſexaginta duæ, & tareni tres. Item pro emenda equorum omnium militum dicti Regis, tam prædictorum, qui remanſerunt in Sicilia uſque ad receſſum ſuum de ipſa Inſula, quam aliorum, qui venerunt cum eo Neapolim uſque ad feſtum Beati Joannis Baptiſtæ dictæ XII. Indictionis mortuorum, & affollatorum, non computatis emendis equorum Petri Cornelii, & comitivæ ſuæ, debentur unciæ ſex millia octingentæ quinque, tareni viginti octo, & grana ſexdecim. Item Comitibus, naucleriis, baliſtrariis, remeriis, & perſonis aliis Galearum, quæ venerant de Catalonia cum dicto Rege, & adhuc ſunt ſecum, pro quatuor menſibus completis in fine dicti menſis Maji debentur unciæ aureæ octo millia nonigenta quinquaginta una, tareni duo, & grana decem & ſeptem. Licet enim ipſa gens maris gagia pro quinque menſibus recipere debuiſſet, tamen pro eo quod longo tempore abſque aliquo ſervitio Neapoli moram traxit, de ipſius Regis conſenſu demptus, & deductus eis extitit in præſenti computo menſis unius. Item ſatisfacto per nos nuper Theſaurario dicti Regis pro alia gente ſua, quæ venit cum eo de Sicilia Neapolim, & adhuc eſt ſecum, ſcilicet pro equis armatis quadringentis viginti quinque, Alforratis viginti octo, & peditibus centum quinquaginta uno, & pro aliis equis ſeptem armatis, qui redierunt nuper in Cataloniam. Nec non de proviſionibus Baronum, qui ſecum ſunt pro toto præterito tempore, uſque per totum eumdem menſem Maji, reſtat, quod debentur adhuc quatuordecim Militibus ſuis, qui redierunt in Cataloniam, pro quinque menſibus completis in fine dicti menſis Maji, unciæ ducenta decem. Item debentur pro duobus Medicis, & duobus Chirurgicis ſuis, pro eiſdem quinque menſibus, unciæ ſexaginta. Summa totius prædicti debiti eſt unciæ viginti millia quatringentæ octuaginta novem, tareni quatuor, & grana treſdecim. Promittimus igitur eidem Regi præſenti per ſtipulationem ſolemnem, quod eamdem ſummam debiti ſibi, vel hæredibus ſuis cum integritate ſolvemus nos, ac hæredes noſtros, & ſpecialiter jura, fructus, redditus, & proventus prædictæ Inſulæ Siciliæ ei ex cauſis prædictis voluntariè obligantes; de quibus volumus integram inde ſibi ſatisfactionem impendi quam primum, & ſicut ſucceſſive ipſam inſulam ad manus noſtras recuperari contingerit, vel in ſuæ ipſius recuperatione differri, vel haberi non poſſe, eidem Regi, & ſuis hæredibus omnia alia bona noſtra ubique habita, & habenda ex nunc propterea volumus obligari. Adjicimus inſuper, quod cum ſi exinde præſentialiter in Siciliam vadat pro proſecutione prædicta, pro ut ſuperius dictum eſt, & nos genti ſuæ certam ſummam pecuniæ, ac munitionem infra præſentem menſem Junii pro viagio ipſo dari poterimus, & ſucceſſive in antea mittere intendamus, dictum Regem cum gente prædicta, vel ejus parte in prædicta proſecutione morari ultra tempus, pro quo per nos eis ſatisfactum eſt, & ſucceſſive in antea ſatisfiet, totum id quod eidem genti pro ipſo ulteriori tempore deberetur dicto Regi, vel ſuis hæredibus cum integritate ſolvemus, obligationem modo, quo ſupra, ſibi exinde facientes. In cujus rei futuram memoriam, & prædicti Regis cautelam has noſtras patentes literas fieri, & ſigilli noſtri appenſione munitas eidem Regi mandavimus aſſignari. Datum Neapoli per Magiſtros Rationales Magnæ noſtræ Curiæ Anno Domini MCCXCIX. die XXIIII. Junii. XII. Indictionis.

Hujus in Publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

Num. XVII.

Num. XVII.

FRidericus Tertius &c. Notum fieri volumus univerſis tam præſentibus, quam futuris, quod conſiderantes integritatem, devotionem, & fidem, quam univerſi homines Terræ Randacii fideles noſtri erga noſtram celſitudinem prompto zelo, & tota animi puritate geſſerunt, & gerunt, nec minus grandia, fidelia, & grata ſatis obſequia per eos Excellentiæ noſtræ conſtanter, fideliter, ac devotè collata, & quæ in futurum, auctore Domino, conferre poterunt gratiora, eis, & eorum hæredibus in perpetuum de omnibus rebus, & mercibus licitis, & permiſſis tam eorum, quam per eos emendis, & de eorum pecunia propria in Randacio, Tauromenio, & Meſſana, nec non immittendis in eaſdem terras, & ab inde extrahendis tam per mare, quam per terram a jure Dohanæ, & alio quocumque dirictu propterea noſtræ Curiæ debito ſint liberi, & immunes, & ad præſtationem prædicti juris Dohanæ, & cujuslibet alterius dirictus propterea Curiæ noſtræ debiti per Secretos, & Magiſtros Procuratores Siciliæ, ad quorum hoc ſpectat officium, Commiſſarios, Subofficiales eorum, & quoſcumque alios Officiales noſtræ Curiæ minime compellantur. Volentes, ac Secretis, & Magiſtris Procuratoribus dictæ Civitatis Meſſanæ, nec non totius Siciliæ, vel Siciliæ citra Flumen Salſum, Commiſſariis, Subofficialibus eorum tam præſentibus, quam futuris præſentis Privilegii tenore mandantes; quod prædictis hominibus dictæ Terræ Randacii, & eorum hæredibus in perpetuum prædictam libertatem, & immunitatem eis, ſicut prædicitur, per noſtram celſitudinem gratioſe conceſſam inviolabiliter obſervent, & faciant obſervari. Et quod prædicti homines, & eorum hæredes a prædicto jure Dohanæ, & alio quocumque dirictu Curiæ debito pro prædictis rebus, & mercibus per eos vendendis in prædictis Terris, ſeu altera earumdem, prædicto modo ſint liberi, & immunes. Et quod de eis per prædictos Officiales inviolabiliter obſerventur. Fidelitate noſtra in omnibus ſemper ſalva. Ad hujus autem conceſſionis noſtræ memoriam, & robur perpetuo valiturum præſens privilegium eis exinde fieri, & Majeſtatis noſtræ ſigillo pendenti juſſimus communiri. Datum Meſſanæ per Nobilem Vinciguerram de Pallicio Militem, Regni Siciliæ Cancellarium, & Magnæ noſtræ Curiæ Magiſtrum Rationalem. Anno Dominicæ Incarnationis MCCXCIX. Menſe Junii XV. ejuſdem. XII. Indictionis. Regni noſtri Anno Quarto.

Ex Regiſtro Regiæ Cancellariæ anni 1312. *fol.* 88.

Num. XVIII.

FRidericus Tertius Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Inſulam, & fideles noſtros Siciliæ a noſtrorum hoſtium inſultibus, & inſidiis defenſare conantes cum noſtro extolio die Veneris tertio præſentis menſis Julii in ſero pervenimus ad maritimam S. Marci de Valle Deminæ, ubi intellexerat noſtra Serenitas prædictorum hoſtium galeas inſiſtere, & ſequenti die Sabbati quarto ejuſdem in prædictas galeas hoſtium morantes ibidem, viriliter, & animoſe irruimus, & dum pugna inter

utrum-

utrumque extolium committeretur a fortuna, & caſu acciderat, quod tam galea, in qua eramus, quam multæ galeæ noſtræ, videlicet meliores, & magnæ, & ſufficienter armatæ, per quarum vigorem, & potentiam ſperabamus in Domino de prædictis hoſtibus obtinere victoriam, ſic intra ſeipſas remis involutæ, contra prædictas galeas hoſtium pugnare non potuit, quædam de galeis noſtris a ſexdecim uſque ad decem & octo per prædictas galeas hoſtium captæ fuerunt nobis, omnibus aliis galeis dicti noſtri extolii redeuntibus in Meſſanam. Et quia bellorum, & guerrarum requirit ſtatus, & qualitas conflictus, hinc inde fieri, & quandoque uni parti, & quandoque alteri concedi, & dari victoriam, & ſic notorium eſt, nec minus ipſa rei veritas, & publica fama teſtatur, quod de prædictis hoſtibus multiplices, majores, ac diverſas victorias terra, marique nobis conceſſit Altiſſimus, & in eo firmiter credimus, & pro certo ſperamus, nedum prædictam Inſulam, & fideles noſtros a prædictis hoſtibus viriliter, & potenter defendere, verum etiam reſumptis, & collectis hinc inde viribus, & fortitudine, hoſtium ipſorum cladem, & excidium procurare, fidelitatem veſtram hortamur, & requirimus nihilominus expreſſe per . . . . . quatinus occaſione captionis prædictarum galearum corda veſtræ devotionis, & fidei non vertantur, nec dubitent: ſed conſideratis victoriis, quibus Omnipotentis dextera nos dotavit, & dotabit in melius, Spiritum totius confortationis, & vigoris erga dominium, & fidem noſtram aſſumatis. Circa diligentem, ſalubrem, & tutam cuſtodiam, fortificationem, & defenſionem prædictæ Civitatis ſic die, noctuque ferventer, inviolabiliter, & efficaciter intendatis, quod Civitas ipſa a prædictorum hoſtium ſtudiis, machinationibus, & inſultibus, & potenter, & ſalubriter cuſtodiatur, & defendatur illęſa; & effectu operum vos ſic donis, & gratiis ampliare, & gerere pollicemur, quod tot & tantis ſervitiis inſudaſſe gaudebitis, & ceterum alii ad ſimilia, & majora promptius, & animoſius inducentur, nos enim habita certitudine de proceſſibus prædictorum hoſtium, quod intendebant agere, & verſus quas partes procedere ad partes Siciliæ, videlicet illas partes, ad quas eos velle declinare ſciveramus, noſtrum ſuccurſum, & auxilium, quod magis neceſſarium forte videbimus, item veſtrum cum toto exfortio poſt ſe cum noſtris feliciter dirigemus. Datum Meſſanæ VI. Julii. XII. Indictionis. Regni noſtri Anno IV.

Ex Chronico ab Martene edito Cap. LXII.

Num. XIX.

Ex authographo Inſtrumento recondito in Regio Tabulario Barchinoniæ in arcta Chartarum, ſeu Bullarum Papalium pro facto Siciliæ tempore Domini Jacobi Secundi Aragonum, & Siciliæ Regis olim.

CArolus Secundus Dei gratia Rex Jeruſalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Provinciæ, & Forcalqueriæ Comes. Tenore præſentium notum facimus univerſis tam pærſentibus, quam futuris, quod nos attendentes zelum amoris, & cha-

& charitatis affectum, quem gerit ad nos filius noſter chariſſimus, inclytus Princeps Dominus Jacobus Dei gratia Aragonum Rex Illuſtris, labores quoque, peregrinationes, quodammodo ſudores bellicos, anxietates, & ſumptus, quę non abſque diminutione virium Regni ſui pro nobis in præſentis guerræ negotio, contra hoſtes noſtros, & rebelles Siculos ſubit aſſidue: Non minus hilariter, quam liberaliter ei, dum vixerit, ſuper exitura victualium de portibus noſtris permiſſis, & licitis Inſulæ noſtræ Siciliæ, ſicut ſucceſſive ipſam recuperari contigerit annuatim unciarum auri duo millia proventura, ſibi de jure, ſeu de venditione juris exituræ ipſorum victualium extra Regnum de certa ſcientia noſtra concedimus ex gratia ſpeciali. Poſtquam vero ad manus noſtras Inſula ipſa tota pervenerit, ac fuerit, tam eidem Regi, quam Romanæ Matri Eccleſiæ de eo, in quo pro illa, & ex illa tenemur debito ſatisfactum, dictæ noſtræ ex nunc pro ut ex tunc conceſſioni ſubjungimus, ut Rex ipſe dum vixerit ſuper jure, ac de jure exituræ præfatæ de dictis portibus Siculis habeat, & percipiat per ſe, vel alium annuatim uncias auri quinque millia ponderis generalis. Non obſtante quocumque mandato, vel ordinatione contraria quantumvis expreſſa, per quod, aut quam, præſens noſtra conceſſio impediri poſſet in aliquo, vel differri. In cujus rei teſtimonium præſentes literas fieri, & pendentis Majeſtatis noſtræ ſigillo juſſimus communiri. Dat. Neapoli per Bartholomæum de Capua Militem Logothetam, & Prothonotarium Regni Siciliæ Anno Domini MCCXCIX. die V. Auguſti. XII. Indictionis. Regnorum noſtrorum anno quinto decimo.

Hujus in Publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

Num. XX.

Ex Regiſtro Regis Caroli II. exiſtente in Regia Sicla Neapolis ſignato 1299. lit. C. fol. 35.

CArolus Secundus Dei gratia Rex Hieruſalem, Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Provinciæ, & Forcalqueriæ Comes. Univerſis præſentes literas inſpecturis. Apparet majorem eſſe clementiam, quæ gravioris tollit iniquitatis offenſam; ibi quidem miſerentis ſuavitas propriè dicitur ſuperexaltare Judicium, ubi delictum flagrantius miſerationis lenitas abolet, & aſperitatem pœnæ meritæ benignitas humanæ amabilitatis indulget. Sanè Siculorum culpa gravior contra Sanctam Romanam Eccleſiam, claræ memoriæ Dominum Patrem noſtrum, ac nos continuata diutius, & adaucta frequentius ſæva foret animadverſione plectenda: quià tamen, ubi reſipiant, & cultum veræ fidei, ad mandata ejuſdem Eccleſiæ, noſtraque redeundo, cognoſcant, ipſorum cupimus peccata tegere, & cum ipſis miſericordiam, non judicium exercere. Nos de conſtantia fidei, & circumſpectione laudabilis viri nobilis Rogerii de Lauria Militis, Regnorum Siciliæ, & Aragonum Ammirati, dilecti Conſiliarii, & fidelis noſtri, ſicut de parte noſtri corporis plenam fidem obtinentes, ei commiſimus, & plenariam concedimus poteſtatem, ut omnes, & ſingulas Univerſitates Civitatum, Caſtrorum, Vil-

Digitized by Google

Villarum, Caſalium, & locorum, ac ſpeciales perſonas Inſulæ noſtræ Siciliæ cujuſcumque dignitatis, ſtatus, aut conditionis exiſtant greſſus fidelitatis egreſſas, erroris devii depulſa caligine, ejuſdem Eccleſiæ, atque noſtræ cultum veræ fidei amplectentes ad gratiæ noſtræ ſinum clementer recipere valeat, omneſque culpas, & offenſas contra prædictum Dominum Patrem noſtrum, & nos per eos non ſine multa inculcatione commiſſas, & pœnas etiam corporales, & pecuniarias, quas pro illis ſeveritas juris indiceret, eis miſericorditer relaxare, ac reſtituere eas, & hæredes ipſarum beneficio plenæ reſtitutionis in integrum ad earum bona, quæ propter Majeſtatis crimen per eas commiſſum notorie perdiderant, honores, dignitates, & ſtatum; infamiam, qua dictarum culparum commiſſio eas notavit, eiſdem totaliter abolendo, & ut eo magis ſit eis redditus ſalutaris ad fidem, quam diſceſſus fuit luctuoſus, ipſas omnes, & ſingulas Univerſitates, ſpecialeſve perſonas quamprimum ſe inde effective ad agnitionis ſtatum fidei præfatę reduxerint, poſſint ab omnibus debitis, & obligationibus deſcendentibus ex contractibus, geſtibus, officiis, adminiſtrationibus, ſeu delictis, quibus ipſæ nobis pro tempore jam elapſo tenentur, & a culpis etiam, quibus damna plurima, præjudicia, & diminutionem patrimonii incurriſſe dignoſcimur perpetuo liberare: volentes, quod poſtquam prædictæ Univerſitates, & ſpeciales perſonæ converſæ fuerint, ut prædicitur, ad ſalutem, libertatibus, & immunitatibus conceſſis per Majeſtatem noſtram fidelibus aliis dicti Regni noſtri Siciliæ libere potiantur, ac promittentes bona fide in verbo Regiæ Majeſtatis hujuſmodi receptationem, remiſſionem, liberationem, abſolutionem per dictum Ammiratum, ut præmittitur, faciendas per nos hæredes, & ſucceſſores noſtros eis firmiter teneri, & inviolabiliter obſervari. Volumus etiam quod dictus Ammiratus prædictis Univerſitatibus, & ſpecialibus perſonis, quas ad gratiæ noſtræ ſinum receperit, ſuas exinde teſtimoniales ad cautelam literas faciat ipſis perpetuo valituras. Nos enim, ſi earum intereſſe putaverint ad ſupputandam cujuslibet ambiguitatis materiam, quam frequentiùs defacto, ſaltem ingeſtus ſollicitæ dubitationis inducit ad ipſarum requiſitionis inſtantiam generaliter, & ſpecialiter, ut petetur prætactas receptionem, remiſſionem, liberationem, abſolutionem eis per dictum Ammiratum, ut prædicitur, faciendas, ſub titulo, & ſigillo noſtro renovari de verbo ad verbum, ſicut per ipſum factæ fuerint, vel confirmari, literarum ipſius Ammirati inſerto tenore, pro cautela petentium faciemus. Præſentibus poſt finitam præſentem armatam noſtram maritimam minime valituris, cum, ipſa completa, Ammiratus ipſe ſit deſcenſurus in terram, ubi poſtmodum poteſtati conceſſæ per nos circa prædicta Roberto primogenito noſtro Duci Calabriæ, Regni Sicilię Generali Vicario, aliquatenus derogari nolumus, datam in talibus, in nullo penitus volumus mutilari. In cujus rei teſtimonium, pręſentes literas exinde fieri, & pendenti Majeſtatis noſtrę ſigillo juſſimus communiri. Datum Neapoli per Bartholomęum de Capua Militem &c. Die vigeſimo Julii. Decimę tertię Indictionis.

Hujus in publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

Num. XXI.

Num. XXI.

FRidericus Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ univerſis hominibus Civitatis Panormi. Et veſtra, & aliorum noſtrorum corda, fidelium de noſtrorum felicitate ſucceſſuum feſtivæ jubilationis gaudiis hilareſcant; Vobis tenore præſentium ad gaudium annunciamus, quod per illius gratiam, qui cauſam noſtram pio favore proſequens, & defendens, manus noſtras ad prælium docuit, & digitos noſtros ad bellum; hodie primo præſentis menſis Decembris hujus Decimæ tertiæ Indictionis, in campis infra terras Trapani, & Marſaliæ de illuſtri Philippo filio Caroli, hoſtis noſtri, qui ſe Tarentinum ſcribebat in Principem, & terreſtri exercitu, cum quo in Sicilia infeliciter declinarat, per nos, noſtrumque victorioſum exercitum feliciter, obtenta victoria, eodemque Philippo, nec non filio Comitis Therii de S. Severino, Hugone de Viſi, Tinzolino de Ammindolea, & aliis quampluribus nobilibus, & equitibus, aliis captis in noſtro carcere, reliqui omnes fuerunt in ipſo prælio in manu forti & extento brachio interemti; ita quod de ſexcentis equitibus, & peditibus aliis, quos in Siciliam cum eodem Principe infelicia eorum fata traxerunt, nullus manus noſtras evadere potuit, quin in ipſo conflictu potentiæ noſtræ gladio trucidatus extiterit, aut noſtro fuerit ergaſtulo carceris mancipatus. Ex hac igitur victoria, quam nobis eſt dominus dignatus concedere, nobiſcum largitori bonorum omnium gratias referentes gratuite iteratis plauſibus exultetis, firmam ſpem, & fiduciam habentes in eo, qui proceſſus, & actus noſtros favorabili protectione proſequitur, quod de aliis noſtris hoſtibus exiſtentibus in Sicilia, debitam, ac ſperatam victoriam continuatis ſucceſſibus conſequemur. Et quia galeæ hoſtium eorundem ſemi-armatæ ſunt in Inſulis Trapani, & per modica ex galeis noſtris facile poterunt expugnari, fidelitati veſtræ firmiter, & expreſſe mandamus, quatenus in continenti receptis præſentibus, omni mora ſublata, galeas, quas in Civitate ipſa mandavimus armari, per commune, & omnem alium modum, per quem celerius fieri poterit, armetis inſtanter, & cum eis, & aliis galeis Januenſium exiſtentibus in noſtris proſervitiis, quorum eſt Ammiratus nobilis Ægidius Auriæ dilectus amicus, & devotus noſter, cui exinde ſcribimus, ad pugnationem & captionem prædictarum galearum hoſtium procedatis, ut eis, auctore domino, ſuperatis, felicia felicibus, & gaudia gaudiis cumulentur. Datum Trapani primo Decembris XIII. Indictionis, Regni noſtri anno V.

Hæc ad Panormitanos Regia Epiſtola habetur in Chronico ab Martene edito Cap. LXVII.

Num. XXII.

FRidericus Tertius Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Regnantis honor extollitur, Regiæ dignitatis debitum exercetur, ſuæque gloriæ probata famoſitas commendatur, dum benemeritos, & fideles præcipue, quos conſtat exaltationem ſui nominis ardentius procuraſſe, quorum ſinceritate diræ afflicionis acerbitas non mutavit, nec ſiniſtrioris caſus removit eventus; cùm quanto potiori diſcrimine gravarentur, tanto ſolidiores in fide ſiſtentes pericula non timebant, largitionibus, & retributione amplificat, dotat honoribus, gratiis, & immunitate illuſtrat. Conſiderantes igitur integritatem devotionis, & fidei, quam univerſi homines Civitatis Meſſanæ dilecti fideles noſtri erga noſtram Excellentiam tota cordium puritate geſſerunt, & gerunt, nec non extollerabilem famem, & careſtiam, molendinorum, domorum, & aliorum bonorum direptiones, & incendia; jardinorum, & vinearum inciſiones, devaſtationes, & extirpationes; multiplices obſidiones, & cohartationes; quamplurima perſonarum pericula, & rerum diſpendia, quæ olim infra tempus guerræ, nuper præteritæ, pro noſtri nominis fide ſervanda inextimabiliter ſunt perpeſſi; nec minus fidelia, grandia, & grata ſatis obſequia per eos noſtræ Celſitudini conſtanter, fideliter, & devote collata, & quæ in futurum (Authore Domino) conferre poterunt gratiora, eis, & hæredibus ſuorum in perpetuum de innata magnificentiæ noſtræ gratia, & ex certa noſtra ſcientia concedimus, & pleno favore Regio confirmamus, quod ipſi, & hæredes eorum in perpetuum a ſubventionibus, promiſſionibus, collectis, mutuis, & quibuslibet aliis exactionibus, quæ in Sicilia pro quibuſcumque cauſis, & negotiis pro tempore per Curiam imponentur, ſint, & eſſe debeant omnino exempti, liberi, & immunes: quodque in eadem Civitate Meſſanæ, & tenimento ejus pro prædictis cauſis, & negotiis nullo unquam tempore aliquid per Curiam imponatur, diſtribuatur, taxetur, & recolligatur a noſtris fidelibus habitatoribus prædictæ Civitatis, & tenimenti ejus, & quos de cætero ibidem contigerit habitare. Propter quod Straticoto Meſſanæ, & cæteris Officialibus Curiæ præſentibus, & futuris præſentis privilegii authoritate mandamus, quatenus in eadem Civitate, & tenimento ejus pro prædictis cauſis, & negotiis nihil imponant, taxent, & diſtribuant, & recolligant a noſtris fidelibus memoratis; imo eis prædictam libertatem, & immunitatem inviolabiliter obſervent, & faciant tenaciter obſervare. Non obſtantibus conſuetudinibus Sereniſſimi Domini Jacobi Aragonum, & olim Siciliæ Regis Illuſtris Dñi Fratris noſtri, per quas in certis caſibus pecuniæ ſubventio facienda permittitur, & noſtris, quibus prædictæ libertati, & immunitati præjudicium aliquod irrogatur: fidelitate noſtra in omnibus ſemper ſalva. Ad hujus autem noſtræ conceſſionis, & confirmationis memoriam, & robur perpetuo valiturum præſens privilegium exinde fieri, & Majeſtatis noſtræ ſigillo pendente juſſimus communiri. Datum Lentini per Nobilem Vinciguerram de Palicio Militem, Regni Siciliæ Cancellarium. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo trecenteſimo ſecundo, Menſe Octobris, primo ejuſdem, primæ Indictionis. Regni noſtri Anno Septimo.

Hujus in Publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

Num. XXIII.

FRidericus Tertius Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Notum fieri volumus univerſæ Europæ, quod conſiderantes nexum ſanguinis, & integritatem amoris, quibus Nos, & Magnificus, ac Spectabilis Dominus Karolus illuſtris Regis Francorum filius, Valeſii, Alenzonis, Carnoſenſis, Andegavenſis Comes inclytus, cariſſimus Conſobrinus noſter invicem jungimur, unde honores, & negotia ſua propria reputamus, & amicabiliter tenore præſentium promittimus, quod cum idem Dominus Karolus cum ſuo felici exercitu verſus partes Romaniæ ad acquiſitionem Imperii Conſtantinopolitani omine felici procedat, cum & in ſubſidium acquiſitionis prædicti Imperii galeas a quindecim ad viginti per nos decenter armandas, & ſtipendiarios Equites ducentos ſolidandos per nos ad omnes expenſas noſtras pro menſibus quatuor ad prædictas partes Romaniæ pro dicto negotio tranſmittimus, & ſi forte, elapſis dictis quatuor menſibus, indiguerit, volumus & ſibi concedimus poteſtatem ad ſtipendia propria poſſe retinere prædicta, niſi nos propriis negotiis indigemus eiſdem, & permittimus per Nuntios duos Domini Karoli armari in Siciliç partibus galeas X., & ſolidari quadringentos ſtipendiarios Equites proceſſuros, & navigaturos cum eodem Domino Karolo ad prædictum negotium ultra prædictarum aliarum galearum, & ſtipendiariorum per nos ei promiſſum numerum prædeſtinatum. Nos enim promittimus prædicto Domino Karolo, quod cum Domino Andronico, qui ſe in prædicti Imperii Imperatorem intitulat, nullam amicitiam contrahemus, niſi prædictus Dominus Karolus amicitiam contraheret cum eodem. In cujus rei fidem præſentes literas ſigilli noſtri munimine fecimus inſigniri. Datum Lentini XXVI. Septembris primæ Indictionis. Regni noſtri Anno VII.

Ex Burigninii Hiſtoria Sicilia.

Num. XXIV.

FRidericus Dei gratia &c. Antiquæ legis ſervatur edictum, novi Teſtamenti inſtitutio exercetur, & Chriſtianæ Fidei roboratur auctoritas, dum pax Mundo præſtatur, quam Omnipotentem Chriſtum Summi Patris Filium poſt glorioſam Aſcenſionem ſuam conſtat ejus Apoſtolis reliquiſſe, in quo gloria in excelſis Deo extollitur, diſcordantium voluntates ad conformitatem ſtatus debiti reducuntur, ceſſant cædes gentium, alta guerrarum vitantur diſcrimina, & totius jubilationis, & lætitiæ noſcitur incrementum: propter quod ſcire vos volumus, quod viceſimo nono præſentis menſis Auguſti juxta Saccam, & Calatabiloctam inter nos, nec non Magnificos, & Spectabiles Dominum Carolum illuſtris Regis Francorum filium Alenzoni, Valeſii, Carnoti, Andegaviæque inclytum Comitem Conſobrinum, & Dominum Robertum illuſtris Caroli primogenitum, & Ducem Calabriæ cognatos noſtros cariſſimos, & cæteros alios tam magnates, quam alios ex parte eadem pax, & compoſitio ad laudem, & exaltationem divini nominis firmata extitit, & completa: ita quod habemus Inſulam Si-

Digitized by Google

Siciliæ, & Rex Siciliæ remanemus; quo circa fidelitati veſtræ mandamus, quatenus de prædicta facta pace, & concordia gaudium in Domino aſſumentes a miſſione equitum, peditum, & aliorum armigerorum, quos per vos apud Corolionum pro honorabili tractatu prædictæ compoſitionis, & pacis mitti mandavimus, penitus deſiſtatis, & prædictam (pacem) inviolabiliter obſervetis. Datum Calatabiloctæ ultimo Auguſti XV. Indictionis. Regni noſtri Anno VII.

Ex Chronico a Martene edito Cap. LXX.

Num. XXV.

FRidericus Tertius Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Per præſens Privilegium notum fieri volumus univerſis tam præſentibus, quam futuris: quod conſiderantes integritatem devotionis, & fidei, quam univerſi homines terræ Saccæ fideles noſtri erga noſtram Excellentiam prompto zelo, & tota cordium intimitate geſſerunt, & gerunt; nec minus fidelia, & grata ſatis obſequia per eos noſtræ Celſitudini conſtanter, fideliter, & devote collata, & quæ in futurum, Deo Auctore, conferre poterunt gratiora, quodque pro ſervanda fide noſtri nominis, & dominii pericula, & damna plurima ſunt perpeſſi: Dum regalem munificentiam deceat ſubjectis, & fidelibus præcipuæ, quos conſtat in eis ſervitiis, & honeribus viriliter, & fideliter totis viribus laborare, eis de liberalitate mera, gratia ſpeciali, & ex certa ſcientia noſtra concedimus, quod Burgenſes, & Habitatores prædictæ terræ Saccæ, pro mercibus, & rebus eorum licitis, & permiſſis per eos tam per mare, quam per terram, videlicet extrahendis de terris, & locis totius Siciliæ, ab inde quocumque voluerint deferendis, ac immittendis, & deferendis de una terra in aliam infra eandem Inſulam, ac jure Dohanæ, & alio quocumque dirictu per eos propterea noſtræ Curiæ debito ſint liberi, & immunes; & pro eiſdem mercibus, & rebus eorum licitis, & permiſſis, intrando, ſtando, & exeundo, ſicut ſupra diſtinguitur, terra, marique nullum jus Dohanæ, & alterius cujuſcumque dirictus propterea noſtræ Curiæ debitum, eidem Curiæ, vel Officialibus ipſius Curiæ, ad quorum hoc ſpectat, & ſpectabit officium, exhibere, & ſolvere teneantur. Quibus Officialibus præſentis privilegii tenore injungimus, quod eiſdem Burgenſibus, & Habitatoribus Saccæ prædictam libertatem, & immunitatem obſervent, & faciant per alios obſervare. In cujus rei teſtimonium, certitudinem, & cautelam eis exinde præſens ſcriptum fieri, & Majeſtatis noſtræ ſigillo pendenti juſſimus communiri. Datum Calatabiloctæ per Nobilem Vinciguerram de Palicio Militem, Regni Siciliæ Cancellarium. Anno Dominicæ Incarnationis MCCCII. Menſe Auguſti, ultimo ejuſdem, XV. Indic. Regni noſtri Anno VII.

Ex Regiſtro Regiæ Cancellariæ Anni 1312. *fol.* 57.

Digitized by Google

Num. XXVI.

FRidericus Tertius Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Dignos gratiis, & honore cenſemus, quos in fidei integritate probatos cognovimus, & conſtat pro exaltatione ſui Regis & Domini perſonas, & bona intrepide, & liberaliter erogaſſe, quorum ſinceritatem diræ afflictionis acerbitas non mutavit, nec ſiniſtrioris caſus removit eventus; quin quanto potiori diſcrimine gravarentur, tanto ſolidiores in fide ſiſtentes pericula non timebant. Conſiderantes igitur integritatem devotionis, & fidei, quam univerſi homines Univerſitatis Civitatis Meſſanæ dilecti fideles noſtri erga Excellentiam noſtram tota cordium puritate geſſerunt, & gerunt, nec non intolerabilem famem, & careſtiam, molendinorum, domorum, & aliorum bonorum direptiones, & incendia Jardinorum, & Vinearum inciſiones devaſtationes, & extirpationes, multiplices obſidiones, & cohartationes, quamplurima perſonarum pericula, & rerum diſpendia, quæ olim infra tempus guerræ nuper præteritæ pro noſtri nominis fide ſervanda inextimabiliter ſunt perpeſſi, nec minus fidelia, grandia, & grata ſatis obſequia per eos noſtræ Celſitudini conſtanter, fideliter, & devote collata, & quæ in futurum (dante Domino) conferre poſſunt gratiora, ut juriſdictiones, & honores eorum per munificentiæ noſtræ gratiam in melius augeantur, deliberate, de mera ſimplici gratia, & ex certa ſcientia noſtra in perpetuum concedimus, & pleno favore regio confirmamus, quod ex nunc in anthea in perpetuum omnes terræ, & loca vallis Melatii, & Terra Tavormenii cum tenimento ejus uſque ad flumen Cantaræ, ultra Caſtra, Caſalia, & alia loca diſtrictus, ſeu tenimenti dictæ Civitatis Meſſanæ, ſint, & eſſe debeant de juriſdictione officii Straticotiæ Civitatis ejuſdem; quodque Straticoti Civitatis ipſius, qui ſunt, & erunt pro tempore ex nunc in anthea in perpetuum authoritate præſentis privilegii in Terris, & Locis prædictæ Vallis Melatii, & Tavormenio, & tenimentis eorum, quæ adjunſimus, & eſſe decrevimus de juriſdictione prædictæ Straticotiæ officii, habeant, & habere debeant omnem juriſdictionem, quam Juſtitiarii Vallium Caſtri Joannis, Demine, & Milatii in ejuſdem Terris, & Locis conſueverunt, & debeant ratione prædicti Juſtitiariatus officii exercere; non obſtante quod Terræ, & loca ipſa fuerunt, & conſueverunt eſſe de juriſdictione prædicti Juſtitiariatus officii, a quo ipſas perpetuò duximus eximendas, & alia quacumque ratione, vel cauſa, quæ conceſſionem præſentis noſtræ gratiæ deberet, & poſſet impedire, infringere, vel aliquatenus revocare. Ad hujus autem conceſſionis, & confirmationis noſtræ memoriam, & robur perpetuò valiturum præſens privilegium exinde fieri, & Majeſtati noſtræ ſigillo pendenti juſſimus communiri. Datum Leontini per Nobilem Vinciguerram de Palicio Militem Regni Siciliæ, Cancellarium. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo trecenteſimo ſecundo, Menſe Octobris, primo ejuſdem, Indictione prima. Regni noſtri Anno ſeptimo.

Hujus in Publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

Num. XXVII.

Digitized by Google

Num. XXVII.

IN nomine Domini amen . Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo trecenteſimo decimo nono Menſe Januarii , quartodecimo ejuſdem , Tertiæ Indictionis . Regnante Sereniſſimo Domino noſtro Rege Friderico Dei gratia inclyto Rege Siciliæ , anno vigeſimo quarto ejus felicis Regiminis feliciter amen .

Nos Datus de Mohac Judex Civitatis Agrigenti , Martinus de Pactis Regius publicus ejuſdem Civitatis Notarius , & Teſtes ſubſcripti ad hæc vocati ſpecialiter , & rogati præſenti ſcripto publico notum facimus & teſtamur , quod Silveſter de Policio habitator dictæ Civitatis veniens coram nobis nomine , & pro parte D. Pernæ de Blanco Uxoris ſuæ , expoſuit quoddam mandatum regium eſſe in Archivio Regiæ Curiæ Civitatis ejuſdem pro parte Univerſitatis hominum ipſius Civitatis , univerſis Officialibus Curiæ per Siciliam conſtitutis , & conſtituendis , nec non Juſticiariis vallis Agrigenti tam præſentibus , quam futuris directum ſuper obſervatione Conſuetudinum , Ordinationum , & Capitulorum ipſius Civitatis , quæ in eodem mandato Regio continentur , ipſumque Silveſtrum oportere pro parte dictæ Uxoris ſuæ dictum mandatum regium in forma publica habere redditum pro quadam quæſtione , quam dicta ejus Uxor habet contra Bartholomæum Scurſonum Civem dictæ Civitatis in M. R. C. ſuper reſtitutione quorundam bonorum ſtabilium , de quibus agitur inter eos ſibi ſuo loco , & tempore valiturum . Ideoque nos requiſivit attente noſtrum in hac parte officium implorando , ut prædictum mandatum ex prædicto Archivio habitum ſibi in formam publicam redigere deberemus . Cujus perquiſitione per nos admiſſa , utpote conſona rationi , prædictum Archivium per Notarium actorum ipſius Curiæ requiri fecimus , & ita invenimus dictum Regium mandatum ſigillo juſtitiæ noto & conſueto de cera rubea ſigillatum , non abolitum , non abraſum , non cancellatum, nec in aliqua ſui parte vitiatum , ſed in ſui propria figura exiſtens , quod vidimus , inſpeximus , & legimus diligenter , nihilque per nos in eo diminuto , addito , vel mutato , ſed verbo ad verbum ſecundum quod in eo vidimus contineri , auctoritate prædicti noſtri officii per manus mei prædicti Notarii ad cautelam dictæ D. Pernæ , pro cujus parte exponitur , in præſentem formam publicam duximus redigendum . Cujus mandati tenor per omnia talis eſt .

Fridericus Dei gratia Rex Siciliæ &c. Univerſis Officialibus Curiæ per Siciliam conſtitutis, & conſtituendis , nec non Juſticiariis Vallis Agrigenti tam præſentibus , quam futuris gratiam ſuam , & bonam voluntatem . Pro parte Univerſitatis hominum Civitatis Agrigenti noſtrorum fidelium oblata fuerunt culmini noſtro nuper conſuetudines , ordinationes, & capitula infraſcripta , facta & edita inter eos per evidentem conſenſum Univerſitatis ipſius , videlicet: Viri, & Uxoris bona omnia a quacumque parte proveniant natis filiis confunduntur , & unum corpus efficiuntur, & volentibus viro , & uxore dividere cum filiis , tertia pars bonorum datur Patri , altera Matri, reliqua tertia filiis, vel filio viventibus cum Patre , vel Matre ſuperſtite . Tertia pars præmortui cedit filiis , & ſic iidem filii habeant duas partes , unam debitam de jure naturæ , alteram parentis mortui ; Si vero præmoriatur teſtatus , ejus ſtabitur teſtamento , dummodo in eodem teſtamento filios recognoſcat de tertia parte ; Si vero præmoriatur Mater , poteſt de mobilibus ſuæ portionis pro velle teſtari ; Immobilia verò ipſa mortua cædunt filiis ; Si vero non ſint ei mobilia , poteſt de ſtabilibus uſque ad medietatem valoris eorumdem ſtabilium

lium juxti æſtimatorum teſtari . Vir præmortua uxore , vel uxor præmortuo viro ad ſecunda vota cum tertia ſui parte poteſt tranſire , & tertia illa cum bonis ſecundi viri , vel ſecundæ uxoris natis filiis unum corpus efficiunt . Quo , vel qua mortua , ab inteſtato omnia bona illa in tres partes dividuntur , quarum tertia debetur viro , vel uxori ſuperviventi , & tertia filiis ; in reliqua vero tertia præmortui tam primi , quam ſecundi matrimonii filii ſuccedunt in capita : debita quæ apparuerint facta tempore primi matrimonii ſolvi debent de bonis filiorum primi matrimonii , & de tertia , cum qua Pater , vel Mater ad ſecunda vota tranſierint . Debita vero facta tempore ſecundi matrimonii ſolvi debent de bonis ſecundi matrimonii , & de tertia , quæ cum ipſis bonis confuſa eſt . Debita vero , quæ rationabiliter facta creduntur tempore medio infra primum , & ſecundum matrimonium , de bonis communibus ſolvi debent . Viro præmortuo filiis non ſuſceptis , mulier ſuperſtes dotem , & dotarium conſequi debet . Reliqua bona præmortui ab inteſtato pertinent ad proximiores ; ex teſtamento pertinent ad eos , quibus ipſe teſtator reliquerit . Uxore præmortua extinguitur dotarium , & dos ad dotantem revertitur ; ſed ſi vir voluerit eam propriis ſumptibus ſepellire , lectum cum toto apparatu , quo fuit prima nocte matrimonii , habere debet , ſi extat ; ſi autem non extat , cum meliori apparatu , qui in domo eo tempore invenitur . Quæ ſi teſtari voluerit , poteſt quidem de mobilibus ; de ſtabilibus autem minime , non marito , non extraneo , quod ad proprietatem . Pater , & Mater viventes , ſi voluerint filiam viro tradere , liceat eis dare in dotem de bonis ſuis pro velle ipſorum ; ſi vero filium emancipaverint , de tertia eorum , poſſunt ei pro velle ſuo dare , ultra partem ſibi contingentem , de tertia , quam cum fratre , vel fratribus habent communem . Patre mortuo , vel Matre , filiis minoribus cum Matre , vel Patre remanentibus , & in minore ætate præmortuis , bona omnia ſtabilia ſi pervenerint a Matre , ad proximiores Matris revertuntur , & ſi a Patre pervenerint , ad proximiores Patris ; ſimiliter præmortua Matre , Patre ſuperſtite . De mobilibus vero tertia , quæ eis jure ſuo pervenit , ad Patrem , vel Matrem ſuperſtitem devolvitur . Reliqua vero tertia quæ jure paternæ , vel maternæ ſucceſſionis eis acquiſita eſt , ad proximiores Patris , altera ad proximiores Matris revolvitur . Unoque parente præmortuo , vel altero eorumdem , filiis eorum in minori ætate defunctis , bona ſtabilia ad eam partem revertantur , a qua pervenerint . De mobilibus vero una medietas ad proximiores Patris , altera ad proximiores Matris devolvitur . Utroque parente vivente , filius factus major de bonis communibus portionem petere non poteſt ; ſi mortua Matre filius factus major noluerit in familia Patris permanere , ſed per ſe vivere voluerit , Patre volente , & pro poſſe fideliter adminiſtrare bona ſua , non cogitur Pater ei dare , niſi tertiam a Matre præmortua provenientem . Reliquam tertiam eidem filio ſuo jure debitam , Pater quoad uſumfructum ſibi retinere poteſt , proprietate inde filio reſervata , donec ad ſecunda vota convolaverit . Si vero ſecundam duxerit Uxorem , filius medietatem uſusfructus alterius tertiæ partis ſuæ petere poteſt . Si quis Uxorem duxerit liberis non ſuſceptis , & bona acquiſita erunt inter eos ex qualibet fortuna inſperata , mortuo uno ipſorum jugalium , ſuperſtes medietatem ipſorum bonorum habere debet , & altera medietas cedit proximioribus morientis ab inteſtato , & de medietate ſua debet ſepelliri . Si quis Solderius locaverit operas perſonæ ſuæ ad certum tempus Patrono , & termino non completo ſine probabili cauſa receſſerit a Serviciis Patroni , ſi quid mercedis acceperit & illicentiatus receſſerit a

Digitized by Google

Patroni ſervicio, teneatur ipſi Patrono reſtituere, & nihil habere de ſervicio medio tempore præſtito. Et ſi forte oriatur contencio de ſolidis inter Patronum, & Mercenarium, debet ſe Patronus Sacramento purgare, & ſibi creditur uſque ad quantitatem tarenorum auri quinque. Præterea ſi fuerit error temporis de ſervicio præſtito, vel præſtando, creditur Sacramento ipſius Solderii, exceptione aliqua non obſtante, uſque ad ſummam aſcendentem tarenos auri quinque, & non ultra. Siquis deprehenderit cujuslibet animalia, ſeu pecudes in Vineis, Agriculturis, Cottoneriis, Hortis, ſeu aliquibus aliis locis, unde poſſent dapna oriri per armenta ejus, creditur Sacramento, ſi dapnum, quod accuſatur, non excedat ſummam unius Auguſtalis, & Bajulus exigat ab ipſo pro quolibet bove domito grana quinque, pro indomito grana duo, & dimidium; pro quolibet ove granum unum; pro qualibet capra granum unum, & dimidium; pro quolibet porco granum unum, pro quolibet aſino grana quinque; ipſo denunciante Sacramento purgato de denunciatione prædicta, quod non irato, vel calumnioſo animo hoc faciat. Nihilominus teneatur Bajulus ipſe cogere Patronum ipſorum animalium, antequam ſibi reſtituantur, ad reſarciendum dapna Patrono, conſtito prius de dicto dapno, & ſi majorem ſummam aſcendit ipſa accuſatio, ſeu denunciatio, quam unius Auguſtalis prædicti, probetur ipſorum animalium captio per duos Teſtes omni exceptione majores, & ſi ultra accuſationem ipſam aſcenderit, & probare non poterit, accuſatus dapnum aliquod minime patiatur. Si quis Mercator ordinaverit aliquem famulum ſecum in Magazeno, ſuper receptione frumenti, ordei, vini, cuttonis, vel alicujus rei recipiendæ a ſuis debitoribus, conſtita aſſignatione legitime facta famulo ſupradicto, ſic habetur ac ſi ipſa Patrono fuerint aſſignata, & ſigilletur Apodixa per ipſum famulum ſigillo Mercatoris prædicti. Si aliquis Senſarius fuerit ordinatus in Civitate prædicta, primo præſtet idoneam fidejuſſoriam cautionem, ac etiam juratoriam, quod fideliter debeat dictum officium exercere, & ſi aliqua diſceptatio oriatur inter Mercatorem, & venditorem, quod ſtetur Sacramento Senſarii infra duos Aguſtales, ultra vero probatione communi agatur; & ſic de actis ipſius Senſarii alicui præſtitis credatur ipſi Senſario de uno Auguſtali, & non ultra. Recipiatur fidejuſſio a quolibet Senſario unciarum vigintiquinque, & quicumque Senſariorum exercuerit ſine fidejuſſione officium Senſariæ ſolvat Bajulo nomine pœnæ Auguſtalem unum, & pro Senſario minime habeatur. Si aliquis locaverit domum ſuam ſive annuatim, ſive ad certum tempus, quod non poſſit Conductorem, ſive Colonum expellere termino non completo; quod ſi faciat, reddat ipſi Colono totam pecuniam, quam ab eo percepit, præterquam ſi voluerit ipſam pro ſua habitatione, vel pro dare, ſeu eam alicui pignorare, vel vendere. Et ſi prædictus Colonus recedere voluerit a domo, ipſo termino non completo, ſolvat locatori pecuniam totius temporis, pro quo locavit prædictam domum. Erat ejus olim quidam rithus per aliquos obſervatus in Civitate prædicta in ipſius Univerſitatis præjudicio, & jactura, quo cogebatur primo ad ſolvendum fidejuſſor, quam debitor, quod valde videbatur inhumanum, & incongruum rationi; caſſato ipſo rithu, & abolito, de his ſtetur juri communi, & nullam habeat firmitatem. Et humiliter ſupplicatum, ut ſuper obſervari faciendo eis Conſuetudines, Ordinationes, & Capitula ipſa noſtras vobis literas dirigere dignaremur. Nos autem attendentes fidem puram, & devotionem ſinceram, quam dicti Cives Civitatis Agrigenti erga celſitudinem noſtram prompto zelo geſſerunt, & gerunt, huic ſupplicationi eorum benigniter duximus annuendum fidelitati veſtræ mandantes, quatenus Conſuetudines, Ordinationes, & Capitula ſupradicta dictis Civi-

vibus Agrigenti obſervetis, & faciatis inviolabiliter obſervari. Datum Cataniæ Viceſimo tertio Novembris Secundæ Indictionis. Unde ad futuram memoriam, & prædictæ D. Pernę cautelam pręſens publicum Inſtrumentum ſibi exinde factum eſt per manus mei prędicti Notarii, noſtrorum, qui ſupra, Judicis, & Notariorum ſubſcriptorum Teſtium ſubſcriptionibus teſtimonio roboratum. Actum Agrigenti Anno, Menſe, Die, & Indictione pręmiſſis.

Ego Datus de Mohac, qui ſupra, Judex Civitatis Agrigenti me ſubſcripſi.

Ego Notarius Thomaſius de Recupero me ſubſcripſi.

Ego Vinchiguerra de Milichio me ſubſcripſi.

Ego Franciſcus de Collo me ſubſcripſi.

Ego Notarius Bonſignorus Thomaſii de Terrana me ſubſcripſi.

Ego Salamon Jacobi de Sancto Miniato me ſubſcripſi.

Ego Martinus de Pactis, qui ſupra, Regius Publicus Notarius Civitatis Agrigenti rogatus pręſens publicum inſtrumentum conſcripſi, & meo ſigillo ſignavi.

Pręſentatus Meſſanę penes acta M. R. C. decimo quarto Julii decimę ſecundę Indictionis ad inſtantiam Ugolini de Labro Militis pręſentatus in judicio.

Ex tabulario Eccleſiæ Agrigentinæ.

Num. XXVIII.

PEtrus Secundus Dei gratia Rex Siciliæ, Secretis, & Magiſtris Procuratoribus totius Siciliæ, & Exactoribus novarum Cabellarum per Curiam in Sicilia pro conſtructionibus Galearum, tam præſentibus, quam futuris fidelibus ſuis gratiam ſuam, & bonam voluntatem.

Olim de menſe Martii primæ Indictionis nuper elapſæ pro Communi Venetiarum factæ fuerunt per Curiam noſtram ſub ſigillo Glorioſiſſimi Principis Domini Regis Friderici Illuſtris Regis Siciliæ, Reverendi Domini Genitoris noſtri ſanctæ memoriæ, patentes literæ directæ, Secretis, & Magiſtris Procuratoribus Siciliæ tam præſentibus, quam futuris continentiæ ſubſequentis.

Fridericus Dei gratia Rex Siciliæ, Secretis, & Magiſtris Procuratoribus Siciliæ tam præſentibus, quam futuris fidelibus ſuis.

Olim de menſe Julii proximè pręteriti VIII. Indictionis ex cauſa conventionis, tranſactionis, & concordię habitę, & tractatę inter Curiam noſtram, & Marcum Juſtinianum de Venetiis devotum noſtrum tunc Ambaſciatorem, Procuratorem, & Sindicum quondam Domini Joannis Superantii, Ducis Communis Venetiarum, Dalmatiæ, atque Crohatię, & Domini quartę partis, & dimidię totius Imperii Romanię dictę Civitatis, & ſingularum partium Civitatis ejuſdem, & aliarum Terrarum, & Locorum ſubditorum eidem Duci, & dicto Communi, & aliorum non ſubditorum damnificatorum per diverſa ligna tam Siculorum, quam Cathalanorum, & aliarum gentium armata in Sicilia, & in Romania in exercitum felicis Societatis Francorum exiſtentium in dictis partibus Romanię, & inde per alia ligna armata tam ex Sicilia, quam extra dictum exercitum, quę inter Campum in Sicilia, vel in dicto exercitu feciſſent, vel receptata

Digitized by Google

fuiſſent de omnibus damnis illatis dictis Venetis, aut Subditis dicto Communi, & aliis exiſtentibus in partibus dicti Communis, & ubique locorum per Subditos noſtros cum lignis armatis in Sicilia, ſeu in partibus Romaniæ, vel alibi, aut quacumque campum feciſſent, vel receptata fuiſſent, & omni tempore retroacto, uſque ad diem tranſactionis, & concordię prędictarum Curia noſtra promiſit dare, & integraliter aſſignare dictis Duci, & Communi, ac eorum Nuntiis uncias quatuor millia octingenta nonaginta unam, tarenos octo, & gran. VI. per modum infraſcriptum,

Videlicet:

Quod de eo jure, quod Veneti, & dicti eorum Subditi erant, & ſunt ſoliti ſolvere in Dohanis noſtris totius Sicilię, & Meſſanę, nihil ſolverent, donec dictorum damnorum ſatisfactio proxima facta foret, & de jure Caſſiarum, ſeu Maldinarii, quod dicti Veneti, & eorum Subditi ſoliti erant ſolvere dictę noſtrę Curię in Sicilia, & Meſſana, ſolverent integram dimidiam partem, & tam aliam dimidiam, quam integrum Jus Dohanę cederent in ſatisfactionem dictarum unciarum quatuor millium octingentarum nonaginta unius, taren. octo, & gr. ſex uſque ad integram ſatisfactionem ipſarum, prout hęc, & alia in publico inſtrumento de dicta concordia, & tranſactione confecto plenius continetur. Cumque prędicta ſatisfactio ſuſpenſa fuerit diverſis poſtmodum concurrentibus rationibus, atque cauſis, occaſione tranſactionis, & concordię noviter initę, & tractatę inter noſtram Curiam, & Jacobum quondam Joannis devotum noſtrum, Sindicum, Ambaſciatorem, & Nuntium tam Domini Franciſci Dandulo, nunc Ducis dicti Communis, quam Communis ejuſdem de omnibus damnis illatis, tam per fideles, & ſubditos noſtros dictis Venetis, & eorum ſubditis, quam eoſdem Venetos, & eorum ſubditos fidelibus, & ſubjectis noſtris a die dictę concordię cum prędicto Marco, & Civitate, & uſque in hodiernum diem velimus, & noſtrę placeat Majeſtati, quod prædictis Duci, & Communi, vel eorum Nuntiis de prædictis unceis quatuor millibus octingentis nonaginta, tarenis octo, & granis ſex ſibi per Curiam noſtram debitis, ut præfertur in jure Dohanarum rerum, & mercium per Venetos, & eorum Subditos a primo proximè futuri menſis Aprilis præſentis primæ Indictionis in antea immittendarum in Terras, & loca maritima Siciliæ noſtri Demanii, & ab inde extrahendarum percipiendis per ſtatutos, & ſtatuendos per eos, nomine, & pro parte ipſorum in ſingulis Portubus, & Maritimis Siciliæ dicti noſtri Demanii ſatisfactio plena fiet.

Fidelitati itaque veſtræ mandamus, quatenus ſtatuendis per dictos Ducem, & Commune ſuper perceptione jurium dictarum Dohanarum rerum, & maritimarum per dictos Venetos, & eorum ſubditos a dicto primo Aprilis in antea immittendarum, & extrahendarum ut ſupra, jura ipſa uſque ad integram ſatisfactionem dictarum unciarum quatuor millium octingentarum nonaginta unius, tarenorum octo, & gr. ſex percipere ſine moleſtia permittatis. Nos enim pecuniam jurium eorumdem percipiendam per ſtatuendos prædictos Cabellotis prædictarum Dohanarum a quantitate pecuniarum per eos Curiæ noſtræ debendarum ratione Dohanarum ipſarum computari volumus, & admitti.

Nihilominus ſinguli veſtrum a Cabellotis decretæ vobis provinciæ de quantitate prædicta percipienda per ſingulos dictorum ſtatuendorum, pro quibus rebus, & mercibus, quibus diebus, & quantum quolibet anno quomodolibet debitam informationem recipiant, quam de menſe Auguſti cujuslibet anni Curiæ facere ſtudeant, & procurent, qualiter ex informationibus ipſis Curia noſtra perpendat in dictis Duci, & Communi de prædicta pecuniæ quantitate fuerat ſatisfactum. Datum &c.

Nu-

Nuper verò Marcus Polus de Venetiis Ambaſciator, Procurator, Nuntius ſpecialis Domini Bartholi Gradanico Ducis dicti Communis, ejuſdem Communis, ac Subditorum ſuorum, ut Curiæ noſtræ conſtitit, devotus noſter ad Majeſtatem noſtram propterea deſtinatus a noſtra Celſitudine dicti Communis, & ſubditorum ſuorum nomine poſtulavit, ut, cum a certo elapſo tempore citra, acceſſus Venetorum in Siciliam, cum rebus, & mercibus eorum, ut ſolitum, prædicto Communi certis occaſionibus fuerit interdictus; & propterea ſuſpenſa fuerit ſatisfactio pecuniæ ad ſolvendum reſtantis ex ſumma dictarum unciarum quatuor millium octingentarum nonaginta unius, tarenorum octo, granorum ſex debitæ dictis Duci, & Communi occaſione dictæ tranſactionis, & concordiæ per noſtram Curiam ſuper juribus Dohanarum prædictarum, & dimidia parte juris Caſſiarum, ſeu Maldinarii, quod dicti Veneti, & eorum ſubditi tunc erant ſoliti noſtræ Curiæ ſolvere. Subſequenter vero de menſe Septembris octavæ Indictionis proximè præteritæ inter Matthæum Parlaranu de Meſſana fidelem noſtrum ad dictum Ducem, & Commune in Ambaſciatorem, Procuratorem, & Nuntium Majeſtatis noſtræ pro nobis, ſubditis, fidelibus, & diſtrictualibus noſtris propterea deſtinatum ex una parte, & Nicolinum de Fiaganeſto, Sindicum, Procuratorem, & Nuntium Domini Franciſci Dandulo nunc Ducis Communis ejuſdem, pro ipſo Duce, Conſiliis, Communi, fidelibus, & ſubditis dicti Communis ex altera habitis, & firmatis ſuſpenſio ſatiſfactionis pecuniæ memoratæ, inter alia habeat, & habere debeat per noſtram Curiam revocari, & dictis Duci, & Communi hujuſmodi ſatisfactio per conſequens reſtitui, exequutioni debitæ demandanda, in ea ſcilicet parte, quæ reſtat in ea exequutio facienda, ut in quodam publico inſtrumento de concordia, compoſitione, tranſactione, & pacto inter ipſos Matthæum, & Nicolaum nominibus, quibus ſupra, proinde habitis, & firmatis ad cautelam utriuſque partis confecto, acto Venetiis anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo trecenteſimo trigeſimo nono, menſe Septembris, vigeſimo ſeptimo ejuſdem, octavæ Indictionis Curiæ noſtræ oſtenſo, quod inſpici juſſimus, atque legi, hæc inter alia clariùs ſunt diſtincta ſuper ſatisfactione præmiſſa facienda dictis Duci, Communi, & aliis ſubditis ejus, in forma jam dicta, noſtras ei mandare fieri litteras dignaremur. Cujus petitione, utpote juſta, admiſſa, volentes pro obſervantia promiſſorum, & ut antiqua benevolentia, qua utimur, quæ ſcandalum, & turbationem aliqualem receperat, integraliter ſolidetur utrinque, in ſatisfactionem dictæ pecuniæ dicto Communi, ut præfertur, ad ſolvendum ceſſantis intervenire nullum defectum, etiam recuperatione, & perceptione ipſius ex ipſarum jure Dohanarum, ac medietatem juris, & dirictus dictarum Cabellarum novarum haberi, per quos Ducem, & Communem in excambium dicti juris Caſſiarum, ſeu Maldinarii medietatem dicti juris Cabellarum novarum haberi, & percipi in forma jam dicta per noſtram Curiam eſt proviſum, ita quod ſoluta per dictos Venetos medietate dirictus præfati, tam alia dimidia pars juris ejuſdem, quam jus integrum Dohanarum prædictarum cedat in ſatiſfactione pecuniæ memoratæ per ſtatuendos ad id per dictum Ambaſciatorem loco, & vice dictorum Ducis, & Communis ex tunc in antea quouſque eis exinde integraliter ſatisfiat, dictaque concordia inter Majeſtatem noſtram, & eos durabit, integraliter haberi, & requiri debere juxta promiſſionem, & obligationem per dictum Matthæum ex parte noſtræ Curiæ inde factam in tranſactione, & concordia memoratis.

Fidelitati veſtræ mandamus, quatenus ſatisfacto prius vobis Exercitoribus dictarum Cabellarum novarum de medietate juris, ſeu dirictus dictarum Cabellarum novarum pro rebus, & mercibus eorumdem Venetorum, & Subditorum dicti Communis ex nunc

in

in antea in Civitates, Terras, & loca Siciliæ noſtri Demanii, ac Civitatis Meſſanæ, & Panormi immittendis, & abinde extrahendis juxta tenorem ſcilicet Capitulorum ſuper modo perceptionis diričtus prædičti per noſtram Curiam editorum, & reformatorum deinde, tam vos Secreti, quam Exercitores præfati ſtatuendi per dičtum Ambaſciatorem ipſius Ducis, & Communis nomine ſuper perceptione tam juris Dohanarum prædičtarum, quam diričtus dičtarum Cabellarum novarum pecuniæ tam integri juris Dohanarum, quam reliquæ medietatis diričtus dičtarum novarum Cabellarum noſtræ Curiæ contingentium pro rebus, & mercibus per dičtos Venetos, & dičti Communis ſubditos ex nunc in antea in Siciliam, ac dičtas Civitates Meſſanæ, & Panormi immittendis, & ab inde extrahendis, uſque ad integram ſatisfačtionem dičtæ pecuniæ dičto Communi, ut præfertur, ad ſolvendum reſtantis ex dičtis unciis quatuor millibus očtingentis nonaginta una, tarenis očto, & granis ſex iis debitis, ut eſt dičtum, ad opus, & pro parte dičtorum Ducis, & Communis, quouſque eis proinde integraliter ſatisfiat juxta formam conventionis, & concordiæ prælibatæ exigere, recolligere, percipere, & habere ſine moleſtia permittatis: nos enim pecuniam tam dičti juris integri Doganarum, quam medietatis diričtus dičtarum novarum Cabellarum percipiendam, & habendam per ſtatutos eoſdem Cabellotis earumdem Cabellarum, Doganarum, & prædičtarum aliarum novarum in quantitate pecuniæ per eos noſtræ Curiæ debita ratione locorum Cabellarum hujuſmodi computari volumus, & admitti.

Nihilominus ſingulis veſtrum Officialium prędičtorum anno quolibet a Cabellotis Dohanarum, & novarum Cabellarum prędičtarum decretę vobis Provincię de quantitate pecunię percipiendę per ſingulos dičtorum ſtatuendorum, pro quibus rebus, & mercibus, quibus diebus, & quanto, & quolibet debitam informationem recipiant, quam de menſe Auguſti cujuslibet anni noſtrę Curię mittere, & aſſignari facere ſtudeant, & procurent, qualiter ex informationibus ipſis Curia noſtra perpendat, quando dičti Ducis, & Communi de prędičta pecunię quantitate fuerit ſatisfačtum. Datum Meſſanę Anno Dominicę Incarnationis MCCCXL. XIV. Novembris IX. Indičtionis.

Hujus in Publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

Num. XXIX.

FRidericus Dei gratia Rex Sicilię Bajulo, Judicibus, Juratis, & univerſis hominibus Civitatis Panormi fidelibus ſuis gratiam ſuam, & bonam voluntatem.

Licet cum Conſiliariis noſtris habita deliberatione conſultò ordinatum extitiſſet hačtenus, & proviſum, quod Nos prędičtum Regem Sicilię titulum reſumere deberemus: Nos autem id uſque nunc decrevimus differendum: Verum ex quo hoſtes noſtri contra Nos, ac vos, & alios fideles noſtros venire infeliciter ſe accingunt, quod licite, & juſte facere poſſumus, ulterius ſub diſſimulatione nolumus aliquatenus prorogare, prędičtum titulum, ſicut deliberatum extitit, & proviſum, feliciter in Chriſti nomine reſumentes: propter quod fidelitati veſtræ mandamus, quatenus ſingulis Notariis publicis dičtæ Civitatis Panormi ex parte noſtri culminis injungatis, quod in inſtrumentis, & aliis

& aliis ſcriptis publicis, & occultis per eos de cętero faciendis noſtrum apponant titulum prælibatum. Datum apud Caſtrum Johannis ſub parvo Sigillo noſtro Secreto, Nono Auguſti XII. Indictionis.

Ex Chronica ab Martene edito Cap. LXXIX.

Num. XXX.

SErenisſimo Principi Jacobo Domino Illuſtri Regi Aragonum, Valentiæ, Sardiniæ, & Corſicæ, Comiti Barcinonæ, Eccleſiæ Vexillario, Ammirato, & Capitaneo Generali, Reverendo, & Reverendiſſimo Fratri ſuo, ut Patri.

Fridericus Dei gratia Rex Trinacriæ cum fraternæ dilectionis integritate ſalutem, & proſperorum ſucceſſuum incrementa. Cum ſuper matrimonio contrahendo inter nobilem Octonem de Montecateno conſanguineum, & devotum noſtrum, & nobilem Iſabellam Comitiſſam Empuriorum filiam noſtram; ſuper quo vos nobis non ſemel, ſed pluries recolimus reſcripſiſſe: & nos novit ille, cui nihil obtegitur, avidè, multumque laboravimus, ut obſervaremus, ſuper ejuſdem complimento, beneplacitis veſtris, cum Reverendis in Chriſto Patribus Petro Syracuſano, & Gaſtono Oſcenſi Epiſcopis, ac nobili Raymundo de Montecateno Fratribus ejuſdem Octonis conſanguineis noſtris contulerimus, & rei totius ſeriei aperimus veritatem, & hac de cauſa ſignanter cum dictus Oſcenſis Epiſcopus redeat ad partes ipſas paternæ fraternitatis veſtræ conſcientiam melius vivæ vocis oraculo, quam Nos literis informavimus. Datum Meſſanæ XI. Octobris X. Indictionis 1313.

Ex Rocho Pirro in Notitia Eccleſiæ Syracuſanæ ad ann. 1313.

Num. XXXI.

FRidericus Dei gratia Rex Siciliæ Bajulo, Judicibus, Juratis, & univerſis hominibus Civitatis Panormi fidelibus ſuis gratiam ſuam, & bonam voluntatem.

Patet ubique terrarum, & locorum Siciliæ a longe ſatis, & ad remota ubique incognitum non extitit, quod poſtquam ſcivimus hoſtes noſtros ante Trapanum cum toto ſuo exfortio tam per mare, quam per terram ſiniſtris auſpiciis declinaſſe, eamque potentiæ ſuæ viribus obſediſſe, & tenere circiter coarctatam: felix noſtrum galearum ſtolium in numeroſa quantitate armari juſſimus cum celeritate, & inſtantia, & muniri, ac repleri ultra neceſſarium gentis numerum copioſa multitudine militum, & aliorum bellatorum: noſque cum potenti terreſtri exercitu præveniendo ipſum ſtolium venimus apud Montem ex conſideratione præſenti, ut dictam Terram Trapani a perſequentium doloſis inſidiis, & calumnioſis inſultibus poſſemus cum adjutorio Altiſſimi liberare, & ad nihil aliud menti noſtræ ſedulitatis, & cordis cogitatio vigilabat. Sed

Deus

Digitized by Google

Deus excelſus, in cujus manu ſunt omnia, non per viam belli, quæ ſatis erat præſto, ſi venire noſtrum extolium potuiſſet cum opportunitate ventorum, ſed per aliam viam minoris diſcriminis negotium dirimere placuit, & partis utriuſque imminentibus periculis providere, ne ex conflictu bellantium ſequeretur ſtrages gentium, & effuſio ſanguinis Chriſtiani. Attendentes itaque quod, impedimentis ventorum obſtantibus, dictum extolium noſtrum Vaſſellis hoſtium nullatenus poterat adhærere, & totum id de ſuperni Judicis judicio procedebat cum non ſicut in homine viæ ejus, intervenientibus mediatoribus ex juſta rationabili cauſa, habitoque hinc inde tractatu ad ſopienda, & ſedanda frementis guerræ diſſidia, pari voto tandem treguarum fœdera cum hoſtibus ipſis eas ſpecialiter requirentibus devenimus in hunc modum: videlicet, quod treguæ tractatæ, & firmatæ ſunt duraturæ ex nunc uſque ad menſem Martii futurum XIV. Indictionis inter nos, & ipſos, ex parte noſtra ſolum in Sicilia Inſula, eique adjacentibus Inſulis, etiam Gerborum, & Kerkinarum, & Civitatis Rhegii, Caſtris, Terris, & Locis, quæ in Calabria poſſidemus, & ex parte hoſtium in toto Regno ultra Pharum, Provincia, Pedemontana, Forkalkerio, Ferriario, Romandiola, Thuſcia, Lombardia, Urbe, diſtrictu ejus, & Campania: ita quod in iſto intermedio, ſeu intervallo quilibet teneat loca, quæ tenet tam in Sicilia, quam Calabria quietè, & quod unus non offendat terras, & loca alterius, aut ſubditos ejus per ſe, & ſubditos ſuos, nec ſit cauſa offenſionis, ſed treguas ipſas obſervet per ſe, & ſubditos ſuos inviolabiliter juxta poſſe, & bona fide; propter quod fidelitati veſtræ mandamus, quatenus toto ipſo tempore durante dictas treguas ſecundum ipſorum Capitulorum formam inviolabiliter, & tenaciter obſervetis. De prædictis autem Nicolaus de Mayda Miles Conſiliarius familiaris, & fidelis noſter, qui his interfuit, poterit vos latius informare. Datum in Monte S. Juliani XVII. Decembris, XIII. Indictionis.

Ex Chronico ab Martene edito Cap. LXXXII.

Num. XXXII.

FRidericus Dei gratia Rex Siciliæ. Regalibus attendit titulis ad augumentum, & principalis honoris decus, & gloria rutilat cum fidelium ſuorum merita, quos grata fidelitatis obſequia condignos approbat, & oſtendit, beneficiis, libertatibus, & gratiis liberaliter recompenſat. Per præſens itaque Privilegium notum fieri volumus univerſis tam præſentibus, quam futuris, quod nos diligentius attendentes labores innumeros, vigilias multas, & ſollicitudines curioſas, quas Trapanenſes fideles noſtri, dum hoſtes noſtri terram noſtram Trapani tenerent obſeſſam, in cuſtodiendo, defendendo, & conſervando cum fidelitate noſtro dominio, promptis voluntatibus ſubjecerunt, fidei noſtræ obſervantiam quibuslibet damnis, & duris accidentibus præponentes, ut fidei virtus, & devotionis zelus, quæ in eiſdem viguiſſe noſcuntur, non eſſent a præmio ſequeſtratę; Univerſis Burgenſibus habitatoribus in dicta terra Trapani, & eorum hæredibus in perpetuum de liberalitate mera, & ſpeciali gratia, & ex certa noſtra ſcientia conceſſimus, & concedimus, quod ipſi libertatibus, immunitatibus, & gratiis, quibus Meſſanenſes Cives Meſſanæ, & Syracuſani Cives Syracuſiæ utuntur, & gaudent,

uti

uti valeant, & gaudere, ac perpetuo gaudeant, & utantur fidelitate noſtra: nec non Conſtitutionibus Sereniſſimi Domini Jacobi Aragonum, & olim Siciliæ Regis, Illuſtris Reverendi, & Chariſſimi Fratris noſtri, dum Regno Siciliæ præfuit editis, atque noſtræ Curiæ, & cujuslibet alterius Juribus ſemper ſalvis; Univerſis Officialibus Curiæ noſtræ, & perſonis aliis fidelibus noſtris præſentis privilegii tenore mandantes, ut nullus cujuſcumque gradus, ſeu conditionis exiſtat, Trapanenſes prædictos, vel aliquos, ſeu aliquem eorum ſuper prædictis immunitatibus, libertatibus, & gratiis contra hujuſmodi privilegii formam inquietare, vel moleſtare præſumat. In cujus rei teſtimonium, certitudinem, & cautelam præſens Privilegium ſibi exinde fieri, & ſigillo noſtro pendenti juſſimus communiri. Datum in Urbe felici Panormi per Nobilem Fridericum de Inciſa Militem, Regni Siciliæ Cancellarium. Anno Dominicæ Incarnationis MCCCXIIII. Menſe Februarii XXI. ejuſdem, XIII. Indictionis.

Ex Regiſtro Regiæ Cancellariæ anni 1312. *fol.* 68. *a tergo*.

FRidericus Dei gratia Rex Siciliæ. Per præſens Privilegium notum fieri volumus univerſis tam præſentibus, quam futuris, quod ad ſupplicationem pro parte Univerſitatis hominum Terræ Trapani noſtrorum fidelium proinde Culmini noſtro factam, conſideratis fide pura, & devotione ſincera, quam Univerſitas ipſa erga noſtram Excellentiam conſtanter geſſit, & gerit; nec minus fidelibus, & gratis ſervitiis per eam Celſitudini noſtræ collatis, & quæ conferre poterit in futurum, auctore Domino, gratiora, eidem Univerſitati gratioſe concedimus; Quod Forum, ſeu Nundinas, quod annis ſingulis, videlicet de menſe Auguſti, in eadem Terra fieri conſueverat, & expoſitum extitit a primo Septembris proximo futuræ XIIII. Indictionis in antea poſſint in loco ſolito quolibet anno facere de eodem menſe Auguſti per dies quindecim duraturum. Propter quod per dictum tempus dierum quindecim, univerſos, & ſingulos Mercatores, & perſonas alias qui ad prædictum Forum, ſeu Nundinas ipſas vendiderint ibidem, & ab inde extraxerint a jure Dohanæ, & alio quocumque diritu liberos eſſe volumus, & immunes; futuris Secretis, & Magiſtris Procuratoribus Siciliæ, nec non Cabellotis, & Credenceriis Cabellarum, & jurium Curiæ Terræ Trapani, ad officium Secretiæ, & Procurationis ſpectantium a prædicto primo Septembris in antea fidelibus noſtris præſentis Privilegii tenore mandantes, quod nullus eorum contra formam hujuſmodi Privilegii venire, vel facere quoquo modo præſumat, fidelitate noſtra, & hæredum noſtrorum in omnibus ſemper ſalvis. In cujus rei teſtimonium, certitudinem, & cautelam præſens privilegium ſibi exinde fieri juſſimus, & ſigillo noſtro pendenti muniri.

Ex Regiſtro Regiæ Cancellariæ Anni 1312. *fol.* 73.

Digitized by Google

Num. XXXIII.

FRidericus Dei gratia Rex Siciliæ. Decet Magnificentiam Regiam fidelium ſuorum merita, & grata obſequia condigna compenſatione reſpicere, ipſoſque libertatibus, & gratiis prævenire, & eos præcipue, qui adverſus guerrarum turbines procelloſos magnis animis, & erectis fidei cultum conſtantes, & ſtabiles obſervantes, labores graves, vigilias multas, & continuas ſollicitudines proinde ſubierunt, damna bonorum, & rerum illata ſibi per hoſtes æquanimiter perferendo, & perſonarum pericula, omni fugata formidine, nihilominus contemnendo. Per præſens itaque Privilegium notum fieri volumus univerſis tam præſentibus, quam futuris, quod Nos conſiderantes immenſitatem devotionis, ac fidei, quam homines Terræ Montis Sancti Juliani fideles noſtri univerſaliter ſinguli, & ſingulariter univerſi erga noſtram Celſitudinem adeo illibatam geſſerunt, & gerunt, pro qua integre conſervanda contra diverſos inſultus noſtrorum hoſtium, ſe defenſores objecere viriliter opponentes vitam eorum periculis, & facultates, & bona diverſis jacturis, & diſpendiis multimodis animosè exponere nullatenus metuerunt, labores quamplurimos, vigiliarum, & ſollicitudinum onera in tuictione terræ prædictæ diu, noctuque indefeſſa promptitudine tolerando; ac nolentes tam gratuita, tamque accepta ipſorum merita quomodolibet inremunerata tranſire, licet circa hæc ipſorum ſupplicatio nulla proceſſerit, ſed tantummodo gratitudinis debitum ad ea noſtram induxerit Majeſtatem, prædictos fideles noſtros dictæ Terræ Montis Sancti Juliani habitatores Terræ ejuſdem, & hæredes eorum in perpetuum a ſolutione pecuniæ ſubventionum, & collectarum in tota Sicilia per noſtram Curiam de cætero imponendarum ex innata nobis clementia eximimus, liberamus, ac liberos eos facimus, & exemptos. Concedentes eis nihilominus ex abundantiori gratia, quod ipſi fideles noſtri dictæ Terræ Montis S. Juliani, & hæredes ipſorum habitantes in eadem terra in omnibus terris, & locis noſtri Demanii ubique per Regnum noſtrum Siciliæ de omnibus rebus, & mercibus licitis, & permiſſis, quas in terras, & loca ipſa, vel aliqua ipſorum immiſerint, vendiderint ibidem, vel aliunde extraxerint tam per mare, quam per terram a jure Dohanæ, & alio quocumque dirictu, præter quam a jure exhituræ, & Dohanæ victualium, & leguminum extrahendorum extra Regnum, ſint, & eſſe debeant perpetuo liberi, & immunes, fidelitate noſtra, & noſtrorum hæredum in omnibus ſemper ſalva. Ad hujus autem rei memoriam, & robur in poſterum valiturum præſens privilegium eis exinde fieri juſſimus, & ſigillo noſtro pendenti muniri.

Datum in Monte Sancti Juliani per Nobilem Fridericum de Inciſa Militem, Regni Siciliæ Cancellarium. Anno Dominicæ Incarnationis MCCCXIIII. Menſe Decembris, primo ejuſdem, XIII. Indictionis.

Ex Regiſtro Regiæ Cancellariæ Anni 1312. fol. 89. & fol. 90.

Num. XXXIV.

Num. XXXIV.

FRidericus Dei gratia Rex Siciliæ. Noſtrum cedit ad commodum quidquid de noſtris juribus fidelibus noſtris ipſorum gratioſe remittimus ad profectum. Non enim utilitatibus noſtris detrimentum ingeritur, quod liberaliter benemeritis munificentia noſtra concedit, cum cariora ſunt præclara devotionis, & fidei teſtimonia; tunc enim, id quod conceditur, nobis conferet incrementum. Per præſens itaque Privilegium notum fieri volumus univerſis tam præſentibus, quam futuris, quod nos attendentes fidem puram, & devotionem ſinceram, quam Cives, & habitatores Civitatis Rhegii fideles noſtri erga Celſitudinem noſtram prompto zelo geſſerunt, & gerunt, nec minus grata ſtudia, & accepta ſervitia, quæ noſtro Culmini promptis animis contulerunt, & ad præſens conferunt, & conferre poterunt dante Domino in futurum; Attendentes etiam, quod dicta Univerſitas Rhegii vicina terris noſtrorum hoſtium, & objecta per hoſtiles incurſus damna plurima frequenter incurrit, & in damnificandis hoſtibus Cives Civitatis ejuſdem multis laboribus exponuntur, eiſdem Civibus, & habitatoribus dictæ Civitatis Rhegii, ejuſque diſtrictus, & eorum hæredibus, habitantibus tamen in Civitate eadem, & diſtrictu ſuo prædicto, de liberalitate mera, & ſpeciali gratia, ex noſtra certa ſcientia concedimus in perpetuum, quod de omnibus rebus, & mercibus eorum, quas a primo die menſis Septembris proximæ futuræ quintæ decimæ Indictionis in antea in Civitate Meſſanæ tam per mare, quam per terram immiſerint, vendiderint, emerint in ea, & ab inde per mare extraxerint, a jure Dohanæ ſint, & eſſe debeant liberi, & immunes, fidelitate noſtra, & noſtrorum hæredum in omnibus ſemper ſalva. Secretis, & Magiſtris Procuratoribus Nobilis Civitatis Meſſanæ, vel tenentibus locum eorum, nec non Cabellotis, ſeu Credenzeriis Cabellæ Dohanæ maris, portus, & paleaciorum Civitatis ejuſdem a prædicto primo Septembris dictæ quintæ decimæ Indictionis in antea, præſentis privilegii tenore mandantes, quod ſuper libertate, & immunitate prædicta conceſſa per nos prædictis Civibus, & habitatoribus dictæ Civitatis Rhegii, & diſtrictus ſui, & hæredibus eorum, ut ſupra, ipſos, vel ipſorum aliquem, vel aliquos contra tenorem hujuſmodi privilegii noſtri non impetant aliquatenus, vel moleſtent. In cujus rei teſtimonium, certitudinem, & cautelam præſens Privilegium exinde fieri, & ſigillo Majeſtatis noſtræ pendenti juſſimus communiri.

Datum Meſſanæ Anno Dominicæ Incarnationis MCCCXVI. Menſe Junii, primo ejuſdem, XIIII. Indictionis.

Hujus in Publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

Digitized by Google

Num. XXXV.

FRidericus Dei gratia Rex Siciliæ. Bajulo, Judicibus, & univerſis hominibus Civitatis Panormi fidelibus ſuis gratiam ſuam, & bonam voluntatem.

Conſtat fidelitas veſtra, quòd venientibus nuper ad nos tam Nunciis Sanctiſſimi Patris, & Domini noſtri Domini Summi Pontificis, quam Serm̃i Domini Regis Jacobi Illuſtris Regni Aragonum, Valentiæ, Sardiniæ, Corſicæ, Comitiſque Barchinonenſis, & S. Romanæ Matris Eccleſiæ Vexillarii, Ammirati, & Capitanei Glorioſi Cariſſimi Fratris noſtri, nec non Domini Roberti, Illuſtris Domini Regis Caroli II. filii per eos ad noſtram præſentiam diebus proximis deſtinatis, ipſi Nuncii dicti Domini Summi Pontificis nobis auctoritate ab Apoſtolica Sede ſibi commiſſa juſſerunt, quod nos cum dicto Domino Roberto treguas iniremus duraturas, & ſervandas ex nunc uſque ad feſtum proximum futurum Nativitatis Domini, & ex tunc in antea per annos tres continuos numerandos, ipſaſque iniremus; pro quarum obſervatione treguarum ſpiritualem, & temporalem pœnam auctoritate præmiſſa ſtatuent utrique parti, & imponere habent, pro ut eis videbitur expedire. Prædicti vero Nuncii tam dicti Domini Summi Pontificis, quam dicti Domini Fratris noſtri, & ex tenore litterarum dictorum Domini Summi Pontificis, & Domini Fratris noſtri noſtro culmini tranſmiſſi petierunt nos ad id congruis ſuaſionibus inducendo, ut terras, caſtra, & loca poſita in Calabriæ partibus noſtro olim ſubmiſſa dominio, eiſdem Nunciis dicti Domini Summi Pontificis tenenda per eos pro parte Sanctæ Romanæ Matris Eccleſiæ aſſignari facere deberemus, ut de iis dicta Mater Eccleſia quicquid juris fuerit cognoſcat, determinet, & decidat. Percepimus autem tam ex inſinuatione litterarum dicti Domini Summi Pontificis, quam etiam eorumdem Nunciorum relatibus; quod idem Dominus Summus Pontifex grandi affectat deſiderio nos, & prædictum Dominum Robertum ad firmam pacem, & perpetuam reformare, quæ tam noſtris, quam veſtris, & aliorum noſtrorum fidelium deſideriis concedente Altiſſimo, erit placita, & accepta. Datum Meſſanæ XVI. Junii XV. Indictionis.

Ex Tabulario Excellentiſſimi Senatus Panormitani.

Num. XXXVI.

FRidericus Dei gratia Rex Siciliç. Munificentia Regia prçclaris laudum titulis rutilat, ſuçque celebris famç prçconium extollitur in ſubditis, ac per nationes exteras effertur, & ſolemniter divulgatur cum fidelibus ſuis benemeritis, illiſque prçcipue, qui ſævientibus guerrç turbinibus, in hoſtiles incurſus per illata diſpendia concurrere non potuerunt, quin ſinceritatem fidei, & devotionis integritatem ſtabiles obſervarent, libertates, immunitates, & gratias impertitur. Per præſens itaque Privilegium notum fieri volumus univerſis tam præſentibus, quam futuris, quod nos conſiderantes fidem puram, & devotionem ſinceram, quam homines Civitatis Mazariç fideles noſtri erga

ga Celſitudinem noſtram conſtanter geſſerunt, & gerunt, a quo nulla turbatio temporis, nulla damnorum illacio facta per hoſtes hactenus avertere potuerunt; nec minus grata ſatis, & accepta ſervitia per eos prompto zelo Celſitudini noſtræ collata, quę ad præſens conferunt, & in futurum conferre poterunt, annuente Domino, gratiosè univerſis hominibus dictę Civitatis Mazarię Civibus, & habitatoribus Civitatis ejuſdem, & eorum hęredibus in perpetuum infraſcriptas libertates, immunitates, & gratias de benignitate Regia, & ex certa noſtra conſcientia concedimus, & liberaliter elargimur, videlicet: Quod ipſi Cives, & habitatores dictę Civitatis Mazarię a contributione, & ſolutione pecuniæ, promiſſionis, & ſubventionis in tota Sicilia, vel Sicilia citra flumen Salſum pro tempore per noſtram Curiam imponendę, taxandę, & recolligendæ in perpetuum ſint, & eſſe debeant liberi, & immunes, dummodo de pecunia univerſitatis eorum quolibet anno ſolvantur, & expendantur in opere maragmatis, reconſtructonis, & reparationis murorum dictę Civitatis Mazarię, donec muri ipſi perfecti, & ſine aliquo defectu reconſtructi, & reparati ſint, unciæ auri ducentę ponderis generalis. Et dicto vero recoſtructionis, & reparationis opere totaliter completo, ut expendi abinde in antea prędictarum uncearum ducentarum ſolutio ceſſet, & penitus deleatur: & nihilominus pro conſtructione dictorum murorum uncię triginta de univerſitatis pecunia anno quolibet per Aſſiſarum modum habeantur, reponantur, & conſerventur, expendendę, & convertendę in reparatione, & conſervatione, & in refectione murorum ipſorum.

Item quod prędicti Cives, & habitatores Mazarię, ſuique hęredes de omnibus rebus, & mercibus eorum licitis, & permiſſis in terris, & locis noſtri demanii intrando, ſtando, vendendo, emendo, & ab inde exeundo cum eis tam per mare, quam per terram a jure Doganæ, fundici, & alio quocumque dirictu noſtræ Curiæ proinde debito ſint, & eſſe debeant liberi & immmunes.

Item quod ipſi uti poſſint conſuetudinibus illis, quibus Cives Civitatis noſtræ Panormi ūtuntur in quæſtionibus ordinariis, quæ oriuntur inter eos, de quibus a noſtra Celſitudine Privil gium minime habuerunt; Ita tamen quod exinde Eccleſiaſticis libertatibus, quibus nullatenus volumus derogari, ac perſonis exteris, nullum præjudicium generetur.

Item quod prædicti Cives, & habitatores Mazariæ in foreſtis Caſtriveterani, & Berri-payri poſſint incidi facere ligna viridia pro faciendis aratis, ſtragulis, nec non domibus, & paleariis maſſariarum ſuarum, per magiſtros tamen, qui præmiſſa conſtruere, & facere ſciunt: iidemque Cives, & habitatores poſſint in eiſdem foreſtis incidere, vel incidi facere ligna mortua ad comburendum de ramis pendentibus, etiam quælibet alia ligna minuta, quæ non faciunt arbores: foreſtariis dictarum foreſtarum moleſtiam, & contradictionem, vel impedimentum in aliquo non præſtantibus.

Item quod liceat Civibus, & habitatoribus ipſis in eadem Civitate Mazariæ quolibet anno de Menſe Auguſti, in feſto videlicet Sancti Salvatoris, Forum, ſeu Nundinas facere, duraturas per triginta dies, quindecim videlicet primos præcedentes feſtum ipſum, & reliquos quindecim dies idem feſtum immediate ſequentes, liberos a jure Dohanæ, & alio quocumque dirictu Curiæ noſtræ; Ita quod nulli Mercatores, vel aliæ perſonæ tam exteri, quam de prædicta Civitate Mazariæ pro rebus, & mercibus deferendis ad prædictum Forum, ſeu Nundinas vendendis, vel emendis in eis, & ab inde portandis aliò per prædictos triginta dies jus aliquod noſtræ Curiæ, vel Officialibus ipſius Curiæ ſolvere teneantur.

Item

Item quod Bajuli qui pro tempore fuerint in eadem Civitate Mazariæ per Juſtitiarios Vallis Mazariæ, vel Officiales alios, ad quorum hoc ſpectabit officium ad dandum delatos, ſeu delatidnos, ſive amiſsiones coram eiſdem Bajulis factas, & faciendas per Cives Civitatis ipſius, vel alios nullatenus compellantur.

Et quod iidem Cives, & habitatores Mazariæ pro victualibus emendis per eos, vel eorum, alioſque in terris, & locis circumadjacentibus, & vicinis Baronibus ipſorum, vel Curiæ noſtræ, aut Officialibus noſtræ Curiæ, ſi terra, & loca ipſa ſunt in manibus noſtræ Curiæ abinde extrahendis, & ferendis apud Mazariam, vel extra Siciliam grana duo, vel aliquid aliud per ſalmam, ſicut Barones ipſi indebite, & contra ſtatuta noſtræ Curiæ ſtatuerunt, vel alium dirictum in terris, & locis ipſis ſolvere, minime teneantur, fidelitate noſtra, & hæredum noſtrorum, & alterius juribus ſemper ſalvis. Omnibus Officialibus noſtræ Curiæ præſentibus, & futuris, ad quorum hæc ſpectant, & ſpectabunt officia, nec non Baronibus prædictarum terrarum, & locorum præſentis privilegii tenore mandantes, quod prædictis Civibus, & habitatoribus Mazariæ, & eorum hæredibus habitatoribus Civitatis ipſius prædictas immunitates, libertates, & gratias eis per nos conceſſas, ut ſupra, obſervent, & faciant inviolabiliter obſervari. In cujus rei teſtimonium, certitudinem, & cautelam præſens Privilegium eis exinde fieri, & ſigillo Majeſtatis noſtræ pendenti juſſimus communiri.

Datum in felici Urbe Panormi per Nobilem Fridericum de Inciſa de Sacca Militem, Regni Siciliæ Cancellarium. Anno Dominicæ Incarnationis MCCCXVIII. Menſe Junii, XIIII. ejuſdem, Primæ Indictionis.

Ex Regiſtro Regiæ Cancellariæ Anni 1312. *fol.* 70. *a tergo.*

Num. XXXVII.

FRidericus Dei gratia Rex Siciliæ. Creſcentibus fidelium, & ſubjectorum noſtrorum meritis, erga eos munificentia noſtra creſcit, ipſoſque ſucceſſive novis gratiis, & liberalitatibus ampliamus, ut exinde virtus fidei nutriatur in eis, ac augumentum continue producatur. Per præſens itaque privilegium noſtrum notum fieri volumus univerſis tam præſentibus, quam futuris, quod nos attendentes argumenta puræ devotionis, & fidei, quibus univerſi homines Terræ Saccæ fideles noſtri circa Celſitudinis noſtræ ſervicia, & maxime in ipſius Terræ Saccæ defenſione ſalubri, cum a noſtris hoſtibus tenebatur obſeſſa, in qua operoſos labores, vigilias multas, & indefeſſam ſollicitudinem æquanimiter eos conſtitit tolleraſſe, liquidè claruerunt. Licet dudum Serenitas noſtra gratioſe conceſſit, quod Burgenſes, & habitatores prædictæ Terræ Saccæ de rebus, & mercibus eorum licitis, & permiſſis ab inde quocumque voluerint deferendis, ac immittendis, & deferendis de una Terra ad aliam infra eamdem Inſulam, a jure Dohanæ, & alio quocumque dirictu eſſent liberi, & immunes, & pro eiſdem rebus, & mercibus eorum, ſtando, intrando, & exeundo, ſicut ſupra diſtinguuntur, terra, marique, nullum jus Dohanæ, & alterius cujuſcumque dirictus propterea noſtræ

Cu-

Digitized by

Curiæ debitum, eidem Curiæ, vel Officialibus ipſius exhibere, & ſolvere teneantur, ſicut in quodam Privilegio eis ſub pendenti noſtro ſigillo, quo tunc generaliter utebamur, exinde facto, hæc, & alia latius exprimuntur: Nuper vero ad ſupplicationem pro parte dictorum Burgenſium, & habitatorum præſcriptæ Terræ Saccæ proinde Culmini noſtro factam, eis de liberalitate mera, & ſpeciali gratia, & certa noſtra ſcientia uberiorem ipſis gratiam faciendo concedimus, quod de omnibus rebus, & mercibus eorum licitis, & permiſſis, de quibuſcumque mundi terris, & locis, partibus extra Siciliam poſitis per eos, vel eorum aliquos in quaſcumque Civitates, Terras, & loca noſtri Demanii ipſius Inſulæ noſtræ Siciliæ immittendis, & deferendis, a jure Dohanæ, & alio quocumque dirictu noſtræ Curiæ debito ſint, & eſſe debeant liberi, & immunes. Omnibus Officialibus noſtræ Curiæ præſentibus, & futuris, ad quorum hoc ſpectat, & ſpectabit officium, præſentis Privilegii tenore mandantes, quod prædictis Burgenſibus, & habitatoribus Terræ Saccæ prædictam libertatem, & immunitatem eis per nos conceſſam, ut ſupra, obſervent, & faciant inviolabiliter obſervari. In cujus rei teſtimonium, certitudinem, & cautelam præſens Privilegium eis exinde fieri, & ſigillo Majeſtatis noſtræ juſſimus communiri.

Datum Meſſanæ per Nobilem Fridericum de Inciſa de Sacca Militem, Regni Siciliæ Cancellarium. Anno Dominicæ Incarnationis MCCCXVII. Menſe Decembris XIIII. ejuſdem, Primæ Indictionis.

Ex Regiſtro Regiæ Cancellariæ Anni 1312. fol. 69. a tergo, & fol. 90. a tergo.

Num. XXXVIII.

FRedericus Dei gratia Rex Siciliæ, religioſo viro Abbati S. Spiritus de Panormo devoto ſuo ſalutem in Domino Jeſu Chriſto.

Cum pro ſtructione, reparatione, munitione, & armatione galearum noſtri Friderici extolii, quod in proximo futuro vere in majori numero, & ex forti, quo fieri poterit, conſtrui, reparari, muniri, & deinde feliciter armari providimus ad defenſionem, & ſtatum proſperum tam noſtrorum fidelium, quam Monaſteriorum, & Eccleſiarum quarumlibet procurata indemnitas, & tranquillitas agitur poſſeſſorum. Ad quod perficiendum, ut expedit, proventus, & Jura Inſulæ noſtræ Siciliæ bono modo ſufficere non videntur, diligenti communicato conſilio, ne tot, & tanta neceſſaria, & opportuna ſervitia remaneant imperfecta, proviſum, & determinatum extitit, quod de omnibus juribus, proventibus, & redditibus ſingularum Eccleſiarum, nec non quorumlibet Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Priorum, nec non Canonicorum, & Beneficialium quorumlibet Inſulæ noſtræ Siciliæ a primo Septembris proximæ futuræ quartæ Indictionis in antea in prædicta forma, & pro dicta cauſa pecuniale ſubſidium recipere, & habere penitus debeamus: Et propterea te præſentes habere velimus, & devotionem tuam requirimus, quatenus incontinenti receptis præſentibus, pro prædicta cauſa celeriter ad noſtram præſentiam debeas te conferre. Et ſi propterea commode nequiveris venire, procuratorem tuum ad hoc ſufficienter inſtructum, & omni tua auctoritate ſuffultum, reſponſurum, tractaturum, & facturum

Digitized by Google

rum nobiſcum ſuper his, & aliis, ac ſi præſens eſſes ad noſtram præſentiam celeriter mittas; adeo quod te, vel prædictum procuratorem tuum, ut ſupra, infra dies quindecim a die datæ præſentium in antea numerandos in Curia noſtra præſenti infallibiliter habeamus. Datum Meſſanæ XXVIII. Auguſti tertiæ Indictionis.

Ex Chronico a Martene edito Cap. XC.

Num. XXXIX.

FRedericus Dei gratia Rex Siciliæ Matthæo de Bicaro de Panormo fideli ſuo gratiam, & bonam voluntatem.

Devotis ſupplicationibus per Comites, Barones, & Milites Siciliæ fideles noſtros pro parte omnium, & ſingulorum hominum Siciliæ fidelium noſtrorum in colloquio pridie infra proximè præteritum menſem Decembris hujus quartæ Indictionis in Civitate Syracuſana per noſtram Curiam celebrato, & deinde per Univerſitates hominum ſingulorum Civitatum, Terrarum, & locorum Siciliæ in ſcriptis publicis ſub ſigillis Univerſitatum earumdem, ac Bajulorum, Judicum, Juratorum, & certorum aliorum Militum, & proborum Virorum cujuslibet Civitatis, Terrarum, & locorum prædictorum Culmini noſtro humiliter factis, ut videlicet inclytum Petrum infantem Primogenitum noſtrum cariſſimum, futurum ſucceſſorem noſtrum legitimum ad majorem firmitatem, & ſecuritatem, ac tranquillum ſtatum eorum in Regem Siciliæ coronare noſtra Excellentia dignaretur, benignius inclinati hujuſmodi coronationis ſolemnia in proxime futuro feſto Reſurrectionis Dominicæ annuente Altiſſimo in Civitate Panormi proponimus celebrare. Et quia in dictæ coronationis ſolemniis ad honorem, & decus Regiæ dignitatis plures ex noſtris fidelibus noſtri honoris, & dominii zelatores, & præcipue ad hoc aptos militari cingulo expedit decorari, tuuſque filius ad ſuſcipiendum decus militiæ aptus, idoneus, & ſufficiens dignoſcatur, nobis, & eidem primogenito noſtro plurimum complacebis, ſi dictum filium tuum decenter præpares ad decorandum ſe honore militiæ in ſolemniis ſupra dictis. Datum Trapani VI. Martii quartæ Indictionis.

Ex Chronico a Martene edito Cap. XCII, ubi hæc quoque habentur.

Forma militaris apparatus eſt cum ſpalleriis de Cindato, & manto de Cindato. Item enſe munito de argento valoris unciarum duarum, vel trium ad plus. Item ſella, fræno, & calcaribus deauratis precii unciarum duarum ad plus, & cum pari uno veſtimentorum cujuſcumque coloris, præterquam de ſcarlato, & ſine infoderatura vayrorum.

Num. XL.

Num. XL.

FRidericus Dei gratia Rex Siciliæ nobili Joanni de Claramonte Militi Regni Siciliæ Siniſcalco, Magnæ ſuæ Curiæ Magiſtro Rationali, generali Procuratori, ac Capitaneo Civitatis, Panormi Conſiliario familiari, & fideli ſuo gratiam ſuam, & bonam voluntatem.

Cum per Curiam noſtram ſit conſulte, & deliberate proviſum, quod quoties bannum per Civitates, Terras, & loca Siciliæ de cætero emitti contigerit ſubſcripto modo vulgariter banniatur, videlicet: Per multi anni la vita di l' altu Signuri Re Fridericu, e „ di l'altu Signuri Re Petru noſtri Signuri, e Regi di Sichilia, ki Deu li ſalvi, e mantegna. „ Amen. Nec non per Notarios publicos Civitatis, Terrarum, & locorum Siciliæ, in inſtrumentis, & cauthelis publicis per eos ex nunc in antea conficiendis, hæc clauſula interponatur, videlicet: Regnantibus Sereniſſimis Dominis noſtris Dei gratia Regibus Siciliæ, Illuſtri Friderico, Regni ejus anno XXVI., & inclyto Rege Petro II. feliciter. Amen. Fidelitati veſtræ mandamus, quatenus prædictam formam emiſſionis banni per prædictam Civitatem Panormi de cætero, ejuſque diſtrictum obſervari infallibiliter faciatis, & prædictam clauſulam per Notarios Civitatis ipſius, ſuique diſtrictus in inſtrumentis, & cauthelis publicis ex nunc in antea conficiendis modo prædicto, poni, & deſcribi pro parte noſtræ Curiæ infallibiliter jubeatis. Datum Meſſanæ XXVI. Junii IV. Indictionis.

Ex Tabulario Excmi Panormitani Senatus & ex Chronico a Martene edito c. CXII.

Num. XLI.

TEmpore cujus coronationis inter alia privilegia, & immunitates conceſſas dictæ Univerſitati Panormi per dictum Dominum Regem Petrum, fuit conceſſum, quod ex nunc in antea Bajulus dictæ Urbis nominaretur, & vocaretur Prætor, prout antiquitus aſſueverat vocari. De cujus Regis Petri coronatione eſt epitaphium hujus tenoris:

Fili Petre, meum populum tibi trado Panormi,
Qui tibi bene ſit conſtans, dubio ſine dormi.
Hanc Urbem primi merito dixere beatam,
Muneribuſque Duces variis fecere dotatam.
Hic naſci meruit te Regem gens Siculorum,
Proſper ut & felix longævus Rex ſis eorum.
Regni Siciliæ Caput eſt Urbs hæc, Caput extat
Siciliæ, cujus Ducibus diademata præſtat.

Ex Chronico a Martene edito Cap. XCII. prope finem.

Digitized by Google

Num. XLII.

Reſponſiones Domini Regis ad Capitula Civitatis Panormi.

AD primum Capitulum, quod habeat Officiales in Curia ſua penes eum de hominibus Civitatis Panormi. Reſpondetur, quod cum erit Dominus Rex in refectu ſuo providebit de ſufficientibus hominibus Civitatis, & faciet tunc quod expediet, & decebit.

Ad ſecundum Capitulum de armata Vallis Mazariæ, quod fiat Panormi. Reſpondetur, quod fiat, excepto caſu neceſſitatis.

Ad tertium Capitulum, quod Mons Peregrini cum juribus ſuis reſtituatur Univerſitati. Reſpondetur, quod Univerſitas doceat ſummariè de jure ſuo.

Ad quartum Capitulum, quod Cives Panormi poſſint ligna percipere tam viridia, quam ſicca in nemoribus tam Curiæ, quam Eccleſiarum, & Baronum. Reſpondetur ſimili modo, quod doceant de hoc per privilegia eorum, & ſummariè.

Ad quintum Capitulum, quod Credencerii ſint de Urbe. Reſpondetur, quod jam probatum eſt.

Ad ſextum Capitulum de roba non accipienda per Officiales annales in dicta Urbe. Reſpondetur, quod Officialibus venturis providebitur de roba, & lectis per Judæos, ſicut fit in aliis Locis, & Terris Siciliæ.

Ad ſeptimum Capitulum, quod Galea Urbis portet luminare, ſeu lanternam. Reſpondetur, quod portet, ſed attendatur ad voluntatem Admirati.

Ad octavum Capitulum, quod mutetur macellum dictæ Civitatis. Reſpondetur, quod placet Regiæ Majeſtati ſalvis juribus Curiæ.

Ad nonum Capitulum, quod mandet Regia Celſitudo Scriptoribus, qui cum eo ſunt, quod ſcribant, & nominent Officiales Civitatis Panormi Prætorem, ſecundum tenorem privilegiorum, & conſuetudinum Civitatis ipſius. Reſpondetur, quod placet Domino Regi, quod ſic fiat, & ita ſit.

Ad decimum Capitulum, quod recommendet Dominus Rex filio ſuo Regi Petro Civitatem hanc tamquam Matrem fideliſſimam, & ubi natus eſt. Reſpondetur, quod jam fecit hoc, & faciet ſemper.

Ad undecimum Capitulum, quod viſitet Dominus Rex Civitatem hanc per ſe, vel per filium ſuum Regem Petrum quolibet anno per tres menſes in hyeme ſaltem. Reſpondetur, quod faciet ſine impedimento.

Ad duodecimum Capitulum de portu Thermarum, quod reducatur in Panormum. Reſpondetur, quod contradicunt Baroni vicini, ſed ipſe Dominus Rex providebit ſuper rationibus aſſignatis pro parte dictæ Urbis.

Ad tertium decimum Capitulum, quod Animalia Civium dictæ Urbis poſſint paſcua ſumere ubique in Terris Curiæ Baronum, vel Eccleſiarum. Reſpondetur, quod obſervetur Capitulum Regium ſuper hoc editum.

Ad quartum decimum Capitulum, quod Dominus Rex provideat ſuper reparatione portus dictæ Urbis. Reſpondetur, quod Domino Johanni de Claromonte commiſſum eſt hoc.

Ad quintum decimum Capitulum, quod privilegia Univerſitatis confirmentur per

per Dominum Regem Petrum. Reſpondetur, quod jam juravit.

Ad ſextum decimum Capitulum, quod pecunia Groſſæ conceſſa pro frabica murorum remaneat ſicut olim. Reſpondetur, quod fiat.

Ex Regiſtro Literarum Excell. Senatus Panormitani Anno 1320.

Num. XLIII.

NObili, & diſcretis Viris Prætori, Judicibus, & Juratis Fel. Urb. Pan. ann præſentis dilectis Concivibus ſuis Univerſitas dictæ Urbis ſalutem, & dilectionisi intimæ puritatem.

Cum in ſubſidium reconſtructionis magnæ Domûs majoris Panormitanæ Eccleſiæ ſecus camdem Eccleſiam exiſtentis, quæ ob ipſius vetuſtatem diruta eſt, & conſumpta, piè providimus, & conſultè auri uncias 20. ponderis generalis de pecunia proveniente ex venditione ceræ luminaris Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ memoratæ pro ipſa ei dudum facti novi campanilis ædificatione, & reparatione dictæ Eccleſiæ, quæ eſt, vel erit per manus veſtras exigenda, exhibeatis, nunc quia Reverendus in Chriſto Pater & Dominus Dominus Johannes Venerabilis Panormitanus Archiepiſcopus jam incipit pro viribus reparari facere, & reconſtrui pro incolatu, & habitatione ſui multipliciter opportunis, eo quod reparatio dictæ domus dignoſcitur ſatis apertè fore operis cohærentis campanili jam dicto, quod conſtitit pro parte ſui jam difinicionem adeſſe, quo circa Nobilitati, & diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus prædictas uncias auri 20. de prædicta pecunia dicti luminaris, quæ eſt, vel erit per manus veſtras ratione officiorum veſtrorum exigenda prædicto Domino Archiepiſcopo nomine, & pro parte noſtra pro cauſa prædicta, omni dilatione, & occaſione remotis auctoritate præſentium tradere, & aſſignare curetis per eumdem Antiſtitem in reconſtructionem dictæ domus ipſius Eccleſiæ convertendos, recepturi ab eodem Antiſtite propterea exinde ad veſtri cautelam apodixam ſuo tantùm ſigillo munitam mandato noſtro aliquo huic fortè contrario, per quod præſentium exequutio in aliquo impediri valeat, vel differri, minimè obſtituro; quas quidem uncias auri 20. de prædicta pecunia dudum dari provideramus prædicto Domino Archiepiſcopo pro refectione cujuſdam campanæ novæ dictæ Eccleſiæ, ut major efficiatur, melior, & maxime quia non benè, nec clarè tinniebat, nec bonum ſonum habebat, & ſic revocato propoſito refectionis dictæ campanæ decrevimus dictam campanam, ex quo facta extitit ſic exiſtere, & manere prædictas uncias auri 20. exhiberi ut ſupra, pro reconſtructione ſua, & domus prædictæ.

Datum in Urbe Panormi 26. Auguſti.

Ex Regiſtro Literarum Excell. Senatus Panormitani Anno 1323.

Num. XLIV.

SAcræ Regiæ Majeſtati Univerſitas ſuæ fel. Urb. Pan. manuum oſcula, & debitæ fidelitatis obſequia. Majeſtatem veſtram ſcire cupimus præſentium ſerie literarum, ut cum aliqui in Urbe ipſa tum Magnates & Mercatores, quam Populares obeant, Clerici, & Religioſi Urbis prædictæ in eorum exequiis, & ſepulcris noluerint adeſſe, nec vadere velati cum ſuper pelliceis, vel ſine ipſis, ſed homines per ſe accipientes crucem, & pulſantes campanam corpora mortuorum deferunt ad Eccleſiam, & ſæpe habent in ipſorum cimiterio inconſolabiliter; & abſque illorum Religioſorum præſentia, & Clericorum, & jam exinde ſæpius Homines Urbis prædictæ turbati ſunt, & fecerunt, & faciunt tumultum, & murmur non modicum inter eos, & ad eximendum ab hominibus ipſis tumultum, murmur, & rancorem veſtra ſe interponat benignitas, & excellentia generoſa, quæ ſemper ſuis fidelibus conſuevit in adverſantibus hujuſmodi. & aliis quibuſcumque, quas, nequitia temporis faciente, ſæpius ſunt perpeſſi, adhibere conſolationem, & remedium juxta votum; Quapropter Majeſtati veſtræ humiliter ſupplicamus, ut hominibus dictæ Urbis fidelibus veſtris gratiæ remedio in hac parte ſuccurrentes benigne dignetur Celſitudo Regia, eiſdem Clericis, & Religioſis dictæ Urbis ſacris apicibus diſtrictius demandare, ſi placet, ut deinceps, cum homines moriuntur, eos ſaltem induti ſuperpelliceis aſſocient ſerio, inter ſe ipſorum exequias celebrent, & propterea debeant cum eorum præſentia ſepellire, itaquod fideles ipſi hujuſmodi beneficio, & honore per veſtram excellentiam nacti, careant murmurare, & conſolationem in Domino recipere valeant & habere, dictique Clerici, & Religioſi tanquam fratres, & amici cariſſimi ab omnibus fidelibus ipſis abſque tergiverſatione aliqua amicabiliter pertractare, ut inter eos non valeat ulla inimicitia, ſed vera caritas interponi, ſi placeat, quoniam parati ſumus, ſi aliquod obſtaculum noſtro propoſito allegaverint canonicum, vel legale, eorum proteſtationes admittere in eorum exequiis eis coram Summo Pontifice valituras, & etiam cautelas facere, prout eis melius fuerit expeditum. Scriptum in Urbe prædicta ut ſupra.

Ex Regiſtro Literarum Excell. Senatus Panormitani Anno 1322.

Num. XLV.

REverendo eorum in Chriſto Patri & Domino Domino S. Dei, & Regia gratia venerabili Panormitano Archiepiſcopo. Univerſitas felicis Urbis Panorm ſe ipſam, & paratam ſemper ad obſequia voluntatem. Intellexit nuper noſtra Univerſitas certiſſimis relatibus aliquorum quod feliciſſimè, ut ſperantur, Auctore Altiſſimo, nuptiæ Excellentiſſimi Domini noſtri Domini Regis Petri II. celebrandæ ſunt cum felici omine Deo dante. Verum quia rumor incertus, & ab incertis auctoribus generatus opinionem dubiam generavit in animis noſtris ſollemnia prædictarum felicium nuptiarum Panormi ut debet, & decet, an alibi fieri habeant in-

ju-

judicio voluntatis conſulte providimus ad honorem, & fidelitatem Regiam, tam Excellentiæ Sereniſſimi Domini noſtri Regis, quam Sereniſſimæ Dominæ noſtræ Reginæ Dominæ Conſortis ſuæ, quoque etiam præfati Domini noſtri Regis Petri eorum præcordialiſſimi nati, ſuper hæc mittere noſtros nuncios ſpeciales, videlicet Nobilem, & ſapientem Virum Dominum Senatorem de Mayda Militem Juris Civilis Profeſſorem, Regiæ Conſcientiæ Judicem, ac diſcretos viros Judicem Philippum Judicis, Riccardum de Leontino unum ex Judicibus, & Nicolaum de Montelliano unum ex Juratis dictæ Urbis fideles Regios noſtroſque honorabiles, & dilectos Concives, quibus per Nos commiſſum extitit, ut ſuper ſollemnitate grandi Nuptiarum ipſarum facienda in Urbe ipſa, quæ fuit, & eſſe debet Regum Regni hujus, & Principum hoſpitium principale, majeſtatem dictorum Dominorum noſtrorum ſuppliciter invitare: qua propter immenſam, & honorabilem Paternitatem veſtram, cujus, veſtræque Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ dictæ Urbis honor & præmium in hujuſmodi audito, & expreſſo negotio ad effectum floriferum Deo Duce peraugendum multipliciter pertanguntur, duximus devote, & effectivis precibus exorandam, ut ad requiſitionem prædictorum Nunciorum noſtrorum una cum eis coram prǫfatis Regnantibus noſtris Dominis perſonaliter adeſſe, eiſque veſtrum favorabilem favorem, ac conſilium, & auxilium efficacem ſuper præmiſſis obtinendis impertiri, ſi placet, & preces veſtras interpore valituras dignemini in veſtri honorem.

Ex Regiſtro Literarum Excell. Senatus Panormitani Anno 1323.

Num. XLVI.

FRidericus Dei gratia Rex Siciliæ. Præſenti Privilegio notum fieri volumus univerſis tam præſentibus quam futuris. Quod Stephanus de Brachiisfortibus Miles Magnæ noſtræ Curiæ Magiſter Rationalis, Conſiliarius familiaris, & fidelis noſter oſtendit, & præſentavit noſtræ Curiæ quoddam publicum inſtrumentum de venditione facta ſibi per quondam Galcerandum de Villanova Militem contemplatione matrimonii, & Sponſaliorum contractorum inter Raphaelem de Branchiisfortibus Militem filium dicti Stephani, & Gratianam filiam dicti quondam Galcerandi fideles noſtros, de feudis Caſalis Mazzarini, Brachalachi, & Gibilitem cum caſtro exiſtente in eodem feudo Mazarini cum omnibus juribus, rationibus, proprietatibus, & pertinentiis eorum continentiæ infraſcriptǫ.

In Nomine Domini Amen. Anno ejuſdem Incarnationis MCCCXXIIII. Menſe Octobris XVII. ejuſdem VIII. Indictionis. Regnantibus Illuſtribus Dominis noſtris Dei gratia Regibus Siciliæ Illuſtri Domino Friderico Rege Regni ejus Anno XXIX. & inclyto Domino Rege Petro Secundo Regni ejus anno quarto fideliter Amen. Nos infraſcripti Judices terræ Plateæ Bartholomæus de Addam de Meſſana Regius publicus in tota Sicilia Notarius, & teſtes ſubſcripti ad hoc vocati ſpecialiter, & rogati, præſenti ſcripto publico notum facimus, ac teſtamur. Quod Nobilis Dominus Galcerandus de Villanova Miles contemplatione matrimonii, & Sponſa-

Digitized by Google

ſaliorum contractorum inter Nobilem Dominum Raphaelem de Brachiisfortibus Militem filium Nobilis Domini Stephani de Brachiisfortibus Militis, majorem annis quatuordecim, minorem tamen decem & octo, ut conſtitit, ex una parte, & Nobilem Dominam Gracianam filiam dicti Domini Galcerandi ac Dominæ Riccardæ Jugalium majorem ſeptenio minorem annis duodecim, ut conſtitit, ex altera, vendidit, & ex cauſa venditionis ipſius tradidit, aſſignavit dicto Nobili Domino Stephano feuda Caſalis Mazarini Bracalachi, & Gibilitem cum caſtro exiſtente in eodem feudo Mazarini, & cum omnibus juribus, rationibus, proprietatibus, & pertinentiis eorum terris cultis & incultis &c. pro ut dictus Dominus Galcerandus tunc illa tenebat, & poſſidebat, poſitis in valle Nothi exceptis terris, quas ipſa Domina Riocarda tenebat, & poſſidebat ante tempus, & tempore contracti matrimonii inter eam & dictum Dominum Galcerandum pro precio & nomine precii unciarum auri mille octigentarum ponderis generalis, quas dictus Dominus Stephanus ad requiſitionem voluntatem & mandatum dicti Domini Galcerandi convenit, & promiſit eidem Domino Galcerando ſolvere, tradere, & aſſignare ſubſcriptis perſonis in modum & formam ſubſcriptas, videlicet uncias nonigentas fideicommiſſariis nominatis in teſtamento dicti Domini Galcerandi in terminis in eodem teſtamento diſtinctis diſtribuendos per eoſdem fideicommiſſarios juxta formam teſtamenti ipſius ad quas tradendas dictis fideicommiſſariis pro cauſa dictus Dominus Stephanus ſe ſollemniter obligavit dicto Domino Galcerando, & hæredibus ſuis, pro ut continetur de obligatione ipſa in quodam publico inſtrumento inde confecto per manus mei prædicti Notarii Bartholomæi, & ſignato per nos predictos Judicem & teſtes octo loco, Anno, Die, Menſe, & Indictione, præmiſſis, & reliquas uncias nonigentas dictæ Dominæ Riccardæ donatas & derelictas per ipſum Dominum Galcerandum, & in remuneratione ſerviciorum illatorum per eandem Dominam Riccardam dicto Domino Galcerando, prout in quodam alio publico inſtrumento inde confecto manu mei prædicti Notarii Bartholomæi, & ſubſignato per nos prædictos Judices, & teſtes octo loco, Anno, Menſe, & Indictione premiſſis XV. prædicti Menſis Octobris ſerioſius continetur. Et propterea dictus Dominus Galcerandus ſollemniter eſt confeſſus ſponte ibidem dicto Domino Stephano prædictas uncias auri mille & octogintas recepiſſe & habuiſſe ab eodem Domino Stephano modo, & forma prædictis renunciando &c. Quæ quidem venditio & traditio facta extitit ſub pactis & conditionibus infraſcriptis inter dictum Dominum Galcerandum, & Dominum Stephanum habitis conventis & firmatis, videlicet ſi dictum matrimonium quantum ad perſonam dictæ Dominæ Gratianæ non veniet ad effectum propter clamationem & refutationem fiendam per dictam Dominam Gracianam tempore legitimo.

Item ſi venerint ad effectum per tacitum vel expreſſum conſenſum tempore legitimo dictæ Gracianæ conſecuto legitimo matrimonio inter eas, & idem matrimonium conſtiterit diſſolvi per mortem alterius eorundem liberis non ſuperſtitibus, vel ſuſceptis & mortuis, quod dictus Dominus Stephanus per ſe & hæredes ſuos teneatur, & debeat, convenit promittitque per ſtipulationem ſollemnem dicto Domino Galcerando, & hæredibus ſuis reſtituere, tradere, & aſſignare omnia prædicta bona cum meliorationibus, & actitatibus omnibus dicto Domino Galcerando ſi tunc vixerit, & eo mortuo dictæ Dominæ Gracianæ, ſi per mortem dicti Domini Raphaelis ſuper clamatione ipſius Gracianæ diſſolveretur matrimonium ſupra dictum. Si vero per mortem dictæ Dominæ Gracianæ idem matrimonium in dictis caſibus ſolveretur, dictus Dominus Stephanus teneatur, & debeat, ac convenit, & promiſit ſollemniter dicto Domino Galceran-

rando reſtituere, & aſſignare eidem Domino Galcerando, ſi tunc vixerit, & eo mortuo Blancæ alteri Filiæ ipſius Galcerandi, & Dominę Riccardę & Sorori dictę Gracianæ, ſi tunc eadem Blanca vixerit, & eis mortuis, dictæ Dominæ Riccardæ reſtitutis primo in quolibet caſuum prædictorum eidem Domino Stephano & hæredibus ſuis in pecunia numerata per eas, vel eam, ad quas, vel quam dicta debebunt tunc feuda pervenire, prædictis unciis nonigentis, quas dictus Dominus Stephanus ſe obligavit ſolvere fideicommiſſariis ſupradictis &c. Cui traditioni & venditioni dicta Domina Riccarda ibidem pręſens expreſſe conſenſit & acceptavit, & confirmavit, ſalvo in omnibus & per omnia jure, ſi quod habet dicta Domina Riccarda, in dictis feudis, prædictis nonigentis unciis &c. Unde ad futuram memoriam & ut de præmiſſis fieri valeat ubilibet in poſterum plena fides, facta ſunt exinde duo publica conſimilia inſtrumenta per manus mei prædicti Notarii Bartholomæi, præſens videlicet ad cautelam dicti Domini Stephani, & Domini Raphaelis, & alterum huic conſimile ad cautelam dictorum Domini Galcerandi, Dominæ Riccardæ, Dominæ Gracianæ, & Blancæ, & eorum hæredum meis ſubſcriptionibus, & teſtimonio roboratum. Actum Placeæ. Anno, Menſe, Die, & Indictione præmiſſis ✠ Ego Joannes de Peregrino Judex Terræ Placeæ teſtor ✠ Ego Vannidetta Vacca teſtor ✠ Ego Ginuſius Porcus teſtor ✠ Ego Riccardus de Bonamorte Domini Regis Hoſtiarius teſtis ſum ✠ Ego Henricus de Caliſamira teſtor ✠ Ego Bergoguinus Calvus de Ardizone teſtor ✠ Ego Jacobus de Tabernaris teſtor ✠ Ego Joannes de Auguſta teſtor ✠ Ego Jacobus de Vita teſtor ✠ Ego Joannes Scalici teſtor ✠ Ego Notarius Henricus Criſafi teſtor ✠ Ego Juncta Aſſeſſoro teſtor ✠ Ego Præsbyter Laurentius Scaliſi teſtor ✠ Ego Joannes de Romano Junior teſtor ✠ Ego Bartholomæus de Addam de Meſſana Regius Publicus in tota Sicilia Notarius prædicta ſcripſi, & teſtor. Et Majeſtati noſtræ humiliter ſuplicavit, ut prædictam venditionem factam ſibi, ut prædicitur, per dictum quondam Galcerandum de prædictis feudis, caſalibus, caſtro, juribus, rationibus, proprietatibus, & pertinentiis eorum, & ſingulis aliis, ut ſupra diſtinguntur, eidem Stephano acceptare, ratificare, & confirmare, omniaque alia jura, actiones, & cauſas, &c. de novo concedere dignaremur. Nos quoque hujuſmodi ſupplicatione admiſſa benigne conſiderantes præcipue fidem puram, & devotionem ſinceram, quam dictus Stephanus erga Excellentiam noſtram prompto zelo & tota animi puritate geſſit & gerit, nec minus grata ſatis & accepta ſervitia, quæ dictus Stephanus nobis fideliter, & devote contulit & confert ad præſens, & conferre poterit in futurum auctore Domino gratiora, prædictam venditionem ſibi per dictum quondam Gualcerandum ratione præmiſſa de prædictis caſalibus, caſtro, juribus, rationibus, proprietatibus & pertinentiis earum, & ſingulis aliis ſupradictis, pro ut in prædicto inſtrumento publico latius & plenius continetur, eidem Stephano ratificamus, acceptamus, & pleno favore Regio confirmamus &c. Ad hujus autem rei memoriam &c. Datum Meſſanæ per Nobilem Petrum de Antiochia Militem Regni Siciliæ Cancellarium Anno Dominicæ Incarnationis MCCCXXV. Menſis Aprilis IV. ejuſdem VIII. Indictionis.

Ex Regiſtro Regiæ Cancellariæ Anni 1407. *fol.* 241. *& in eadem Cancell. Reg. in libro magno Inveſtiturarum Anni* 1453. *fol.* 621.

Num. XLVII.

NObilibus, & egregiis Viris Urbis Panormitanæ felicis ſuſceptis Darucico Salamone Principi ſublimatis Civitas Meſſanæ ſalutem, ac jugo ſervitutis abjecto ademptum bravium defendere libertatis.

Contemplare in templo tuæ celſitudinis Urbs formoſa, quia olim conſurgere arcum, & faretram ſumere, & grabatum tuum tollere pro pacis lege ſuadiſtis. Exalta igitur vocem tuam, Dic Civitatibus cunctis, intuemini quis eſt iſte qui ad noſtras gentes ingreditur propulſandas. Quid enim Siculo & jam dudum Carolo? O utinam ipſum nomen neſcire licuiſſet! Hic eſt enim de illa oriundus proſapia, quæ ſic noſtram diſſipavit terram, mare concuſſit, onera Patribus veſtris impoſuit juxta aſſertionem tuam pluſquam ſub luto, & latere ancillatis, & intantum vires animi enervavit, quod lamentabiliter exclamaſtis noſtram faſcinatam prudentiam in gentium quæ ebrietati deſerviunt, inportabili jugo ſubdi. An ignorat, qui gentem ſuam toties miſit ad victimam judiciorum Dei, judicia manifeſta, quæ ad revelandam juſtitiam noſtri pulſati tanti gravaminis multifarie claruerunt? Sed revera Pharaonico obduratu populum noſtrum gravat, ut in ſui pœna peccati ab illo, qui diſſipat colligationes impietatis multarum, ferat flagella plagarum, juxta propheticum illud. *Hæc via illorum ſcandalum in ipſis, poſtea in ore ſuo complacebunt: ſicut oves in inferno poſiti ſunt*. Velut, inquam, Ægyptii in ſuis equis, & curribus confidentes abſorpti penitus, & de terra deleti, ut exinde juſtitia noſtra luceat coram hominibus, paterque glorificetur in cælis, qui ulciſcendo ſemper noſtras injurias procul pellit. Profecto dilectiſſimi ſic quem credebatis paſtorem, lupum inveniſtis rapacem. Sic iſte eſt lupo rapace deterior, aſſerens per ſuas literas civibus Barchinonenſibus, bona quæque omnium Siculorum fore jam prædictæ ſuæ Curiæ confiſcata, etiam in tempore pacis inter Dominum noſtrum Regem, & ipſum initæ, & per Eccleſiam confirmatæ! O impietas deteſtanda, quæ reali paci non injicitur; ſed vocali! O nefanda temeritas, quæ ſub fictæ velamento capitatæ Romanam majorem Eccleſiam veritatis amicam (*) inivit ſuæ fictionis illuſionibus inhæſiſſe. O inflata ſcientia, quæ veteres verbo reſolutorio quaſi ſophiſmati Logicali in fiſcationem prædictam ex manifeſtis falſis medio inepto læſit. Accingimini igitur viri fratres, & eſtote potentes in bello: Urbs etenim fortitudinis veſtræ Sion titulo eſt regalis ſolii redimita. Salvator equidem poſitus eſt in ea, murus, & antemurale. Nam qui ſuo divino, & inſtinctu mirabili inſperate potentes de ſede depoſuit, & humiles exaltavit, abſolvit ſubito a ſervitute tyrannica juxta veſtram epiſtolam vincula colli noſtri benignorum, & humilium principum, quorum fiducia ſalus, & gaudium potiſſime Chriſtus eſt. Sic nos dulciter regens, & gubernans dominio, quod non ſint beatæ ſteriles, ut ſcripſiſtis, ſed quæ pariunt, nunc fæcundæ; in gloriam namque tuam de inclyto domino Rege Petro II. in te nato poteſt merito dicere; nobis præclare: *Os nunc es ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, totaque Sicilia non lamentum, ſed canticum iſtud poteſt depromere canticorum: *Qui dedit te mibi fratrem meum in me* (**) *ſolet ortum ſugentem ubera matris meæ*, quia nutritus eſt Panormitanæ Civitatis ut videam te foris in ea, ſed coronatum, & deoſculer te per familiaritatem benignam, & jam me nemo deſpiciet quaſi inſultans mihi de cætero alienigena principante. Verum quia Dei perfecta ſunt opera, ſpera-

(*) *Forte* invenit. (**) *Forte* ut ſolem.

ramus; quod in ejus virtute agonem noſtrum ſic agemus viriliter, quod opus per ipſum in vobis incœptum, & in nobis proſequutum, ac etiam proſequendum, ad quod totis viribus, & prompto libentique animo nos paramus, poſt tot diutinos guerrarum incurſus, ac inſurgentes fremitus tempeſtatis, victrici ſuperante triumpho, nunc feliciter conſumabit. Scriptum Meſſanæ XXVI. Madii VIII. Indictionis.

Ex Chronico a Martene edito Cap. XCIV.

Num. XLVIII.

PAnormitanę Urbi Civitas Catanenſis reverentiam, & ſalutem.

Urbs felix & inclyta, Urbs nobilis, & præclara, Caput Regni, exemplum fidei, patria Principum, ſedes Regum leva in cælum oculos tuos, & vide. Qui cuncta prævidit Altiſſimus ab ęterno, quantæ felicitatis gloria te beavit, &, ut reliqua prætermittam, quæ a tempore, quo fundata es, feliciter contigerunt, hoc unum laudabili memoria dignum, quod modernis claruit temporibus, non omittam. Qui te, reverenda mater, & ſoror, tantæ charitatis munere illuſtravit, ut quod Regis Caroli tyrannide contra Siculos ſęviente, in magnanimitatis conſtantia dexteram fortitudinis, & virtutis erigens, ut Concives tuos, cunctoſque regnicolas de manu Pharaonis Ægyptii liberares, ipſum quidem, te duce, te cauſæ prębente materiam, & libertatis initium faciente, velut alienigenam, nullum jus habentem omnes Siculi unanimiter ejecerunt, & communicato conſilio Illuſtrem Petrum bonæ memoriæ tunc Regem Aragonum ex conjugio Illuſtris Reginę Conſtantiæ præclari Regis Manfredi filiæ, quæ ſibi Alfonſum, Jacobum, & Fredericum infantes genuerat, directum jus habentem in regno, vocavimus, & recepimus pari voto, poſt cujus obitum Alfonſum, tunc Aragonis gubernatorem, Perilluſtrem Jacobum fulſiſti ſceptro, & diademate coronaſti, qui poſtquam ſedenti ſuper cathedra Moyſi calliditate plurima, & aſtutia circumventus commiſſum ſibi gregem deſeruit, & renunciavi juri, quod habebat in regno, inclytum Fredericum tunc infantem, quem ab ipſius cunabulis omnium Siculorum cura, & ſollicitudo materna lactaverat, in annos adoleſcentiæ jam proventum, quamvis renitentem pro ſalute noſtra præfecimus. Neque poſt ſub ſilentio præteriri debet quo jucunditatis gaudio venientes cum cœtu nobilium ad diadema patrium, quaſi mater amore langueſcens præ gaudio ſuſcepiſti: ſed quid egerit ſtante corona Rex inclytus, attendiſtis: hilari vultu, dextraque largiflua ſparſit honores in Siculos, aliis Commitatus exhibuit, aliis Baronias, & Feuda conceſſit, quamplures quidem, & plurimis, & majoribus dignitatibus, & officiorum gloria inſignivit. Illa die ſuę coronationis & glorię trecentos quindecim videlicet Siculos, largiente benignitate regia, militari cingulo decoravit, ſtatimque omnes dies ejus pro nobis curis impendit mordacibus, ac intonantibus bellis induit loricam pro Siculis, & exponens vitam periculis non ſolum ab Inſula, verum etiam per fines Calabrię, communes hoſtes minuit: quippe ſudoribus, & gladio multotiens profligavit, nec pepercit laboribus, ut cultores regni ejus in pace protegeret, & quietis umbraculo gubernaret. Crevit igitur nobiſcum, & ſenuit, & quamvis Rex noſter, & Dominus ſeniores ut patres, ęquos ut fratres, minores quidem ut filios tam a longo tempore omni benignitate tractavit ſemper & ubi-

 que

que nobiſcum communicans, non ſolum civitatum, terrarum, ſed etiam privatorum fortunas tam in proſperis, quam adverſis protexit ut noſtris. Rogatus multoties magnificè paciſci cum hoſtibus, & ampliorem terram in hujus excambium pacifice poſſidere; ſed amabilis Dominus, & benignus habens ante oculos opera caritatis, noluit vir effectus puſillanimitatem deſerere, quos adoleſcens in magnanimitate cæperat viriliter defenſare. Quid igitur nobis facere debuit, & non fecit?

Hoſtiles machinationes pręcogitans, & adhuc metuens, ne morte pręventus nos linqueret indefenſos, quo tutiores nos redderet, inclytum & amabilem primogenitum ejus, quem inclyta Genitrix &glorioſa partu in ſinu tuo peperit, lactavit, ut gubernationi aſſueſceret adoleſcens pręfecit in regno, tuque ipſum in gaudium more ſolito coronaſti. Reminiſcere, obſecro, reminiſcere, quia neceſſe eſt plurimum meminiſſe, quod tui Cives, & incolę in primis motibus [illegible] Gallis ad-inſula, manus eorum, & parietes hoſtili ſanguine linierunt. Contemplare, quęſo, delectiſſima, contemplare, quanto ex tunc furoris impetu communes hoſtes ad vindictam aſpirant. Habe ante oculos poſitum, reverenda ſoror, quotiens illis fortunę caſus arriſerit, quantum cruoris ex Siculis immites, & improbi ferarum ritu, & inhumanis moribus effuderunt. Ecce nunc & alia tibi debetur corona laudis & gloria, quod advenientes hoſtes furorem & impetum gaudens obvia excepiſti, omneſque Siculos ad munimentum fidei reformaſti, extrinſecas prædas, & momentanea damna nihil cogitans, ut intrinſeca fidelitati præmia tuis incolis in perpetuum reſervares. Et ſi vera ſunt, quę ſcripta referunt, & mens hominum auguratur, tu, quę fueras noſtrę libertatis initium, nunc exterminabis hoſtes, ac malis omnibus finem pones: nec obliviſcaris inter omnes tuę virtutis actus laudabiles, & defenſionis inſignia pericula tuorum, illius ſacrę Virginis, quam in te ortam fama pędicat, & ſcriptura declarat, vexillum erigere, quę in Chriſto Jeſu martyrio coronata liberationem patrię impetravit. Datum &c.

Ex Chronico a Martene edito Cap. XCIV.

Num. XLIX.

LUdovicus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus Nobili Viro Johanni de Claromonte Militi ſuo, & imperii fideli devoto gratiam ſuam, & omne bonum.

Ad Illuſtrem Fredericum Regem Siciliæ amicum noſtrum generoſum virum fratrem Albertum de Avaresburch ordinis S. Johannis Jeroſolymitani per Alamanniam præceptorem Secretarium noſtrum dilectum, pro quibuſdam ſecretis, & ſpecialibus cauſis noſtris Nuncium deſtinamus, quem noſtri contemplatione præferas, & promoveas efficaciter in agendis, ut abinde tibi obligemur ad merita gratiarum. Cui etiam petimus, ut fidem plenariam adhibeas in dicendis. Datum Menaci VIII. Idus Septembris, Regni noſtri Anno XI.

Ex Chronico a Martene edito Cap. XCVI.

Num. L.

Digitized by Google

Num. L.

LUdovicus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus Illuſtri Frederico Regi Siciliæ tamquam fratri dilecto ſalutem, & æterni amoris, & amicitiæ affectum.

Magnificentiæ Regię Legationes per ſapientem Virum Magiſtrum Franciſcum Nuncium veſtrum expoſitas benigno auditu percepimus, & auſcultavimus diligenter, & quod ſuper his reſpondere volumus, quæque nobis ſuper ſecretis cordis noſtri placuit demandare, capitulanti dicto veſtro Nuncio commiſimus referenda, cujus dictis, & hujuſmodi veſtra perennitas fidem plenariam adhibeat tamquam nobis. Specialiter tamen hoc vobis duximus intimandum, quod Deo favente firmum, pacificum, & felicem ſtatum habemus Alemanniæ, & tam Principes, quam cæteri alii ad noſtra beneplacita ſunt intenti. Nunc etiam in parlamento, quod hujuſmodi cum Italicis in credendo, de quo prefatus Magiſter Franciſcus, qui præſens fuit, & interfuit, latius vos poterit informare, vos ad vota noſtra tales invenimus, quod nihil reſtat, niſi quod Deo Duce progredimur in Italiam, Romam Sacras Imperiales Inſulas recepturi. Datum Tridenti VI. Calendas Martii, Regni noſtri Anno XIII.

Ex Chronico a Martene edito Cap. XCVI.

LUdovicus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus Illuſtri Petro Regi Siciliæ Secundo, amico ſincerè dilecto ſalutem, & plenum amoris affectum.

Ut intentionem noſtram, & ſtatum felicem, quem habemus favente Deo, veſtra Serenitas excipiat, & cognoſcat, amicitiam veſtram ſcire volumus, quod ex fiducia ſpeciali, quod bene ordinatis circa nos, quæ ſunt in Alamannia, ubi tam Principes, quam alii inferiores parent noſtris beneplacitis, & mandatis, Lombardiam attingimus in Tridento, in quo Nobiles Italici per ſe, & Civitates per ſuos Sindicos ultro in noſtri præſentia comparent, ſe & ſuos mandatis Regiis ſubdiderunt. Sic quod ſingulis bene diſpoſitis hinc & inde, in Dei nomine progredimur etiam uſque Romam Sacras Imperiales Inſulas recepturi, procuraturi nihilominus veſtrum, & omnium amicorum noſtrorum, & fidelium ipſius Sacri Imperii commodum, & profectum. Quo circa magnificentiam veſtram intentis animis exoramus, quatinus & per vos, & inſtantiam veſtram apud Illuſtrem Fredericum Regem Siciliæ patrem veſtrum ad tam ſalubrem intentionis noſtræ confirmationem, cooperari velitis veſtrum nobis conferendo conſilium, & juvamen ut noſtra Regia Majeſtas ad grata vobis intendere debeat, & viciſſitudinem ad argumentum veſtri nominis, & honoris, & ſuper præmiſſis Magiſtro Franciſco latori præſentium fidem adhibeatis credulam in dicendis. Datum Tridenti VI. Calendas Martii Regni noſtri Anno XIII.

Ex Chronico ab Martene edito Cap. XCVI.

Num. LI.

FRidericus Dei gratia Rex Siciliȩ Univerſitatis felicis Urbis Panormi fidelibus ſuis gratiam ſuam, & bonam voluntatem. Non ambigimus ad veſtram perveniſſe notitiam Dominum viſitaſſe Nos, & Illuſtrem Regem Petrum Secundum, Primogenitum noſtrum cariſſimum duplici tertiana, quȩ Nos, & eum graviter affligebat, & ex qua eramus attenuati, & multum: ſed ille qui ſanat dum percutit, & dum affligit affert remedium juvativum, ab infirmitate hujuſmodi per ſui Nos inſimul miſericordiam nuperrime liberavit, quod vobis ad gaudium tenore præſentium providimus intimari, cum quibus tamquam fidelibus dilectiſſimis Nobis inter alios fideles noſtros Siciliȩ libenter communicamus proſpera, & quæcumque alia nobis evenerunt, & occurrerunt. Datum Cataniȩ 19. Decembris 12. Ind.

Ex Regiſtro Literarum Excellmi Senatus Panormitani anno 1328.

Ultimo Decembris 12. Indictionis.

SAcræ Regiæ Majeſtati Univerſitas ſuæ Fel. Urb. Pan. manuum oſcula, & debitæ fidelitatis obſequia. Majeſtatis veſtræ ſacros apices noviter nobis miſſos avidiſſime a noſtra ſubjectione, ac mentali obſervantia vidimus receptos, & intimo percepimus intellectu, & per eorum ſeriem didicimus veſtram Celſitudinem minime ambegiſſe ad noſtri perveniſſe notitiam Cunctipotentem Dominum perſonalem excellentiam veſtram, & Sereniſſimi Domini Regis Petri II. veſtri præcordialiſſimi Primogeniti tertiana duplici viſitaſſe, quæ veſtræ, & ejus veſtri Primogeniti Majeſtatis Perſonas graviter affligebat, & qua eratis attenuati, & multum. Sed ille qui ſanat dum percutit, & dum affligit affert remedium, juvativum ab infirmitate hujuſmodi pro ſui miſericordia Majeſtates eaſdem inſimul ipſe nuperrime liberavit; quodque per ante dictos ſacros apices Clementia veſtra providit ſui gratia nobis ad gaudium intimandum, ſicut in apicibus ipſis latius continetur. Propter quod memoratum Cunctipotentem Dominum per quem Reges regnant, & Populi vivunt, ac qui Regibus dat ſalutem juxta propheticum documentum, & hunc humiliat, hunc exaltat, devocius adoramus, eique cuncti flexis genibus generaliter, & ſpecialiter ſinguli die noctuque inſomnes ad gratiarum multiplicium uberes non deſinimus aſſurgere actiones de tot, tantis, & talibus gratiſſimis beneficiis nobis licet indignis prodigioſe collatis ad preſens, quia in veſtræ dictique Primogeniti Majeſtatis melioratis corporibus generoſis de mortali voragine ad vitalem gratiam, & priſtinam ſoſpitatem nos reſtituit, & reduxit eo præſertim, & certius ſicut innata noſtra fidelitas, & caritativa ſubjectio ſe vehementer reputabat de veſtra ægritudine languidam, & gravatam, ſic per nactam veſtram avidam ſoſpitatem aſſumpſit incolumitatem, & ſpiritualem ortacionem cum gaudio præfato precantes aſſidue, illius ut gratia non ſit vacua jugibus piiſque elogiis, quæ noſtra deſideria non conſiderat vultum illi convertendo benignum, ſed clementiæ veſtræ quæ cunctis egentibus dignoſcitur abilis, & benigna meritum gratioſum reſpicere condignetur; ut celſitudinis veſtræ dictique Primogeniti, aliorumque ſuorum

pec

Digitized by Google

perſonas, ac ſceptrum validum, & ſacratiſſimum diadema protegat, & ſalutificet a cunctis adverſitatibus, & periculis cum ſalute proſpera, & ſanitate continua mentis, & corporum, ac diva pace intrinſecus, juxta votum per tempora longiora. Scriptum in Urbe Panormi ultima Decembris 12. Ind.

Ex Regiſtro Literarum Excellmi Senatus Anno 1328.

MAgnifico, & egregio Domino Petro de Antiochia Militi Regni Siciliæ Cancellario honorabili Amico, & Concivi ſuo Univerſitas fel. Urb. Panormi grata obſequia cum ſalute.

Noverit Magnitudo veſtra, quod per Sacram Regiam Majeſtatem pridem fuerit nobis ad gaudium ſuis ſacris literis intimatum, quod ipſa Majeſtas, & Sereniſſimus Dominus Dominus noſter Rex Petrus II. præcordialiſſimus ejus Primogenitus de languoribus, quibus graviter affligebantur, erant jam per Cunctipotentis Domini miſericordiam liberati; quodque Majeſtas ipſa dignata extitit nobiſcum tamquam ſuis fidelibus dilectiſſimis inter alios fideles ſuos Siciliæ hujuſmodi proſpera, & quæcumque alia ſibi evenientia, & occurrentia communicare libenter, prout in literis ipſis regiis per Nos jucunditate plena receptis, & avidius intellectis copioſius notabatur; qua de re cupientes ex hoc, & tantis meritis Cunctipotentis Domini prælibati nomen ſanctum benedicere, qui Regibus dat ſalutem, ac ſanat dum percutit, & dum affligit affert remedium juvativum, eique piis eulogiis gratias agere omnes, & reverentiam ejus almi nominis, & honorem, pro cujus gratia Sereniſſimorum Dominorum noſtrorum Regum Majeſtatem, regimen, ſceptrumque, atque ſacra, & felicia diademata proteguntur continuis, & proſperis incrementis, & per conſequens ab omni hoſtili æmulatione, qua nos, & Amici alii confideles noſtri ſolebamus affici jugiter precavimus, pari voto in unum devotione pleniſſime congregati cum multis proceſſionibus, & canticis alta, & inceſſabili voce Cleri Sanctæ Matris Panormitanæ Eccleſiæ, omniumque aliorum Clericorum, & Religioſorum Eccleſiarum Urbis prædictæ, adhibitis inibi veneratione condigna per eoſdem Clericos Sacroſanctæ B. Chriſtinæ corpore, diverſiſque aliorum Sanctorum reliquiis ab Eccleſia ipſa majori, Deum verum, & Dominum collaudantes die Veneris penultimo Decembris hujus Ind. 12. de mane proceſſimus, & per Urbem ipſam cunctam, eam quodammodo ambiendo, ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Admirato pervenimus, ibique coram Divino conſpectu, & votivæ Iconæ figura vocatæ S. Maria Monaca, ubi Sereniſſimus Dominus Dominus Rex Fridericus, cum Panormi feliciter adeſt, ingentem devotionem habens, quolibet die Sabathi ante illam S. Mariam Monacam erat orans, qui ipſam devote rogavimus, ut Salvator omnium, cujus eſt Mater, & Filia, pro Dominorum Dominorum noſtrorum Regum, & ſuorum conſervanda ſalute proſpera, & ſanitate, ac vita perpetua, quam noſtram propriam, cunctorumque aliorum noſtrorum confidelium reputamus, & pro nobis peccatoribus ſui miſericordia, cujus Regina eſt, dignaretur ſpecialiter exorare ac intercedere, ut in virtute illius fiat pax in diebus noſtris verax, & abundantia in turribus ſuis, prædicationibus multifariis tam in ipſa Eccleſia, quam in plano S. Cataldi, & præcipue ante Prætorium dictæ Urbis propter Populi multitudinem per religioſos eoſdem devotiſſime celebratis. Unde ut no-

biſcum congratulamini de tot, tantis, & talibus gaudiorum affatibus, & participes exiſtatis, veſtræ magnitudini providimus ad honorem dictorum Sereniſſimorum Dominorum noſtrorum Regum hæc præſentibus intimanda. Scriptum in Urbe Panormi ultimo Decembris 12. Ind.

Ex Regiſtro Literarum Excellmi Senatus anno 1328.

CIrcumſpecto Viro Notario Andreæ de Sabbatinis Domini Regis Notario, & familiari dilecto Concivi ſuo Univerſitas Fel. Urb. Panormi ſalutem & dilectionis intimæ puritatem.

Noſcat veſtra circumſpectio, quod per ſacram veſtram Majeſtatem pridem fuit nobis ad gaudium ſuis ſacris apicibus, & etiam per ſpeciales veſtras literas miſſas nobis, & Nobiliſſimo Domino Civi Domino Filangerio Militi Prætori Urbis ejuſdem miſſas terioſius intimatum, quod ipſa Majeſtas, & Sereniſſimus Dominus noſter Rex Petrus II. Cariſſimus Primogenitus ejus ab ægritudine, qua ſimul affligebantur, erant jam per divinam miſericordiam liberati, quodque Majeſtas ipſa dignata extitit nobiſcum tanquam ſuis fidelibus dilectiſſimis inter alios fideles ſuos Siciliæ proſpera hæc, ac quæcumque alia venientia & occurrentia communicare libenter, ſicut in apicibus, ac prædictis veſtris literis per nos jucunditate plena receptis, & avide intellectis copioſius notabatur, atque ideo volentes ex tantis meritis Cunctipotentis, & veri Dei nomini almo benedicere, qui Regibus dat ſalutem, ac ſanat dum percutit, & dum affligit affert remedium juvativum, eique piis oraculis gratias agere omnes in reverentiam ejus almi nominis, & honorem, per cujus gratiam Sereniſſimorum Dominorum noſtrorum Regum Majeſtatem regimen, ſceptrumque, ac ſacra, & felicia diademata proteguntur continuis, & proſperis incrementis, & per conſequens ab omni hoſtili æmulatione, qua nos, & cuncti alii confideles noſtri ſolebamus affici, pariter de unanimi, & pari voto in unum, ac devotius congregati cum multis proceſſionibus, & canticis, alta, & inceſſabili voce Cleri Sanctæ Matricis Panormitanæ Eccleſiæ, omniumque aliorum Clericorum, & Religioſorum Eccleſiarum Urbis prædictæ adhibitis inibi veneratione condigna per eoſdem Clericos Sacroſanctæ Chriſtinæ corpore, diverſiſque aliorum Sanctorum Reliquiis ab Eccleſia ipſa majori Deum, & verum Dominum collaudantes die Veneris penultimo Decembris hujuſmodi 12. Indict. de mane proceſſimus, & per Urbem ipſam cunctam, eam quodam modo ambiendo, ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Admirato pervenimus, ibique coram Divino conſpectu, & votivæ Iconæ figura Beatiſſimæ Virginis Mariæ vocatæ S. Maria Monaca, ubi Sereniſſimus Dominus noſter Rex Fridericus cum Panormi feliciter adeſt ingentem devotionem habens quolibet die Sabbati ante illam S. Mariam orat, Dominamque ipſam devote rogavimus, ut Salvatorem omnium, cujus eſt mater, & filia, pro dictorum Dominorum noſtrorum Regum, & ſuorum conſervanda ſalute proſpera, & ſanitate, ac vita perpetua, quam noſtram proprie, cunctorumque aliorum noſtrorum fidelium reputamus, & pro nobis peccatoribus ubique ſui miſericordia, cujus Regina eſt, dignaretur ſpecialiter exorare, & intercedere, ac in virtute illius fiat pax in diebus noſtris verax, & abundantia in turribus ſuis, prædicationibus multifariis, tam in ipſa Eccleſia, quam in plano S. Cataldi, & præcipue ante prætorium dictæ Urbis propter populi multitudi-

dinem per Religioſos eoſdem devotiſſime celebratis. Unde ut nobiſcum congratulamini de tot, tantiſque, ac talibus gaudiorum affatibus, & participes exiſtatis, veſtræ dilectioni providimus ad honorem dictorum Sereniſſimorum Dominorum noſtrorum Regum hæc præſentibus intimanda, commendantes fidelitatem veſtram in præmiſſis habitam pro veſtris prelatis literis ſollicite nobis miſſis de dictis eventibus, & occurrentibus Sereniſſimis noſtris Dominis memoratis, de quo vobis tenemur ſacius complacere. Scriptum in Urbe Panormi 12. Ind.

Ex Regiſtro Literarum Excmi Senatus Anno 1328.

Num. LII.

De acceſſu dicti Petri filii dicti Ludovici in ſubſidium dicti Friderici.

LU ſupradictu Friderieu favorendo a quiſto Ludovico quarto, & in ſuo ſubſidio mandau a Pietro ſuo Primogenito cum chinquanta galey Sichiliani, & trenta autri galey di Savona, di lu quali Petru ſupradittu li proceſſi ſi denotano infra. *Forma literarum continentium proceſſum dicti Petri.*

Domine mi ſignifico vobis, quod Dominus Rex Petrus cum ſua felici armata per Dei gratiam benevalet; proceſſus autem, & ſucceſſus ipſius hii ſunt videlicet: Decimo præſentis menſis Auguſti applicuimus Iſclam a parte ſcilicet Orientali, ubi dampna in bonis hoſtium ſunt illata: eodem die hora tarda poſuimus nos in mare, & die ſequenti, in vigilia ſcilicet Aſſumptionis Dominæ noſtræ Virginis Glorioſæ applicuimus Molam prope Cayetam, ibique deſcendimus in terra cum illacione dampnorum hoſtium ferro, ac igne funditus vaſtatorum, & accepta aqua, & aliis refrigeriis, ſequenti die per eamdem Cayetam tranſivimus, deinde applicuimus ad Montem Cerſelli, & accepta ibi aqua prope terram navigando Aſtruram attingimus, & dum galea, in qua eram prope Terram ad jactum baliſtræ tranſiret, illi de Terra ceperunt contra nos cum baliſtris jactare miſſilibus, ita quod unus de noſtris marinariis coram me fuit percuſſus, & unius jactu miſſilis, eciam quidam Jaonenſis dum ad fidanciam loqueretur cum eis, occiſus eſt, ex qua cauſa totus exercitus, tam Siculorum quam Saonenſium in vindictam provocatus ruit ad arma, & clamando ad terram ad terram, ipſam viriliter invaſerunt, & ſine intervallo ſcalis appoſitis intraverunt eamdem. Dominus autem ipſius, qui vocatur Angelus Malabranta Romanus, & Guelfus, ac fidus Regis Roberti ſubjectus in fortilicium dictæ Terræ ſe cum Uxore, & ſuis reduxit, & licet a principio viriliter defenderet, omni puſillanimitate devictus poſt modicam horam ad pacta devenit, & fortilicium dictioni Domini noſtri reddidit cum promiſſione, ut cum ſuis liber, & ſalvus permitteretur abire, & ſic factum eſt vexillis Regis Roberti dejectis, ipſaque Terra cum fortilicio flammis ignibus deletis. Deinde porreximus Nothonum, cujus loci Domina claves Domino Regi jam miſerat cum ſuis Nunciis dicentibus Domi-

Digitized by Google

minam ipſam dimiſſa Terra eadem receſſiſſe, ut ex ea faceret velle ſuum, & licet Terra ipſa pro parte Domini Regis aſſecurata fuiſſet, Saonenſes tamen procedentes, & ipſam vacuam, & derelictam invenientes combuſſerunt eamdem. Quibus peractis dum audiviſſemus in partibus ipſis, quod Dominus Imperator de Urbe Romana diſceſſerat, & eſſemus in propoſito quaſi in Siciliam redeundi, venit Dominus Cancellarius cum una galea ad Dominum Regem Petrum narrans ei, quod Imperator ipſe fuerat Cornetum. Habito ergo Conſilio quid eſſet agendum, aliqui dicebant redeundum fore in Siciliam, aliqui vero ulterius procedendum, & ſic finaliter pro meliori electum eſt ipſum Dominum Cancellarium ad prædictum Dominum Imperatorem tranſmitti ad ſignificandum eidem adventum Regium, & ſui marini Execitus, ipſumque Cancellarium in fauce fluminis Romæ expectare debere, ut ſuam reſponſionem ſuſciperet quid foret ſalubriter peragendum. Miſſo igitur Cancellario dum faucem dicti fluminis attigiſſemus, ventus Orientalis, & deinde Notus invaluit, cujus impulſu coacti fuimus uſque ad pontum Siculum navigando diſcurrere, & dum ibi eſſemus XXII. dicti Menſis rediit dictus Cancellarius ſimul, & Dux Broſmonis, & Comes Joannes de Claramonte Regiam præſentiam advenerunt, & habito cum Domino Rege colloquio aſſeruerunt dictum Dominum Imperatorem diſceſſurum ad maritimam Corneti ad videndum ſe cum dicto Rege Petro, affirmantes ipſum Dominum Imperatorem noviter ſuſcepiſſe ſubſidium quindecim mille florenorum, & totidem in partibus iſtis ſperare habere, & ſic ipſo mediante ſubſidio, nec non favore armatæ regiæ adjuvante ingredietur Regnum. Quo in conſilium deducto finaliter viſum eſt ſic fore agendum. Dicti itaque Comes, & Cancellarius ad Imperatorem remiſſi ſunt, & Dominus Rex cum ſuo Exercitu, ac extolio iturus eſt ad maritimam Corneti pro cauſa prædicta, & ſicut miniſtrabit ei Altiſſimus ita fiet: unum tamen ſcitote, quod ſi per dies quindecim fuiſſet accelerata armata noſtra, negocia magis proſpere ſucceſſiſſent. Nunc autem quoniam Imperator receſſit Roma, & Urbs ipſa ad partem Guelfam mutavit affectum Dominus ſua pietate facta Regia dirigat, atque promoveat, ut ipſe, & ſui peroptant. Scripta in galea ruba in portu Herculis.

Poſtquam vero hæc facta ſunt, quæ propter contrarietatem temporis micti vobis per me non potuerunt dum eſſemus in portu Herculis, miſſa prius legacione per Dominum Regem Petrum ad homines Urbitelli ſi ſe dicioni ſacri Imperii dare vellent, & habita reſponſione ab eis, quod non, & quod parati erant recipere pugnam XXV. Auguſti Menſis præſentis de mandato dicti Domini Regis pars ſui Exercitus contulit ſe ad Terram Marabelli, & inaudito modo; nam cum Terra ſit in quodam latu, quem barcæ intrare non poterant per quamdam linguam terræ intrari aptam fere duobus jactibus baliſtæ homines ſumentes barcas in humeris introduxerunt ipſas in lacum, & deinde aſcendentes illas adhæſerunt terræ, & multi alii, ex noſtris euntes per terram per girum valde prolixum ultra miliaria decem ad terram ſe contulerunt, & commiſſo prælio licet illi de terra principio viriliter ſe defenderent, & omnia invaſionis genera evaneſcerent ſcafas repellerent, ignem miſſum extinguerent, & homines aſcendentes proſternerent, finaliter devicti ſunt, terraque capta eſt, ſimul & Caſtrum, quod omnino inexpugnabile videbatur. Poſt hæc Inſula Gilii credo ex iſtis ſic geſtis territa miſſis Nunciis, & exenio Domino Regi ſuam ſe facere obtulit voluntatem, ſuper quo adhuc deliberatum non eſt, quid finaliter ſit agendum. Tamen credo quod dampna propria pro oblacione pecuneis evitabit; inſuper terra Chilanioni ex terrore iſtorum

rum proceſſuum derelicta eſt vacua, ad quam euntes galeæ ſex, & ipſam vacuam invenientes captam eam igne cremarunt. Scriptum ubi ſupra.

Como lo prefato Johanni XXII. fu morto.

Nello anno Milleſimo trecenteſimo trentaquattro lo prefato Iohanni XXII. appreſſo di Abignoni ſtando in la Apoſtolica Sedia non obſtanti li iniqui Proceſſi di Ludovico accuſil como Catholico Criſtiano, & canonicamenti conſtituto Papa in quiſto ſi morio, e poi di la morti ſua lo ſupraditto Friderico ſcripſi ali Panormitani in quiſta forma.

Forma Litterarum.

Doctum experimentis pluribus Regnum noſtrum Siciliæ non ignorat quibus curis, quotiſve laboribus ad tuendam ſalutem noſtrorum fidelium diligenti ſtudio expenderimus dies noſtros, quærentes continuo nihilominus, & agentes quo poſſemus eos illæſos de manu illorum eruere, qui calliditate plurima ſatagebant, nunc innocentum corpora perdere, nunc in eorum animas, vel infidelitatis calumpniam impingere, vel cujuſcumque ſpiritualis laquei vinculis innodare, nunc autem quia manifeſta, & vobis nota ſunt, libet, quæ præterierunt, omnia ſub ſcilencio præterire, ſtilumque ad id ſolum, quod præſens, & commune tangit negocium, convertemus. Cum Dominus Johannes Summus Pontifex inter nos, & hoſtem noſtrum ſub titulo componendæ pacis per legatos ſuos induceas ad triennium induxiſſet promictens nobis, & ſucceſſoribus noſtris, noſtriſque fidelibus lætam pacem, quod inde parentibus nobis evanuerit, quia notorium, & veſtra fidelitas non ignorat; ipſe vero poſt lapſum triennii tantundem temporis treguarum repetita pacis promiſſione ſubjunxit, & pœnam excommunicacionis, atque interdicti nobis, & eidem hoſti noſtro, noſtriſque ſubditis ſi contraveniremus, ut ferebatur, adjecit. Nos autem quia veram pacem, Deo teſte, ſemper optavimus, iterum dedimus ſpem noſtram pollicitis. Sed cum vidiſſemus proceſſu temporis nullam operam dari paci, quin pocius eumdem hoſtem noſtrum contra nos, & fideles noſtros, veluti poſt factum patuit, dominium Januencium invaſiſſe, de conſilio noſtrorum fidelium treguas ipſas non ſolum inutiles, ſed dampnoſas nobis abjecimus. Et ſi excommunicacioni, atque interdicto propterea obtemperare debuimus, coram nonnullis Prælatis Religioſis, & aliis Viris ſapientibus Regni noſtri rem deduximus ad examen, & quamquam omnes de ſtricto jure nos non teneri ad obſervanciam excommunicacionis, & interdicti hujuſmodi decreviſſent, tamen quia verebamur, ne Pontifex ipſe laxatis habenis juſticiæ contra nos, & fideles noſtros animosè ad deteriora prorumperet, quod profecto ſub quacumque frivola occaſione feciſſet, ſuadente eciam Bertuldo Agrigentino Epiſcopo, qui in utroque jure claruit, & mores Paſtoris Eccleſiæ longa conſuetudine, atque experiencia intellexit, atque aſſerente tucius eſſe plus agere, quam infra ſubſiſtere in hac parte tam excommunicacioni, quam interdicto, ſi qua fuerunt, non ſine amaritudine cordis Deo teſte paruimus obedire, quam ſanctificare potius eligentes: quo caſu nos, noſtrique Regniculæ fuimus a Sacramento Eccleſiæ, quamvis non mente, præſencia tamen Corporis tanto tempore ſegregati, licet ex tunc, ut expreſſum eſt, accepimus conſilio peritorum nos, & fideles noſtros, quoad Deum non fuiſſe ſub illis ſentenciis irretitos. Nunc vero quia per litteras ex ad-

ver-

verſis partibus affluentes, & veridica relacione comperimus eumdem Summum Pontificem obiiſſe, reiterato conſilio cum Prælatis, Religioſis, & aliis Conſiliariis noſtris, qui poſt obitum ipſius, cujus proceſſum differebamus, ceſſante cauſa ceſſavit effectus, nec expedit ulterius molem tanti oneris; ad quod de jure non adſtringimur, ſupportare; quamvis etiam Dominus Pontifex ante ſui obitus, ut fama refert, omnes excommunicacionis, & interdicti latas per eum contra quoſcumque, & ubicumque generaliter, & ex facto ſentencias revocavit: Ecce nunc in nomine Jeſu Chriſti decrevimus, atque incepimus Miſſarum audire ſolempnia, volentes ex nunc per totum Regnum publice Miſſarum ſolempnia celebrari, & Sacramenta Eccleſiæ more ſolito miniſtrari, quod vos leto animo aſſumentes inter Cives noſtros de diſtrictu Urbis ejuſdem cum gaudio immenſo adeſſe procul dubio ſtudeatis. Data Adogrilli Anno Domini MCCCXXXIV. decimo tercio Januarii.

La morti di lu dictu Friderico. Teſtamento, & Codicilli per ipſu facti.

Lo prefato Friderico di Aragona partendoſi di la felichi Chitati di Palermo, & andando verſo Caſtro Joanni cum certi Nobili di la dicta Inſula, ed eſſendo a Rayhalamuto, ſi egrotau, e timendo ella non finiri lu termino di la vita ſua, fichi a lo inclito Johanni ſuo figlio Marcheſi di Randazo, e Conti di Mineo, & di la Valli di Caſtiglioni, Francavilla, & Trayna Signuri; Inſtituio, & more Regio ordinao, e fichi in un giorno ad Friderico di Antiochia Conti di Capizzi, Franciſco di Vintimiglia Conti di Girachi, & da poi procedendo plus ultra verſo la Chitati di Cathania drizando lo ſuo camino in la Eccleſia di Sancto Johanni Jeroſolimitani, la quali ej in canto Paternò, gravato per la infirmitati fichi teſtamento, inſtituji, & ſubſtituji ad invicem a li ſuoi figli, a li quali voſſi chi la dicta Inſula di Sicilia perveniri diviſſi, & ultimatim morendo quilli ſenza heredi per ſubſtitucioni, & jure hereditario perveniri diviſſi la predicta Inſula a lu Re di Aragona. Undi facto lo teſtamento, ſupradicto Friderico in lo anno MCCCXXXVII. finem invenit di lu termine di la ſua vita finio, di la quali morti lo dicto Pietro ſuo figlio a li Siciliani ſcripſi in quiſta ſubſcripta forma.

Accingite nobiſcum ad lacrimas dilecta turba fidelium, quoniam ingentis doloris materiam ſcribimus, & meroris. Deponamus itaque omnem cultum letitiæ induamur cilicium, ſedeamus in cinere, operam demus lugubribus, & ut cantemus amaritudinis noſtræ canticum, in ſalicibus organa ſuſpendamus. Quis eſt inquam non ſolum ex Siculis quin eciam ex cunctis Incolis Regni noſtri tam cordis lapidei, qui ad hunc caſum meſtiſſimum temperaret a lacrimis, & ſiccis oculis preteriret? Non ſi adamante genitus, non ſi eum tigrides lactaviſſent. Audite igitur, & cum merore ſuſcipite. Glorioſus Princeps Dominus Genitor noſter, qui tanto tempore hoc Regnum longis, duriſque bellis a manibus hoſtium defenſavit, & ne antiquorum hoſtium ſuperbiæ perpetuo ſerviretis effecit, Vir illuſtris inter omnes mundi Principes agens vitam demum aſſumptis cum omni reverencia Eccleſiaſticis Sacramentis, proh dolor, & amara relacio! XXIV. menſis præſentis Junii diem clauſit extremum. Volumus itaque, ſicut & cauſæ proprietas exigit, ut pro Chriſtianiſſimo Rege, qui vi-

Digitized by Google

vices diligentis Patris, fratris, & filii ſuis Siculis exhibebat, dignas exequias celebretis. Poſt hæc in nobis, quem Divina providencia ſucceſſurum ſibi non noſtris meritis, ſed ſua bonitate præfecit in Regem, qui ſua veſtigia cum Dei adjutorio ſubſequentes vos dignis honoribus in largiflua Regiæ munificentiæ dextera proſequemur, & pro defecione noſtrorum fidelium elegimus, quocies neceſſe fuerit, diſponere vitam noſtram, cæteramque virilem prolem, quam muneris cohadjutricem nobis, Deo gracias, dereliquit conſolacionis, & confortacionis ſpiritum aſſumatis. Data Chathaniæ anno Domini MCCCXXXVII. Menſis Junii XXVII. ejuſdem.

Ex Codice MSS. Bibliothecæ Hieronymi Septimi Cerratanorum Toparchæ.

Num. LIII.

FRidericus Dei gratia Rex Siciliæ. Præſentis privilegii ſerie notum fieri volumus univerſis tam præſentibus, quam futuris, quod conſiderantes damna, quæ Cives Civitatis Syracuſiæ fideles noſtri uſque nunc ex adventu noſtrorum hoſtium in Siciliam, & ſpecialiter ad tenimentum Civitatis ejuſdem in vineis, aliiſque poſſeſſionibus, & bonis eorum perpeſſi ſunt, eis de gratia ſpeciali concedimus, quod ipſi a ſolutione treceſimæ debitæ per eoſdem pro quibuſcumque cauſis movendis per eos, & contra ipſos coram quibuſcumque officialibus noſtræ Curiæ ſint exempti, liberi, & immunes. Magiſtris Juſtitiariis Regni Siciliæ, & Judicibus Magnæ Curiæ noſtræ, nec non Juſtitiariis Vallis Nothi, & Capetaneis Civitatis prædictæ tam præſentibus, quam futuris, ac officialibus aliis Siciliæ, quibus jus ipſum poſſet competere, præſentis privilegii tenore mandantes, ut dictam noſtram immunitatis, & exemptionis gratiam eiſdem Syracuſanis Civibus de cætero inviolabiliter obſervent, & faciant obſervari, ac ab eis dictum jus treceſimæ non requirant, nec eos ad ſolutionem juris ejuſdem perturbent aliquatenus, vel moleſtent. In cujus rei teſtimonium, certitudinem, & cautelam, præſens privilegium ſibi exhinde fieri juſſimus, & ſigillo Majeſtatis noſtræ pendenti muniri.

Datum Meſſanæ per Nobilem Petrum de Antiochia Militem Regni Siciliæ Cancellarium anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo trecenteſimo trigeſimo primo menſe Julii quintodecimo ejuſdem quartæ decimæ Indictionis.

Ex Tabulario Senatus Syracuſani.

Num. LIV.

Digitized by Google

Num. LIV.

Ex regiſtro Regis Roberti exiſtenti in Regia Sicla Neapolis ſignato 1335. lit. A. fol. 38.

ROBertus &c. Univerſis præſens privilegium inſpecturis, tam præſentibus, quam futuris. Deus enim per Prophetam, & non immerito dixit ficus precoquas affectare, qui & ſanctificari ſibi voluit primos fructus, quique armentorum recenti ortu tenera ſuo cultui reſervari præcepit, & inter homines ſibi primogenitos conſecravit. Abel etiam primatum inter Sanctos obtinentem cum ſuo ſacrificio totum in holocauſtum gratiſſimum acceptavit. Reges ſeu Magos Sacratiſſimos velut gentium primitias præeligens mirabilis ſtellæ inditio inſignivit, qui & apoſtolos Iſdraelis veri ſibi exordia accerſivit. Nemirum igitur ſi Deo inſpirante nobilem, & magnificum virum Joannem de Claromonte Comitem Moach ad noſtræ fidei lucem, & ſinum gratiæ venientem alios ejuſdem Inſulæ magnates prævenientem, & ipſis reducendis invitativum præferentem exemplum benigne ſuſcipimus, & honorificentia debita decoramus. His ergo conſiderationibus induci ſperantes, quod ipſe tam laudabilia initia, & virtuoſis, & continuatis operibus conſequetur, & honori noſtro, ac ſubditæ nobis Reipublicæ præſertim reducendæ Inſulæ utiliter deſerviet, domino adjuvante, ipſum conſtituimus noſtrum in dicta Inſula Vicarium Generalem. Conferentes ſibi de novo comitatum, & terram ad eum in dicta Inſula ſpectantes & ultra ex gratiæ noſtræ exuberantia concedimus in redditibus in ipſa Inſula mille uncias annuatim ſuper primis terris acquirendis, quæ de mero noſtro demanio non exiſtant. Ita tamen quod ſi acquirentur aliquæ terræ de demanio ipſe, præter Panormum, & Meſſanam, & alias Civitates de ipſo demanio, quæ rationabiliter excipiendæ Regiæ providentiæ viderentur, illas teneat cum redditibus, diſtrictibus, & juribus ſuis quouſque tantundem eidem in prædictis terris, quæ non ſunt de demanio primitus aſſignetur. Promittens Comiti præfato, quod de Baronia, ſeu terra, quam Franciſcus de Vintimilia detinet, ſi ad fidelitatem eamdem redire differat, juxta dicti Comitis conſilium diſponemus. In cujus rei teſtimonium præſens privilegium exinde fieri, & pendenti Majeſtatis noſtræ ſigillo juſſimus communiri. Datum Neapoli per manus Joannis Grilli de Salerno. Anno Domini MCCCXXXV. die XVIII. Junii III. Indictionis. Regnorum noſtrorum anno XXVII.

Hujus in Publica Panormitana Bibliotheca aſſervatur exemplar inter Codices Cl. Dominici Scavo.

F I N I S.

584482

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google